

107

FRIDERICI HOFFMANNI  
MEDICINÆ *1712*  
**RATIONALIS**  
**SYSTEMATICÆ**

*TOMI QUARTI*

*QVO*

**SPECIALIS MORBORVM  
PATHOLOGIA**

**ET HVIC SVPERSTRVCTA SOLIDA  
THERAPIA**

**CVM MEDENDI METHODO**

**CAVTE LIS CLINICIS ET MORBORVM  
ENARRATIONIBVS**

**ADIVNCTA EPICRISI EXHIBENTVR**

*PARS SECVNDA*

**DOCTRINAM HÆMORRHAGIARVM  
ET DOLORVM**

**PERSPICVA ET DEMONSTRATIVA METHODO  
TRADENS.**

---

*CVM PRIVILEGIO REGIS POLON. ET ELECT. SAXON.*

*HALÆ MAGDEBVRGICÆ, M DCC XXXVI.  
PROSTAT IN OFFICINA RENGERIANA.*

FRIDERICI HOFFMANNI

MEDICINAE

RATIONALLIS

SYSTEMATICA

TOMI PRIMI

SPECIALIUM MORBORVM



ET HINC SEQUENTIA SOLIDA

6547

CAUSIS CLINICIS ET MORBORVM

ADIVINATA EXHIBENTVR



94030

DOCTRINAM MORBORVM RHEUMATICORVM

ET DOLORVM

PERSICVA ET DEMONSTRATIVA METHODO

1771

IN BIBLIOTHECA MUSEI HISTORICI BRATISLAVENSIS

BRATISLAVA MDCCLXXVII

LIBRARIUS IN OFFICINA BRATISLAVENSIS

DOCTISSIMIS  
MEDICIS JUNIORIBVS

QVI

EX SELECTIS IN FIRMA EXPERIENTIA  
FVNDAVIS OBSERVATIONIBVS  
ET MORBORVM HISTORIIS

NEQVE MINVS

EX THEORIA VERA ET RATIONALI IN  
SIMPLICISSIMIS NATVRÆ MICROCOSMICÆ  
LEGIBVS ET MOTIBVS FVNDATA  
CIRCVMSPECTAM ET NON SINE AVSPICATO  
PER DIVINAM GRATIAM SVCESSV  
SALVBREM ARTEM EXERCERE  
CVPIVNT

HVNC LIBRVM

SINCERO ANIMO

DICAT ATQVE COMMENDAT

AVCTOR.



## PRÆFATIO.



Secundam therapiee rationalis partem, veritatis Medicæ cupide Lector! Tibi jam exhibeo: cujus maturiorem editionem, occupationum & consultationum, quæ me in senio plurimum urgent, assidua multitudo, quodammodo retardavit. In præfenti hoc libro, difficilem & perplexam admodum maximique in praxi medica momenti materiam, de hæmorrhagiis & doloribus, paulo curatius evolvendam atque observationibus clinicis illustrandam mihi sumpsi. Nam primo ex omnibus, quæ in genus humanum inci-

incidunt, morbosis afflictionibus, febres si exceperis, vix ullæ dantur, quæ frequentius invadunt, quæ nulli ætati, nulli temperamento, nulli sexui parcunt, quam spontaneæ a natura per varia corporis loca excitatæ sanguinis eruptiones. Hæ, probe consideratis phænomenis & paulo pensulatius subductis rationibus, iisdem propemodum utut non satis completis motibus, quibus febres oriuntur, progignuntur. Nam sicut duo principales motus ad febrem constituendam necessarii sunt; alter qui præcedit & qui ab extrema corporis humani superficie ad interiora sanguinem & reliqua fluida urget atque propellit; alter qui sequitur, & ab interioribus versus exteriora rursus eundem cum aucta cordis & arteriarum celeritate protrudit: ita similes etiam motuum species in hæmorrhagicis excretionibus concurrere animadvertimus. Etenim a nulla causa interna suscitatur hæmorrhagia præsertim paulo gravior, quæ non extremorum refrigerationem & spasticam habitus corporis constrictionem, cum alvo plerumque stricta, urina tenui, & pariori per cutis cribrum perspiratione, comitem habeat, sanguinem ad interiora & cor pellendo: quem motum postea celerior & vehementior, non secus ac

in febre fit, arteriarum motus & ad certam partem directus sanguinis impetus consequitur. Præterea, quemadmodum motus febriles in se & sua natura motibus vitalibus alieni, per sapientissimam autem DEI providentiam, quam in fabrica corporis humani dilucide demonstravit, subinde salutarem effectum exerunt, causamq; ipsam a qua originem habuerunt expugnando, hominem sanitati restitunt: ita etiam sanguinis quæ præter naturam fiunt excretiones, ipsam causam quæ eas excitavit quando subtrahunt, a gravissimis malis & periculo corpus sæpe vindicant. Cujus rei periodicæ menstruales in sexu sequiori sanguinis profusiones, atque per venas ani in sexu nobiliori institutæ a natura sanguineæ evacuationes, testimonio esse possunt luculentissimo. Quando autem februm vel hæmorrhagarum causæ ita sunt comparatæ, ut neque motibus istis justo intensioribus, neque evacuatoriis tolli possint, quemadmodum fit, si vitium non tam in materiæ mole, quam in perversa & maligna humorum indole, aut visceris cujusdam corruptela vel obstructione, aut in motu animi immoderatiore consistit, nunquam tales motus salutare censendi sunt, eo quod in detrimentum & præsentissimum sæpe exitium con-

ver-




vertantur. Et quia ejusmodi motus excretorii hæmorrhagici, incompleti febriles, non rationali & intentionali quodam actu, multo minus ad salutarem finem destinato, sed ex causis physicis necessitatem effectus quæ inferunt peraguntur; fit utique, ut non modo vel in excessu vel in defectu sanguinis emittendi peccetur, verum etiam, quod sæpe numero evenit, per partes nobiliores & vias plane inconvenientes & alienas, conservationi vitali proxime inservientes, ut sunt cerebrum, pulmones, ventriculus, intestina tenuia, vesica, renes, plane perverse & erronee, cum ingenti harum partium corruptela nec non cum summo vitæ discrimine, sanguinis subinde valde copiosi exclusio suscipiatur. Ceterum etiam doctrina hæmorrhagiarum ea de re multum difficultatis in usu artis habet, quod aliis iisque gravissimis tam acutis quam chronicis affectionibus sæpissime conjungantur, & supervenientes quandoque, sed rarius, morbum solvant, sæpissime vero in extremum exitum terminentur. Ex quibus omnibus adductis & paulo penitius consideratis facile intelligi posse arbitror, quam difficilis, ardua & intricata res sit, prudenter motus hos sanguinis excretorios tractandi, nec non, ut in salutem & conservationem

onem corporis humani cedant, eos convertendi & dirigendi : atque hæc ipsa difficultas non parum succrescit & augetur, quod nullum in tota rerum natura divina sapientia constituerit remedium, quod tanta polleat efficacia, ut Medicus, pro suo arbitrio & rei exigentia, sanguinis fluxum si deficit, provocare vel restituere cum certo effectu possit. Enimvero Medicus, pro variis indicationibus & præservandi & curandi morbos, multi generis evacuantia possidet, ut pro lubitu excretiones per alvum, per urinam, per sudorem, per nares, per salivam, per expectorationem movere possit ; sed ejusmodi medicamina, quæ sanguinem per certa loca pro Medici arbitrio evacuandi certa potentia instructa sint, plane non reperiuntur. Inter ceteras insuper difficultates non minima est, quod neque ullum certum detur remedium, quod sine majori detrimento enormem sanguinis profusionem expedite compescere possit. Quæ cum ita sint, intelligere quisque poterit facillime, quare post doctrinam febrium, quæ in priori tomo paulo penitius agitata & excussa est, intricatam & plane difficilem hanc in praxi frequentissime occurrentem materiam, paulo curatius præ ceteris evolvendam & illustrandam utilissimum imo summe necessari-

um judicaverim. Præter hæc placuit quoque in hoc Tom. II. dolorum pathologiam & theoriam paulo accuratiori scrutinio committere, & hæmorrhagarum tractationi subnectere, eo quod inter hæmorrhagias & dolores magnus sit nexus, magna consensio, & inter causas quoque & curationem conspiratio. Dolores præsertim acerbiores certis paroxysmis certisque periodis invadere, ac semper fere cum febriculosa quadam partium solidarum & fluidarum commotione, quam extremorum constriçtio, excretionum per alvum, per sudorem quæ fiunt retardatio, pulsumque postea celeritas & durities subsequitur febribus communis, fieri nunquam non observatur. Et sicuti febrium paroxysmi, per motum sanguinis versus corporis superficiem restitutum & subsequentem sudorem salutariter finiuntur: ita etiam observamus dolorum tormenta non facile conquiescere vel sopiri, multo minus ex toto abigi, nisi prius sanguinis circulus uberior cum calore & madore subsequente ad partes extremas fuerit conversus. Neque iis qui assidue in artis exercitio versantur obscurum esse potest, omnis generis dolores, sive internas sive externas partes infestent, potissimum a sanguinis consuetis excretionibus retardatis vel plane cessantibus

aut suppressis originem suam trahere, & vix aliter  
citus, nisi in ordinem iis prius reductis, perfectam  
sanationem recipere. Testimonio possunt esse car-  
dialgici, colici, nephritici & podagrivi dolores, qui,  
in feminis, fluxu mensium, in viris consueto hæmor-  
rhoidum fluxu restituto, in sine allevamentum ac-  
cipiunt. Denique conspiratio & harmonia inter  
hæmorrhagias & dolores vel exinde elucescit, quod  
in utroque affectu, non tam sanguinis puri, confi-  
stentis & fibrosi, sed potius vitiosi feri intra vasa  
collecti redundantia magis peccet atque delinquat.  
Et quemadmodum porro hæmorrhagiæ in iisdem  
locis, ubi semel vel iterum proruperunt, reverti so-  
lent, ob debilitatem relictam: ita etiam res cum  
doloribus comparata est, qui, ubi semel radicem  
egerunt in nervosis quibusdam partibus, quam fa-  
cile has rursus occupant atque invadunt. Postremo  
quantum difficultatis atque negotii, hæmorrhagia-  
rum atque dolorum opportuna cura medentibus  
faceat & quod plurimorum remediorum effica-  
ciam eludant, ita ut ab anodynis sæpius exacerbentur,  
in praxi notissimum est. Prægnantes itaque &  
justæ causæ hæ fuerunt, quare præ ceteris morbis,  
maxime præsentibus hoc in secundo tomo, de hisce  
affectibus paulo curatius agere proposuerim. Et  
quo-

quoniam casus clinici & completae de morbis historiae unicum & verum pathologiae & therapiae rationalis fundamentum constituunt, sine quarum sufficiente apparatu nihil solidi Medicus in theoria statuere, neque in praxi praestare & efficere potest; cuius morbo notabiliores quae mihi ad manus tuere adjeci observationes, in quibus fideliter & candide morbi cujusvis *historiam* & *progressum*, quae remedia, quo *ordine* usurpata & qualis effectus consecutus fuerit, exposui, atque simul in subnexa epicrosi insignem usum & fructum observationum ad circumspectam & auspiciorem praxin exercendam demonstravi. Ego nihil magis in votis habeo, quam ut etiam alii qui ingenio pollent & in ampla praxi versantur publicumque bonum promovendi ardorem habent, me hac in parte sequantur. Ceterum nullus dubito, fore, ut plures ex Medicis, si scripta mea practica usque eo in lucem edita, quae non praecipitavi quinquaginta annorum per DEI gratiam experientia innixus, cum attentione legant & perlegant, non modicum fructum in misere afflictos redundaturum abundanter percepturi sint. Sin autem invidi quidam aut in praxi rationali minus versati, haec vel quaecunque alia mea scripta vilipendere velint, id certe parum curabo.



CONSPECTVS  
PARTIS SECVNDÆ

*Seçtio I.*

De  
HÆMORRHAGIIS PARTIVM TAM EXTERNARVM  
QVAM INTERNARVM.  
PROLEGOMENA.

De  
HÆMORRHAGIIS IN GENERE.

Cap. I. De Hæmorrhagia narium.	pag. 9.
II. De sanguinis fluxu ex pulmonibus.	31
III. De vomitu cruento, sine & cum secessu nigro, sive morbo nigro Hippocreatis.	66
IV. De hæmorrhoidali fluxu nimio.	87.
V. De uteri hæmorrhagia immoderata.	107.
VI. De hæmorrhagia ex urinariis viis.	131.
VII. De hæmorrhagia cerebri.	163.

*Seçtio II.*

De  
DOLORIBVS ET SPASMIS VARIJ GENERIS  
INTERNIS ET EXTERNIS  
NEC NON  
ARTHRITICIS ET RHEVMATICIS.

Caput I. De dolore cephalico.	pag. 187.
II. De dolore cardialgico spasmodico & flatulento.	221.
III. De doloribus & spasminis præcordiorum, a calculo felileo ortis, & de ejus generatione.	259.
IV. De dolore & spasmo iliaco.	285
V. De intestinorum doloribus, atque in specie, de colica flatulenta & spasmodica.	315
VI. De acuto dolore & spasmo ex calculo renali.	360.
VII. De spasmo & dolore vesicæ & adjacentium partium.	395.
VIII. De doloribus & spasminis externarum partium rheumaticis & arthriticis.	426.
IX. De rheumatismo odontalgico.	471.
X. De dolore & spasmo otalgico.	489.
XI. De dolore podagrico & arthritico vero & inveterato.	500.

SECTIO I.  
DE  
HÆMORRHAGIIS  
PARTIVM  
TAM  
INTERNARVM  
QVAM  
EXTERNARVM.



PROLEGOMENA  
DE  
HÆMORRHAGIIS  
IN GENERE.

§. I.

*In quibus locis ordinario hæmorrhagia fi-  
ant ;*



Primo commemorandum est, quod sanguinis, quæ sponte a natura fiunt, excretiones, ordinario ex illis locis fiant, quæ textura gaudent teneriori ac rariori, per quam vasa tenuissima undiquaque dispersa serpunt, neque firmis membranis circumtensa latitant, sed

potius in superficie morantur : quo privilegio quam maxime gaudent interior narium pars, pulmonum bronchia, caro gingivarum, ventriculi pars amplior sinistra, intestinum ileum, recti intestini extremitas, exterior uteri & vaginæ substantia ; ex quarum partium nimium distentis & apertis arteriolis cum impetu sæpe sanguis prorumpit. Verum extraordinarie quan-  
doque

*in quibus  
extraordi-  
nariæ ?*



doque fit, ut per alias vias plane infuetas, & in quibus paulo profundius vasa latitant, sanguis sese exoneret. Ita per minimum digitum sanguinem excretum vidit SALMVTHVS cent. III. *obs.* 36. it HENR. AB HEER *obs.* 36. Ex genu & manu profulentem sanguinem menstruum BARTHOLINVS *observ. anat. cent. I. hist.* 30. & ex mammis saltu eundem prodeuntem PANAROLLVS *Pentec. IV. obs.* 15. it. AMATVS cent. II. *obs.* 24. & cent. VII. *curat.* 48. memorant: menstrui vero in viris per penem profluvii observationes numero plures in STALPARTIO VAN DER WIEL cent. I. *observ.* 80. conspiciuntur.

## §. II.

Sanguinis eruptiones perquam familiares solent esse *Hi differunt, ratione subiecti;* iis, qui habitus corporis mollioris, spongiosioris, atque texturæ tenerioris sunt, quorum vasa copioso sanguine & sero turgent, qui secundum veterum denominationem dicuntur sanguinei; his enim hæmorrhagiæ per omnem fere ætatem solennes esse solent. Qui vero sunt cholericis temperamenti, & vasa ampliora, strictioremque corporis habitum possident, *per quorum vasa sanguis celerius fertur & circulatur; ii in juventutis annis hæmoptysi maxime sunt obnoxii.* Sanguineo-melancholicis fluxus hæmorrhoidum frequentior; & sanguineo-phlegmaticis feminis cruentus vomitus familiarior esse solet.

## §. III.

Memoratu quoque dignum est, diversas excretionum *ætatibus;* sanguinearum species in diversis ætatibus contingere; quemadmodum id etiam jam olim recte notatum fuit ab HIPPOCRATE *Seç. III. aphor.* 27. 29. 30. Videlicet pueri & adolescententes sanguinis profluvium e naribus potissimum patiuntur: in juvenibus cruor exitum suum per pulmonum vasa magis molitur, unde hæmoptysis & inde orta phthisis huic ætati familiarissima; in viris & qui in consistente ætate sunt constituti, sanguis per sedis venas, in decrepita autem ætate per vias urinarias plerumque exitum affectat.

## §. IV.

Anni tempo-  
rum.

Annotationem deinceps meretur hæc observatio, quod vere & autumnò, præsertim circa tempora æquinoctialia, sanguis nimium redundans plus quam alio tempore ex alveis suis effundi soleat, atque maxime per nares, in viris per hæmorrhoides, si alias ad hunc fluxum dispositi fuerint, fluat. Sanguineæ quoque apoplexiæ, quæ non nisi eruptiones sanguinis in cerebri medullio sunt, circa hæc tempora & potissimum vere contingunt: vomitiones vero & mictiones cruentas plus autumnò quam vere incidisse, a nobis annotatum est. Atque etiam circa hæc anni tempora solenniter ejusmodi sanguinis excretiones & periodice redire atque reverti solent.

## §. V.

Subjecta hæ-  
morrhagia-  
rum:

Observamus porro, omnes fere eos, quibus sanguis copiosius & frequentius in primis annis per nares erumpit, natura valde imbecilles, animo quoque sensibiliores, variisque morborum afflictionibus, spasmodicis & doloribus per omnem fere ætatem subjectos esse, rarius etiam vitam diu protrahere: quippe in juventute in phthisin inclinant, in consistente ætate in malum flatulento spasmodicum sive hypochondriacum facile incidunt, atque ætate proveciori ad dolores nephriticos & podagricos multum proclives sunt.

## §. VI.

Quæ ple-  
rumque hæ-  
reditaria  
sunt, atque  
ab externis  
suscitantur.

Dispositio ad hæmorrhagias est plerumque nativa, quæ a parentibus in liberos transfertur; promptissime vero, per causas externas, quæ motum validiorem sanguini inferunt, aut ejus intestinam partium agitationem intendunt, in actum deducitur: inter quas omnes animi & corporis motus solito intensiores, atque interna ex alimentis vel medicamentis assumpta valde calida acris & spirituosa, intempestivus quoque balneorum, sudoriferorum, vel purgantium usus, principem sibi locum vindicant.

## §. VII.

## §. VII.

Quemadmodum sanguinæ excretiones, quando a nimia vasorum repletionē & sanguinis ac feri redundantia fiunt, multum corpori salutis afferunt & promittunt: ita, quando a maligna acri materia, ut fit in febribus malignis exanthematicis, suscitantur, periculi sunt plenissimæ; & quodcumque a viscerum, præsertim hepatis, lienis aut etiam pulmonum obstructione, induratione & corruptela proficiscuntur, lethum plerumque post se trahunt; quandoquidem facile in cachexiam, hydropem, morbum sic dictum nigrum Hippocratis, vel in hæcticam lethalem terminantur.

*Quando salutaris; quando exitiales?*

## §. VIII.

Qui sanguinis boni, & consistentis, fibrosi, purpureo colore præditi abundantiam, pro causa hæmorrhagarum præcipua & proxima materiali agnoscunt, hi multum errare videntur. Nam, qui sanguine valde crasso, denso abundant, quales sunt, qui corpus fibrosum & robustum possident, atque illud ipsum labore strenue exercent, victuque duro utuntur, rarius sanguinis excretiones patiuntur: vbi vero major & ultra proportionem feri copia in vasis continetur, sicuti fit in corporibus mollioris texture vitæ otiosæ addictis & quæ seriosioris naturæ sunt, sanguinemque copiosius quam par est e vena emittunt, transpirationem impeditiorem habent, atque plus appetunt quam digerere & excernere possunt; ii quam maxime hisce præternaturalibus excretionibus & ex his provenientibus incommodis & morbofis affectionibus subjecti & expositi sunt. Excessiva quoque & incredibilis propemodum sanguinis, quæ non raro per nares vel per uterum excernitur, copia, plethoræ magis serosæ quam sanguinæ testimonium satis firmum exhibet: quod vero per pauca sæpe fit massæ rubicundæ portio, respectu serosæ; id ex eo, quando e vena scæta in ejusmodi enormibus hæmorrhagiis emissus sanguis in vasculo colligitur, luculenter conmonstrari potest.

*Sanguinis boni abundantia non est causa proxima:*

*sed serum copiosius.*

## §. IX.

*In cujuscun-  
que partis  
hæmorrhagia  
singulã  
quãdam  
signa præce-  
dunt.*

Notabile insuper est, ubicunque in quadam parte plus solito sanguis erumpere gessit, in hac singularia prius quãdam phœnomena observari: ita totius faciei plus justior rubedo ac calor, tumor quoq; cum arteriarum majori pulsatione & distensione sanguinis e naribus profluvium pronunciant. Ante sanguinis per uterum fluxionem, lassitudo corporis, dolor dorsi & lumborum, tensio circa hypochondria, facies pallida, cutis horripilatio pororumque cutis constrictio, contingunt. In hæmoptycis præcordiorum anxietas, spirandi angustia, dolor gravativus undulatorius circa diaphragma, flatulentia in abdomine, extremorum refrigeratio, ante eruptionem percipiuntur. Crurorum vomitum frequentissime dolor tensivus ac pressorius in hypochondrio sinistro antecedit: quin inno hæmorrhoidum eruptionem, spastica quãdam stricturæ, flatulentia abdominis, in osse sacro tensivus & pressorius dolor, corporis languor & extimarum partium refrigeratio indicare solent.

## §. X.

*Causa pro-  
xima hæ-  
morrhagia-  
rum.*

Ex quibus jam adductis & probe invicem expensis, liquido constare arbitror, hæmorrhagias, quibuscunque etiam in locis prodeant, neque a sanguinis copia, neque ab ejus nimia turgescencia exitum per vasa affectante, neque ex seri & sanguinis acrimonia, diæresin producente, aut ab ejus nimia tenuitate per vasorum poros transudante, ut veterum fuit sententia, proxime & directe proficisci; sed potius ab extra ad intus converso motu atque inæqualitate circulationis sanguinis oriri: id quod efficitur, quando certæ partes, præsertim extremæ & a corde valde remotæ, intensiori fibrarum strictura ac contractione ita angustantur, ut sanguis per venas refluxere nequeat, sed, harum aucta systole, majori copia & impetu, ad alia loca eaque inconvenientia transferatur; unde lateralialia arteriolarum vasa, quæ ordinario non sanguinem stricte sic dictum, sed tantum tenuem lymphaticum humorem vehunt, plus justo distendantur & tandem aperiantur necesse est.

## §. XI.

## §. XI.

Ceterum causa quoque hæmorrhagarum, præsertim enormium & symptomaticarum, quæ aliis morbis præsertim longis accedunt & superveniunt, in vasorum & viscerum infarctu, obstructione, induratione, quæ liberiori cursui obicem ponunt, quærenda erit. Videmus id in hydraulicis machinis, ubi obstructis quibusdam canalibus, fluidum per reliquos apertos majori impetu & celeritate erumpit. Atque idem fit in corpore nostro: nam quando per venas certæ partis spasmo contractas vel obstructas non libere transire & versus cor circulari potest sanguis, vis & impetus eum impellens crescit in ramis & ramusculis arteriosis, qui humore purpureo repleti & turgidi in extremitate aperiuntur. Declarant id maxime sectiones cadaverum, quarum leviter quasdam attigisse sufficiat. Sic in hæmoptico dissecto, latus sinistrum pulmonis a tumore obsessum vidit WILLISIVS in *Pharmaciu* p. 90. Ita etiam in hæmoptico reperti fuerunt pulmones copiosissima materia argillacea per totum obstiti, & ventriculi dextri auricula insignis magnitudinis. vid. M.N.C. *Dec. II. an. VI. obs. 217.* BLANCARDVS in *anatom. pract. obs. 46.* lienem tumentem & vasa mesenterii atque omenti sanguine infarcta invenit. In vomitu cruento demortuo hepar durum & scirrhosum, lien quoque tumidus & sanguine impletus repertus fuit ab eodem Auctore l. c. *obs. 23. it. 32. conf. B. WEDELIVS in amœnit. mat. med. BARTHOLINVS in histor. anatom. p. 249. it. M.N.C. Dec. II. an. 4. obs. 86.* Rectissime hinc scribit FERNELIVS *meth. med. p. 14.* quibus viscera & iecur imbecillum & scirrhosum evadit, illis sæpius sanguis e naribus fluit, non secus ac hydropticis: id quod confirmat HEVRNIVS *aphor. Hippocr. p. 191.* his verbis: quibus facies colore subviridi suffusa est, hepate laborant; & signum est jam adfuturi hydrophis frequens in iis cruoris per naves effusio.

## §. XII.

Quoniam autem, ex spasticis partium contractionibus

Antecedenti.

Quare hypochondriaci

*Hæmorrhoidarii?*

bus & venarum angustationibus, sanguinis præternaturales eruptiones plerumque suum ortum & causam mutuantur; liquido nunc intelligitur, quare hypochondriaci, in quibus ventriculus & universus intestinorum canalis nervosus, ob motus peristaltici perversionem, flatulentis distensionibus, spasticis quoque stricturis assidue afflictor, ad motus & fluxus hæmorrhoidales valde sint proclives, atque, si sanguis ibi non exitum inveniat, hypochondriacorum pathemata plurimum exasperentur.

§. XIII.

*Curatio generalis: que V. Sect. minus rite peragitur;*

In genere circa curationem omnis generis hæmorrhagarum id velim notetur, inconvenientissimam esse eorum medendi methodum, qui, dum sanguinis rubicundi & *æoxiv* sic dicti abundantiam pro causa unica materiali & occasionali nunquam non agnoscunt, crebro institutis sanguinis missionibus audent utuntur; utur, præsertim inter initia & præservationis gratia, in sanguineis præcipue, tempestivum venæsectionis ulum plurimi faciamus. Recta autem medendi ratio unice in eo reposita est, ut primo impetum sanguinis a parte laborante, opportunis remediis, ut sunt *pediluvia*, *clysteres*, externarum partium frictiones ac *ligaturæ*, calida tegumenta, fatus, balnea, derivemus; deinceps ut spasticas nervosarum partium stricturas relaxemus; & demum lenioribus per *epicrasin* laxantibus, & moderatis *diaphoreticis*, item inedia sive abstinentia a victu pleno sanguinem ingenerante, nimiam ferosæ colluviei abundantiam subtrahamus & præcaveamus.

*sed derivantibus, anti-spasmodicis diaphoreticis.*

§. XIV.

*Epilogus.*

Hæc de doctrina hæmorrhagarum in genere dicta sufficiant: specialior & fusior huius in praxi utilissimi argumenti evolutio & discussio in sequentibus capitibus conspicienda erit.



CAPVT I.  
DE  
HÆMORRHAGIA  
NARIVM.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

**S**anguinis per nares profusio debetur copiosiori *Narium hæ-*  
ejusdem per validiorem cordis motum ad caput *morrhagia*  
appulsui, quo arteriolæ in pituitaria tunica plus *quomodo*  
iusto opplentur, earumque extrema nimium di- *fiat.*  
stenta tandem dehiscunt & sanguinem effundunt.

§. II.

Narium ea fabrica, ut eruptioni sanguinis facile ob- *Nares ad*  
secundent. Etenim in earum interioribus sanguifera vasa *sanguinis e-*  
in minutissima capillamenta diremta, per tunicam, quæ vo- *ruptionem*  
meris os, spongiosa ac ethmoidalia ossa investit, copiose *prona.*  
distribuantur, ac tenui admodum membrana exterius ob-  
reguntur. Vnde factæ validiori sanguinis eo affluxu, is  
difficiliter admodum per venulas refluit, sed ex facili in ar-  
teriolis restitat, harum extremitates ultra modum diducit,  
perrumpit ac effluit, quin haud raro easdem in exigua  
aneurismata elevat, quæ postea stillicidium faciunt effu-  
sius.

## §. III.

*Eruptionem  
antecedit  
copiosior eo  
confluxus.*

Ad nares ipsamque caput validiorem sub hac hæmorrhagia fieri sanguinis & humorum confluxum, cordis & arteriarum vehementior motus, arteriarum in collo ac temporibus potissimum intensa pulsatio, gravativus in capite sensus, faciei rubor ejusdemque cum capite toto intumescencia, naresque interius sicca & calida, luculenter faciunt testatum.

## §. IV.

*Congestionis  
causa inæ-  
qualis cir-  
cuitus.*

Hujus congestionis palmaria causa inæqualis sanguinis, per minimos, maxime partium extimarum tubulos, progressus, tantum per venas non reducens, quantum per arterias adductum. Quo dein fit, ut ad quasdam partes sanguis justo parcius volvatur ibique deficiat, ad alias vicissim copiosius cum impetu ruat, ibidemque canales ad crepaturam usque farciendo, exundet.

## §. V.

*Inæqualem  
progressum  
facit spasti-  
ca stricture.*

Igitur quodcumque inæqualem sanguinis per canales in corpore commatum facit; id etiam ad excludendas hæmorrhagias confert. Jam nullum sanguinis profusivum, maximeque omnium hoc per nares succedens, unquam facile sine cutis partiumque extremarum stricture, vasorum detumescencia, horripilatione, refrigeratione, sine alvi adstrictione, flatuum retentione, borborygmis in ventre, membrorum lassitudine, doloribusque in ventre contingere solet, ut potius hæc phænomena ipsam profusionem ordinario vel comitari, vel antecedere soleant. Ex quo fit planum: spasticam quandam fibrarum & vasorum in extremis maxime partibus minimorum stricturem, inæqualis sanguinis circuitus esse causam. Nimirum, quando per crispaturam hanc spasticam vascula sanguinem potissimum, tum etiam lympham, aut alios succos revehencia, nec non excretorii illi in cute tubuli, per quos juxta naturæ legem serosa sanguinis portio expurgatur, comprimuntur, sanguis ad



ad vasa interna majora regurgitat, quo major citatiorque cordis & arteriarum proriturus contractio, & ipse sanguis ad partes, præsertim debiliores, validius appellitur, ubi ejusdem congestio, aut decubitus, demum causam eruptionis sanguinæ, vel aliorum gravium affectuum præbet.

## §. VI.

Quæ quum ita sint, expedita nunc est disquisitio, quo pacto aliæ adhuc causæ concurrant ad excludendum sanguinolentum hoc stillicidium. Jam scilicet ex facili reddenda ratio, cur, qui succis & sanguine redundant, quieti ac sedentariæ vitæ indulgent, voraces sunt & laute vivunt, corpus tamen, præsertim pedes, frigori incautius exponunt, accedente impensiori corporis vel animi motu insueti, aut assumtis iis, quæ sanguinem plus exagitant, aromaticis, spirituosis, cerevisiis, vinis, pharmacis calidis volatilibus, nec non admixtis balneis fervidis, sanguinis per nares fluxum crebro & promte incurrant; eo quod his liber ubique & æquabilis sanguinis comitatus intercipitur, ut is per minima vasa sæcra ad omnia loca æqualiter distribui nequeat, sed dispositas partes nimium obruendo, ibi erumpat.

*In plethoricis exagitatione sanguine.*

## §. VII.

Haud difficulter quoque reperiunda sic causa, cur ad certam æris atmospherici constitutionem crebro hæc hæmorrhagia erumpat. Per observationem enim est incomperto, plures, vere potissimum & auctumno circa æquinoctia, in proveciore etiam ætate narium incurrere stillicidium, non sine levamine. Tum quippe inæqualis admodum esse solet æris habitudo & frequens ex calido in frigidum, ex sicco in humidum, ac vice versa mutatio. Qua vicissitudine crebriori, quia instratum corpori nervo-vasculosum cutis emunctorium male afficitur & tonus ipsius cum transpirationis successu labefactatur; mirum non est,

*Sub æris, auctumno & vere, vicissitudine.*

sanguinis cursum ordinatum turbari & ad sanguinis eruptiones ansam præberi.

## §. IIX.

*Et ex frigido ac humido in elastico & vice-versa mutatione.*

Eidem causæ tribuendum, quod narium profluvium quandoque populares habeat circuitus, tum scilicet, quando nimis frigidam & humidam aëris ex austro & septentrione constitutionem, subito excipit in elasticam habitudinem mutatio, vel etiam versa vice vicissitudo succedit. Sic enim illa per cutis poros succedens copiosa humidi exhalatio turbatur, ferotior sanguinis pars augetur, majori copia ad vasa ampliora ipsumque cor redit, quo validior in his systole & validior quoque fluidorum impulsus, sed inæqualiter procedens, inducitur.

## §. IX.

*In iis qui morbis spasticis obnoxii.*

Neque minus in prono est judicare, qui fiat, ut sanguinis per nares excretionem sæpe incurrant viri, qui rheumaticis, nephriticis, arthriticis & ischiadicis doloribus sunt obnoxii. Absolvuntur enim hi morbi moribus & stricturis spasticis, quibus reddito inæquali sanguinis meatu, ejusdem collectiones & eruptiones in aliis locis præter naturam contingunt. Vnde eximium utique Hippocratis lib. de prædict. II. monitum, præcipientis, ut ex ægris provectæ ætatis ischiadicis & rheumaticis doloribus affectis quærat: num ipsis adolescentibus vel juvenibus ex naribus sanguis fluxerit.

## §. X.

*Quibus resistarunt alia sanguinis evacuationes.*

Non adeo insolens porro est, ut resitante in feminis præsertim junioribus, gravidis quoque, mensium, & in puerperis lochiorum, nec non in viris hæmorrhoidum fluxu, facta palindrome, narium stillicidium excipiat sanguinolentum. Nulla tamen alia pariter subest causa, quam quod spasms, quibus omnes hæmorrhagiæ stipari solent, æquilibrium motus sanguinis progressivi tollatur, isque ad loca excretioni dicata cum impetu agatur, ibi vero exitu

tu præclusus, ruat ubi congruum invenit locum ibidemque egrediendi sibi paret viam.

## §. XI.

Frequenter præterea incidit, ut, in iis potissimum, qui tenerum, spongiosum & ad hæmorrhagias dispositum corpus nacti, febribus, præsertim synochæ exquisitæ, sese associet, nec non quartanæ superveniat, atque etiam in exanthematicis morbillosis & variolosis, ante eruptionem accedat sanguinis per nares profusio. Cujus phænomeni ratio non nisi spasticis nervosarum partium vehementibus stricturis tribuenda. Has enim nunquam fere non his in morbis præsto esse, quæ antecedere solent luculenter indicant, urinæ scilicet tenues, alvus stricta, cutis ad levem auram admixtæ horripilatio, refrigeratio, inquietudines & anxietates, donec accedente faciei rubore & inflatione capitisque dolore, erumpat sanguis.

*Qui febribus cum spasms deinentur.*

## §. XII.

Nec prætereundum, Medicorum observata subinde fidem facere, quod iis, quibus grandius paullo ex corporis membris mutilatum, aut amputatum, frequens esse soleat sanguinis e naribus stillicidium. Etenim eadem postea adhuc estque manetque sanguinis & chyli quantitas, spatium vero, quo diffundendi succi, minus quam antea, unde cruor stagnat in minimis, & ut aliorum vergant motus e-luctatorii, facit.

*Quibus etiam grandius membrum ademtum.*

## §. XIII.

Accedit alia inæqualem sanguinis motum præter spasmus inducens causa, viscerum scilicet sanguineorum, hepatis & lienis, infarctus atque obstructio. Hic enim dum obex ponitur sanguinis per vasa cum his visceribus communicantia com meatui, aliorum convertitur ejus motus ac impetus, ac non raro superiora ipsumque caput petit. Atque hinc accedit, ut inveterato scorbuto, hydropi & cachexiæ demum, accedat hæmorrhagia sæpe funesta.

*Aut viscera sanguinea obstructa.*

sta. De quo præscum jam Hippocratis de prædict. testimonium, magnos lienes comitari hæmorrhagias.

## §. XIV.

*Narium hæmorrhagia differt ratione quantitatis.*

Ipsum autem sic concurrentibus variis causis exclusum sanguinis stillicidium, vel ex dextra, vel ex sinistra nare, raro ex utrisque simul, succedit, ac præterea, pro uberiori, vel parciore sanguinis ad caput affluxu, ejusdemque ibifaculo decubitu, ratione quantitatis multum differt. Interdum enim aliquot tantum stillant guttulæ, quandoque effluunt aliquot uncia, nonnunquam vero tam effuse per aliquot horas manat sanguis, ut quinque vel sex librarum pondus æquet.

## §. XV.

*Ratione successus & frequentia.*

Dein hæc narium hæmorrhagia, ratione successus, quibusdam longius, quibusdam brevius accidit. Quosdam etiam sæpius, quosdam rarius, infestat. Pueris scilicet & adolescentibus familiarior est, rarior viris ac senibus. Incidit quoque frequentius in virilem, quam femininum sexum, cui exundans sanguis solenniter expurgatur per uterina vasa. Neque minus ut plurimum & crebrius observatur in iis, qui spongiosiori, copiosis atque exilibus dotato corporis habitu præditi, non vero ita in macilentis & amplis vasis pollentibus, quibus tamen si accidit hæc hæmorrhagia, esse solet effusior.

## §. XVI.

*Facile redit.*

Præterea attentior docet observatio, eos, quibus inunte ætate copiosa mucida & serosa per aures, nares oculosque exierunt, superatis pubertatis annis, narium hæmorrhagiæ fieri obnoxios. Hæreditariam etiam sæpius esse hanc sanguinis evacuationem & a parentibus transire in liberos experientia constat. Et nullam hæmorrhagiam tam facile repetere, quam quæ par nares contingit, est pariter certum; ita ut elapso diei, aut tantum aliquot horarum spatio, sæpe recrudescat.

## §. XVII.

## §. XVII.

Jam omnes quidem solitæ & frequentes sanguinis fluxiones, debiliorem naturam, hoc est, talem partium corporis structuram, quæ impeditiori minusque æquabili sanguinis progressui favet, indicant. Interim tamen salutares omnino sunt, quando a nimia sanguinis mole, in spongioso maxime corpore, stagnationum pessimarumque palliorum metus est. Nec desunt numerosissima apud observatores Medicos exempla, quibus vertiginem, scotomiam, gravativos capitis dolores, phrenitidem, convulsiones quoque & epilepsiam, per narium hæmorrhagiam soluta annotarunt. Vicissim quam gravia damna a præpostera hujus excretionis suppressione insequantur, vertigines, apoplexiæ, epilepsiæ, convulsiones, aurium cum auditus difficultate tinnitus, nec non serena gutta, vel solus primus artis parens Hippocrates passim confirmat, maxime prædict. & in coctis.

Quandoque  
salutaris est  
plethoricis.

## §. XVIII.

Criticæ quoque & salutares sunt ut plurimum narium hæmorrhagiæ, quæ in synocha febre, semicritico die, inter tertium scilicet & quartum, vel etiam critico pleno, septimo erumpunt, & has febres, a plethora ut plurimum ortas, solvunt.

nec non in  
synocha.

## §. XIX.

Attenta in artis exercitio observatio docet, & ab Hippocrate jam notatum, eos, quibus in pueritia frequentia fuerunt narium stillicidia, accedente juventute, facile incurrisse pectoris morbos graves, hæmoptysin, pleuritides, peripnevmoniam ipsamque phthisin; in proventiori autem ætate virili, hæmorrhoidali fluxui, affectibus rheumaticis, arthriticis, ischiadicis, nephriticis & colicis factos fuisse obnoxios.

Frequens  
nimis pue-  
ris, juveni-  
bus & adul-  
tis morbos  
inducit.

## §. XX.

## §. XX.

*Enormis ac  
diuturna  
necat.*

Enormes ac diuturnæ sanguinis per nares profusiones, quando ex vehementioribus internarum partium spasibus pendent, præcedentibus extremorum refrigerationibus & lipothymis, terminari solent tandem in mortem. Vidimus id ante quadraginta annos in femina generosa, in qua post mortem carotides mirum distentæ & duplo capaciores, inferior autem coli portio arctius stricta, compa-  
nerunt.

## §. XXI.

*Symptoma-  
tica in ex-  
anthemati-  
eis, mali-  
gnis & chro-  
nicis morbis  
periculosa.*

Quæ febribus exanthematicis, vel etiam malignis, ubi summa virium prostratio, accedere solet narium hæmorrhagia, monstri aliquid alit semper, viresque magis adhuc de-  
jiciendo & sanguinis ad corporis superficiem cursum unacum materiæ peccantis expulsionem minuendo, periculum adducit gravissimum. Quæ etiam in chronicis morbis, ubi viscera destructa, erumpit, ad mortem ducit, eaque propter cachecticis & hydropicis funesta ut plurimum observatur sanguinis per nares evacuatio.

## C V R A T I O.

## §. I.

*Remedia  
opponenda  
causis.*

SI enorme sanguinis profluvium præfens est & periculum minatur & nimium destruit vires utique auxilio Medici opus est. Versantur autem medendi rationes potissimum in eo, ut perspectis genuinis causis, ea opponamus, quæ illis tollendis sufficere possunt.

## §. II.

*Redundan-  
tis sangui-  
nis orgasmo.*

Quando itaque nimia humorum & sanguinis redundantia atque expansiva ejus vis & turgescencia liberio-  
& æqualem per minima vasa transitum impediens, immodicam talem fluxionem causatur, quod præsertim fit in corpore juvenili, verno tempore & a motu corporis paullo  
fortio-

fortiori, vel etiam ab ingestis spirituosis sanguinem exagitantibus, præter venæsectionem, quæ etiam simul diver-  
 tit motum sanguinis a capite, nitrosa omnibus aliis, ad ni-  
 mium organum compescendum & relaxandas etiam spa-  
 sticas partium stricturas, palmam præripiunt. Olim jam  
 ipse *Paracellus*, nec non *Hildanus*, hoc sale tantum pu-  
 rificato, in omnibus hæmorrhagiis cum fructu usi sunt. Et  
*Riverius* in praxi & observationibus suis, huius remedii ef-  
 ficaciam in sistendis fluxibus sanguineis non satis dilaudare  
 potest. Similis tamen effectus, ut paulo inferioris, sunt ipsa  
 acida, tam temperatiora ex vegetabilium familia, ut ci-  
 tri succus, berberum, aqua & succus acetosellæ, quam  
 potentiora ex mineralibus, ut phlegma, seu spiritus vitri-  
 oli dilutus, vel tinctura rosarum & florum bellidis, cum  
 aqua acetosellæ & spiritu vitrioli præparata, & cum aquæ  
 fontanæ potu, cujus etiam magna vis est, intestinam illam  
 sanguinis elasticam vim componendi, propinata.

nitrosa.

Acida.

## §. III.

Quia vero in effrenibus ejusmodi & periculosis san-  
 guinis profluviiis spastica quædam nervosarum partium stri-  
 ctura plerumque subest, quam presso, ut dicunt pede, in-  
 æqualis fluidorum sequitur progressus, præter jam laudata  
 nitrosa, ad blanda anodyna subinde est confugiendum, quo-  
 rum in numero papaveracea, ut aqua, vel etiam extractum,  
 aut sirupus papaveris rhœados, sirupus papaveris albi, e-  
 mulsiones, quæ semina quatuor frigida & semen papaveris  
 albi habent, & ex aquis florum acaciæ, sambuci, tiliæ,  
 ulmarie, chamomillæ vulgaris, primulæ veris confectæ  
 sunt. Peristente vero pertinacius validiore solidorum im-  
 petu, descendendum ad efficaciora, & aliquod grana massæ  
 pilularum de cynoglossa offerenda. Camphora quoque,  
 propter sulphureas, quas copiose spargit, exhalationes, seda-  
 tivum præstat effectum, præsertim si cum nitro, antimo-  
 nio diaphoretico, parcius & refractorius ejus dosis permixta  
 fuerit.

Spastica  
strictura fe-  
stenda ano-  
dynis.

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

C

fue-



fuerit. Qualis pulvis insignem inprimis locum invenit, si exanthematica quædam materia, ut sæpius evenit, ejusmodi sanguinis profusionis causa fuerit. Ex omnibus vero ad moderandas sanguinistam per narium, quam alia loca profusiones, vix tutius & certius datur ullum remedium, liquore meo anodyno minerali, qui sulphure vitrioli anodyno foetus & penitus satur est, & sive solus, sive adhuc melius, pulveri nitroso nuptus & cum aqua tantum fontana datus, organum sanguinis illum effrenem protinus compefcit.

## §. IV.

*Sanguinis a capite affluxus divertendus derivantibus.*

Præterea urgente gravius malo, ut sanguinis impetus a superioribus divertatur & alio dirigatur, curandum. Hunc in finem proficua plura. Palmarium venæsectio in parte inferiori instituta. Deinde egregia pediluvia temperata, vel immisiones manuum in aquam tepidam, quibus laxantur fibræ, partiumque vasculorum tonus remittitur, & sic quodammodo nimius sanguinis ad superiora affluxus impeditur.

## §. V.

*Alvum laxantibus.*

Cum porro materia acris biliosa, flatuum & spasmodorum genitrix sæpius, & præsertim in hypochondriacis immodicæ sanguinis fluxionis causa sit; derivandi scopo certe egregia virtus eorum, quæ canalem intestinorum blande expurgant. Quæ interius dantur, sint temperatiora roborandique simul facultate donata, cujus generis sunt rhabarbarina, rhabarbari pulvis, in substantia cum aliquot salis polychrestii & nitri granis permixtus, vel passulæ rhabarbarinæ. Exterius idem præstant clysteres ex emollientibus, carminativis temperatis & oleosis parati, qui latentes in intestinali canale spasmos & flatus mulcent ac evehunt.

## §. VI.

*Et externis.*

Divertunt demum etiam nimium sanguinis affluxum simulatque imbecillio rem partem roborant exterius appli-



applicata fronti, naribus & collo refrigerantia, cum discutientibus mixta, ex quibus probatissima virtutis epithema, quod ex aceto rosaceo, rutaceo, nitro, camphora, oleo ligni Rhodii paratur, atque etiam naribus attrahi potest.

*CAVTELÆ ET OBSERVATIONES  
CLINICÆ.*

§. I.

**Q**ui impetuosis & frequentioribus narium hæmorrhagiis obnoxii sunt, ad has præcavendas, corpus, maxime pedes, ipsumque caput, a frigore probe defendere debent, ne perspiratio impediatur, quæ sicuti ad omnes hæmorrhagias, sic etiam hanc, multum confert, dum abundantia sanguinis & humorum etiam impurorum inde progignitur. Consultum igitur est, præter abstinentiam a largo victu, hanc excretionem corporis motu, & infusis theiformibus, ex herba veronicæ, summitatibus millefolii &c. servare ac promovere.

*Ad præser-  
vationem  
servanda  
perspiratio.*

§. II.

Qui hæmorrhagiis in juventute frequentius fuerint tentati, postea iis cessantibus & neglecta etiam sanguinis missione, cavere maxime debent ab omni vehementiori corporis motu, etiam intenso clamore, sermone ac voce. Observavi enim in aliquot litteratis doctis capitibus morbos fere immedicabiles, aurium tinnitum perpetuum, capitis dolorem, paralyfin quoque supervenisse.

*Vitanda  
corporis ex-  
astuatio &  
clamor.*

§. III.

Maxime omnium vero post enormes hæmorrhagias cavendum est a refrigeratione corporis, etiam capitis, nec non a terrore. Hoc enim neglecto, ingentem torporem, stuporem, dolorem gravativum capitis, cum dolore oculorum, visus imbecillitate, vertigine subortum observavimus, quin summam totius corporis debilitatem ipsius-

*Refrigeratio & ter-  
ror.*

que apoplexiæ metum. Nam quo plus exhaustum sanguine corpus, eo magis cavenda sunt ea, quæ sanguinem ab externis partibus ad interiores repellunt.

## §. IV.

*Externis  
qua cautio-  
ne utendum.*

Eandem ob causam in profusa hæmorrhagia caute, & quidem statim ab initio, mercandum est cum frigidis & adstringentibus, tam per nares attrahendis, quam epithematis forma exterius applicandis. His enim incautius admotis, sanguinis impetus, obstructis naribus, vel ad asperam arteriam & pulmones, suffocationis metum, vel ad interiora cerebri conversus, apoplexiæ periculum infert. Tutius potius est & consultius, præmissis pediluvii, & alvo per clysteres soluta, ac venæsectione, si opus fuerit, in pede administrata, externis hisce demum uti.

## §. V.

*In plethoricis hæmorrhagia non  
vi sistenda.*

Illæ sanguinis fluxiones, quæ a sanguine nimium redundante, omissa consueta venæsectione & deficiente in feminis menstruali purgatione, vel emanante lochiorum in puerperis, aut in viris hæmorrhoidum fluxu, oboriuntur & plus salutis quam periculi afferunt, nullo modo sistendæ sunt cum vi. Si vero modum exceßerint, præter derivantia jam dicta, corallia cum speciebus de hyacintho & nitro mixta, ac succo citri imbuta, propinare sufficiet.

## §. VI.

*Neque etiam  
si periodica  
est.*

Neque minus maximopere est cavendum, ne consuetæ per periodum recurrentes ejusmodi hæmorrhagiæ subito cohibeantur externis, aut internis. Inde enim in senibus lethargum, imo apoplexiam obortam, non semel observavimus.

## §. VII.

*In cholericis  
frigidus potus  
prod. est.*

Solo frigido aquæ fontanæ in & extra paroxysmum potu, modo externa corporis superficies convenienti foveatur calore, successive ad duas vel tres mensuras singulis diebus hausto, narium hæmorrhagias compositas esse novimus,

vimus, præsertim in cholericis, biliosis & ubi intensior partium sulphurearum orgasmus est, qui hac ratione optime complacatur & blandus plerumque sudor optimo effectu suscitatur. Quare non improbandum consilium, ut, qui immodicis & crebrioribus vexantur hæmorrhagiis, aquam fontanam, sed puram, ordinarii potus loco bibant.

## §. VIII.

In symptomaticis & raro cum bonis agrorum rebus decurrentibus ejusmodi profluviis, qualia febres exanthematicas, variolas, morbillos, purpuram scorbuticam, imo ipsas petechias comitantur, non alia convenit exhibere remedia, quam quæ nimium æstum moderando, cuticularem perspirationem blande promovent, inter quæ frequentis & probati usus mihi est mixtura ex aquæ florum sambuci uncis quatuor, aceti destillati uncia una, lapidum cancrorum, diascordii Fracastorii, ana drachma una; nitri scrupulo uno, addita syrupi papaveris rheados sufficienti quantitate; de qua bihorio quovis æger duo cochlearia capiat & temperato lecti calori se committat. Ac si quippiam malignitatis subest, pulvis ex antimonio diaphoretico, nitro depurato & camphora propinandus.

*In symptomatica quid faciendum.*

## §. IX.

Quibus in pueritia & adolescentia sanguis frequentius e naribus stillavit, si haud raro, cessante postea hac fluxione, capitis, oculorum & aurium vitiiis, nec non tumore parotidum vexantur, vel etiam gravioribus malis, epilepsia, phrenitide, idiopathica, vel symptomatica, affliguntur. Quod ubi incidit, tum utique commode, si caput ejusque vasa sanguine turgent, nares ad sanguinem fundendum externo artificio irritandæ & aperiendæ sunt, idque plerumque penna, vel stramine in nares fortius intruso, vel instrumento scarificatorio perficitur. Idem cum fructu adornatur, si in febribus synochis & sanguineis ingens sanguinis

*Emanens quibus proritanda.*

guinis impetus ad caput præsto est, & gravia symptomata sine eius effusione efficit.

## §. X.

*Ab animi  
affectibus  
quomodo  
tractanda.*

Hæmorrhagiæ impetuosæ, quæ fiunt a gravibus animi affectibus, peculiarem tractationem postulant. Quod si enim ab animi excandescencia sunt, pulveres antispasmodici, nitrosi, cum pura aqua frigida successively dati, eximie profunt; si vero a gravi moerore oriuntur, diaphoretica cum antispasmodicis mixta, liquor noster anodynus mineralis, cum quarta parte spiritus Bussii, cum regimine blande diaphoretico, omne curationis absolvent punctum.

## §. XI.

*Nec non in  
cachecticis  
& scorbuticis.*

Cachectica si fuerint corpora hæmorrhagiam hanc incurrentia, rhabarbarina, variis modis crebriusque oblata, sive sola, sive cum salibus digestivis permixta, omnibus aliis id genus remediis præferenda esse experientia didicimus; si vero scorbutica viscerum labes subest, feri lactis cura, interpositis rhabarbarinis, erit omnium optima.

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

*Hæmorrhagia in  
cachectico le-  
thalis.*

Vir sanguineo-phlegmaticus, quadragesimum ætatis annum egressus, a multis jam annis, tam cerevisiæ, quam vini potui nimium indulgens & cachecticus redditus, incidit in icterum, qui congruis remediis rhabarbarinis & aperientibus item discutientibus externis aliquoties sublatu, sæpius rediit, ac tandem cutis nigrore prorsus tincta, simul narium erupit hæmorrhagia, quæ remediis compefci potuit nullis, sed diu noctuque sanguis tenuis, lividus, coagulum prorsus respuens exstillavit, subsequuta virium jactura summa, & extremis semper frigescentibus, mente constanti obiit.

*Epicri-*

*Epicriffs.*

Omnes sanguinis profusiones in cachecticis corporibus, si modum excedunt, atque ex vitio & obstructio-  
ne hepatis vel lienis fiunt, multum periculi alunt, nec  
facile admittunt sanationem, duplicem potissimum ob cau-  
sam. Scilicet propter obstructa alicubi vasa æqualis san-  
guinis cursus turbatur, & ad aliam partem plus, quam se-  
cundum naturam debebat, sanguinis convehitur, cui post-  
ea facile supervenit eruptio ipsa. Dein si viscus nobilius,  
quod, uti hepar, sanguinis repurgationi, sulphureas acres  
partes secernendo, dicatum, est obstructum, remanenti-  
bus intus his recrementis, succi in corpore fiunt salsi, acres,  
impuri ac intemperati, qui postea partim spasmos conci-  
tando intensos, partim tenera vascula erodendo, plane hæ-  
morrhagias faciunt incompefcibiles. Id quod sæpius eve-  
nisse vidi ictero nigro laborantibus, inter quos etiam fuit,  
cui ex gingivis sanguis tam effuse profluxit, ut nullo mo-  
do posset reprimi. Narium quoque hæmorrhagiam ex icte-  
ro nigro lethalem annotarunt M. N. C. *Dec. II. ann. II. obs.*  
*144. pag. 318.* Et maxime omnium hanc in rem notan-  
dum *Heurnii* testimonium, quod notis in *S. III. aph. XX.* ita ha-  
bet: *vidi nonnullos, quum a vini liberaliori usu astuarent*  
*& in hæmorrhagiam transirent, tandem evasisse ictericos*  
*moxque in hydropem abiisse calamitosum hoc malum.* Nec  
non illud, quod *epid. L. VI.* consignavit: *qui vitio lienis la-*  
*borant, & quibus viridi atroque colore tinctis, nares san-*  
*guinem fundunt, malum.*

## OBSERVATIO II.

A triginta, & quod excurrit, annis animo adhuc ob-  
versatur memoratu dignum de hæmorrhagia narium lethali  
exemplum in femina illustri, tum heic degente. Erat  
hæc circiter trigenaria, macilenta & natura alvi segnioris,  
& cum utero gereret, perpetuas, ultimis præsertim men-  
sibus

*Hæmorrhagia narium  
in puerpera  
lethalis.*

sibus habuerat querelas, de calore lento continuo, vires mirum atterente, cum intercurrente cordis palpitatione & quandoque tanta pulsuum debilitate, ut vix perfentirentur, & ægra vernacula asseveraret: *Es wäre ihr, als wenn das Herz gar keine Krafft hätte und in Wasser läge.* Post superatos partus labores, lochia manarunt non sufficienter, & successit e naribus fluxus satis largus sanguinis tenuis non coagulum affumentis. Subistente hæmorrhagia hac interjecto aliquot horarum spatio, incefferunt puerperam pathemata spastica truculenta, cum extremorum frigore summisque anxietatibus, sub quibus mens ipsa sibi non constabat animusque desperans erat de salute, donec erumpente rursus e naribus sanguine, pathemata sensim remitterent & mens ad se rediret. Discessit postea hoc sanguinis profluvium iterumque accessit per paroxysmos, ita, ut per duas vel tres horas succederet, postea ad duodecim vel octodecim horas inducias daret, tum præviis anxietatibus, inquietudine, extremorum frigore, & faciei rubore rediret, inter quæ antecedentia pathemata mens semper erat aliena & desperatis cogitationibus adeo turbata, ut nec divini verbi solatia eidem erigendo sufficerent, quæ tamen extra paroxysmum avide sibi applicabat decumbens. In hoc tam gravi malo, consilia & auxilia adhibita multa; venasectionem natura horruit ægra, laxantia autem, clysteres, pediluvia, frictiones, nitrosa omniaque alias præstantissima fuerunt frustranea. Vnde per continuans sanguinis profluvium vires profus exhaustæ atque dejectæ, pulsuum ictus facti inæquales, inquietudo perpetua, donec exactis inter hæc quatuordecim diebus, lipothymia tandem sub ipso paroxysmo spastico occumberet lethali.

*Epicrisis.*

Quamvis narium profluvium hoc in casu speciem præbuerit critici & salutaris in locum lochiorum minus sufficienter fluentium succedentis; tamen propter pathemata in tenera & debili puerpera supervenientia spastica hysterica, utique exitii fuit plenissimum. Tanto certius autem fuit periculum ac damnum, in persona, cujus vires propter æstum, diutius jam corpori tempore, quo utero gessit, inhaerentem, crasin sanguinis & temperiem naturalem destruentem, unde etiam sanguis sine coagulo prodiit, jam attritæ, & postea per ipsum profluvium penitus quotidie magis prostratæ sunt atque dejectæ. Nam spasmi semper in corpore viribus destituto graviores sunt & pertinaciores, & vel hæmorrhagias, vel inflammationes, aut congestiones sanguinis, in capite relinquunt. Unde, quando gravidæ, ultimis præsertim mensibus, cum æstu interno de virium debilitate valde queruntur, vidi sæpe & prædixi in puerperio pravos eventus. Liqueet etiam ex hac morbi historia, in paroxysmis spasticis redeuntibus, desperabundas illas & melancholicas anxias mentis alienatæ cogitationes originem suam in femina alias eximia pietatis, a congestione & stagnatione sanguinis in cerebri vasis traxisse, minime vero, ut vulgus autumat, a malo dæmone fuisse obortas, quum fluente sanguine per nares & spasimis remittentibus, omnia pathemata desperabunda simul quoque & semel exspirarint.

## OBSERVATIO III.

Juvenis perillustris, sanguineæ constitutionis & facie floridus, in pueritia & adolescentia crebro jam fuerat expertus narium stillicidium, & postquam in nostram hanc ante aliquot annos concessisset Academiam, tantam sanguinis e naribus profudit successive copiam, ut sex, vel octo mensuras compleret. Quo inducta ingens virium dejectione, *Hæmorrhagia rebellis & copiosa sanata potu frigida.*

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

D

ctio,

ctio, cum appetitus languore visusque hebetudine. Data quidem plura congrua alias remedia, sed frustra. Tandem & ego in consilium vocatus suasi, ut ordinarii potus loco aquam fontanam frigidam, cum tinctura rosarum, spiritu vitrioli acidulata & sirupo berberum remixta biberet, corpusque exterius, præsertim pedes, probe a frigore defenderet. Quæ cum aliquandiu per quatuordecim circiter dies servasset, substitit sanguinis fluxus, ac posteaquam jusculis nutrientibus gelatinosis ex carnibus sanguis exhaustus nimis reparatus, convaluit æger ex voto & ipsa quoque visus hebetudo cessavit.

*Epicriss.*

Hæmorrhagiis sunt maxime obnoxii juniores, sanguinei & sanguineo-cholericæ, habitus corporis spongiosus, iidemque miram sic sæpe quantitatem sanguinis, citra vitæ periculum, profundunt. Consignatæ sunt ejusmodi largi profluvii historiam a *Zacuto Lusitano*, *Valleriolo*, nec non *Foresto*. Et nuper admodum retulit mihi Theologus, se per multos jam annos obnoxium esse tam largo narium stillicidio, ut nonnunquam uno die vel quinque mensuras perdat, facie tamen semper rubicunda, pulsuque auctiori manente, nec quicquam proficere adhibita media, quin cohibito per spiritum vini naribus attractum fluxu, spirandi accedere anxietatem. Sed modo viscera salva sunt, nec sanguis impurus scorbuticus; restitutionis tamen spes est, licet vires haud leviter per nimiam sanguinis jacturam atterantur. Ex omnibus vero ejusmodi in casibus præsentaneæ virtutis frigidus potus, ex aqua tantum simplici, sine additione acidorum, eaque sæpius cohibitam e naribus hæmorrhagiam vidi. Id tamen monendum, hoc remedium in iis tantum obtinere locum, qui non ex viscerum obstructionibus & internarum partium spasticis stricturis, sed ex nimia elasticitate & expansione partium in sanguine sulphurearum, atoniam vasorum inducente, hoc malum



malum incurrunt. Frigus enim sic cum potu intro admiffum, compefcit organum fibrasque nimium remiffas adducit, coque facit, ut fanguinis impetus ab affectis locis difcedat & ad exteriora ab interioribus divertatur, ac haud raro fudor erumpat, boni in hæmorrhagiis femper ominis. Eadem hæc medicatio etiam locum habere potest, ubi a fortiori corporis motu, calida tempestate, potu fpirituofa atque etiam ardenti veneris maxime defiderio, fanguis valide exagitatus prorumpit. Quo cafu præterea *Hildanus* non fine ratione immiffionem in balneum frigidum fuadet.

## OBSERVATIO. IV.

Generofa femina, quinquagesimum sextum ætatis annum ingreffa, vegetæ alias constitutionis, per quinquennium admittere noluit fuctam alias venæfectionem, fed interea aliquoties hæmorrhoidalium venarum ftillididum fuerat experta. Hæc ante mensem, eo tempore, quo propter æris constitutionem infalubrem varii generis febres circumibant, etiam paroxyfmo corripiebatur febrili, accedente tertio die delirio levi & narium ftillididio parco, quo tamen delirium non remiffit, fed perfiftit potius cum leni quodam et continuo cutis madore. Medicus in confilium vocatus dedit nitrofos & cinnabarinofos pulveres & quotidie aliquot mendifuras aquæ frigidæ ebibere juffit. Accedente fexto die graviora facta funt cum delirio pathemata, unde Medicus, quod primis diebus faciendum fuiffet, venam fecare jubet in pede & decem circiter fanguinis uncias emittere. Inde quidem æftus & pulfus fedatior factus, delirium quoque remittere vifum, remanfuit tamen languor maximus, quin octavo die redierunt priftina pathemata, fi non majori, acerbitate tamen eadem. Tandem quoque per uterum & anum excreta fuit ingens non tam fanguinis, quam feri fanguinolenti quantitas. Hinc

*Hæmorrhagia in fynocha venæfectione turbata cum damno.*

iterum remittere visa primum morbi atrociam, sed exacerbata paullo post denuo. Accessit præterea singultus, quem Medicus frigida aqua clystere ano infusa compressit. Post hunc rursus per uterum magna feri colluvies evacuata, ac postremo fatis cessit ægra.

*Epicrisis.*

Ad hanc ægram accerserem die septimo & ego; sed malui spectatorem agere tantum, quam medicationem suscipere. Expectavi potius exitum, quem prædixi, brevi funestum, tanto magis, quum de evacuatione feri sanguinolenti per uterum & anum redderem certus. Interim testimonio est hæc morbi historia, venæsectione non interceptum, aut anticipandum esse criticum sanguinis fluxum, qui in synocha febre septimo die solet erumpere. Haud dubia & fallacia enim fuerunt indicia, naturam ejusmodi criticum fluxum fuisse suscitaturam, eaque propter venæsectio primis, non postremis diebus, fuisset instituenda, naturæ negotium certo turbatura. Vicissim nunquam ego cum bonis agrarum rebus accidisse novi secesum non sanguinis, sed feri sanguinolenti per uterum. Et enim putrida talis hæmorrhagia labem in utero haud obscure innuit inflammatoriam, tanto certius, quo magis delirium & symptomatum inde oriundorum nullum levamentum ferunt testimonium.

OBSERVATIO. V.

*Hæmorrhagias morbil-  
lis accedens  
sanata.*

Juvenis Hebræus, constitutione sanguineus, decimo octavo ætatis anno morbillis correptus, experiebatur simul narium hæmorrhagiam copiosam, cum anxietate præcordiorum pectorisque oppressione eximia. Vocatus ego dedi mixturam, ex decocti cornu cervi aquæ florum sambuci uncias quatuor, succi citri uncia dimidia, coralliorum drachma, nitri puri, diascordii Fracastorii scrupu-

serupulis duobus, sirupi acetositis citri uncia semis. Qua per vices cochlearium assumta, eruperunt nocte una morbilli, sedata symptomata, compressa hæmorrhagia.

*Epicripsis.*

Morbillis complicari narium stillicidium non adeo rarum est, præsertim in plethoricis. Quin in sequiori sexu non modo per nares, sed vomitum etiam ac uterum sanguinem effusum esse novi, inprimis in iis, quæ exquisitius sentientis & ad iram pronæ naturæ. Sed si in exanthematicis ejusmodi morbis incidit hæc hæmorrhagia, eadem neutiquam sedanda per frigida, sed illa, quæ materiam illam acrem causticam nerveis membranis insidentem easdemque ad spasticas stricturas sollicitantem contemperant simulque blande expellere juvant. Et hunc utique effectum adhibita mixtura præstat egregie, de quo præterea multiplicia experientiæ sunt mihi testimonia.

## OBSERVATIO. VI.

Puer generosus tener, octennis, ipso hoc anno, quo *Hæmorrhagias cum febres admodum frequentes, incidit in quartanam, quæ licet aliquoties depelleretur, semper tamen rediit, ut æger quartana demum abdomen inflatum & faciem lividam circumferret, sanata.* quibus crebriores accesserunt hæmorrhagiæ narium. Minus fausti hæc videbantur ominis; nihilominus adjuvante DEO, infuso rhabarbarino, cum lixivio alcalino & nitroso, admixtis extractis amaris, inter potum dato, febris ex toto quævit, omniaque pathemata cum hæmorrhagia discussa.

*Epicripsis.*

Mala utique fuerunt hæc indicia. Sed in infantibus, non tam facile obstructions & indurationes viscerum accidunt, quam in adultis. Et si etiam adfuerint primordia ejusmodi labis, facilius tamen hæc amaricantibus

& salinis iterum disjiciuntur ac tolluntur. Atque eidem causæ tribuendum, quod in nostro feliciter cesserit medicatio, quum, si in adultis eadem occurrunt phænomena, ex quartana facilis, quin certus, in cachexiam & hydropem sit transitus.

## OBSERVATIO. VII.

*Damna ex  
omissa hæ-  
morrhagi-  
am interci-  
piente V Sæ.*

Virum novi triginta circiter annos natum, spongiosi corporis habitu & temperamento, ut vocant, sanguineo, qui a primis ætatis annis frequens expertus fuerat, circa æquinoctia potissimum, narium stillicidium. Adultior postea factus, sanguinis missionem vere & autumnò admittit liberalem, quo narium hæmorrhagia quidem emanavit, sed solennes facti circa id tempus capitis dolores, sponte tamen iterum discedentes. Quum vero aliorum concedens, ex consilio Medici, suctam omitteret venæsectionem, vere ineunte gravativum capitis incurrit dolorem, cum faciei tumore ac rubore. Nihilofecius docentis, quod gerebat, munere strenue alta & elata voce fungens, aurium tinnitum & auditus gravitatem passus est cum torpore pedis & manus in latere dextro, quæ ipsum per multos annos ad mortem usque affligerunt.

*Epicrisis.*

Patet ex hac relatione, consuetas fieri plethoricis, circa æquinoctia præsertim, narium hæmorrhagias, easdemque instituta sanguinis missione posse intercipi. Quia igitur omissa postea venæsectione sanguis pristinam ad caput viam legit, mirum non est, subsequutas ibi stagnationes ipsius & gravativum sensum. Quin, quum per sermonem crebrum elatum magis augetur ad caput affluxus, factum utique, ut a cruore stagnante fecederet serosa portio, ad inferiora descenderet, ibique aurium tinnitum atque etiam torporem pedis manusque induceret. Ex quo id in usum practicum tenendum: pessima esse medentium consilia, quæ contra experientiam suadent, ut sucta sanguinis missio, propter vanum decrementi virium metum, ommittatur. CAPVT.

CAPVT II.  
DE  
SANGVINIS FLVXV EX  
PVLMONIBVS.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

**I**lla hæmorrhagia, qua sanguis floridus & spumans mediante tussi ex pulmone fertur, recepto in scholis medicis nomine, origine Græco, hæmoptysis appellatur. *Hæmoptysis quid?*

§. II.

Non omnis sanguinis e faucibus rejectio hæmopteos nomine insigniri debet. Nam sæpe e naribus in fauces & pulmones sanguis descendit, ac inde postea sreatu grumofus per os rejicitur, præcedente in palato titillatione, in capite dolore, aut gravitate. Interdum quoque per acrem tenuem destillantem humorem, ab erosis & fauciatis faucium, vel etiam ipsius asperæ arteriæ interioribus ramulis, sputum sanguine, vel sanguinis striis imbutum, educitur cum ipsa tussi; proprie tamen hæmoptysis dici nequit, nisi sputum eam vocare velimus. *Differt a sputo cruento.*

§. III.

Neque etiam nostræ considerationis hic erit sputum illud subcruentum, quod inflammatum in pleuritide vera pulmonem, circa quartum, aut quintum ut plurimum diem, sequitur; neque etiam illud, quod a causâ externa violenta, vulnere, contusione, vel graviori casu in pulmones subnasci consuefcit, sed quod a causâ interna excitatur, & a læsa

a læsa vasculari pulmonum substantia oritur, sicque proprie & stricte hæmorrhagia pulmonum dici potest.

## §. IV.

*Differen-*  
*tione quan-*  
*titatis &*  
*læsionis va-*  
*forum.*

Pro differente vasorum pulmonalium læsione & ejus quoque causa, varie, tam ratione modi, quam periculi & curationis, hic se habet affectus. Scilicet ubi sanguis spumans, floridus ac tenuis per intervalla, cum tussi, sine dolore, non adeo multus educitur, lateralium vasorum apertionem id denotat; ubi vero ubertim & magno impetu, quasi vomitu quodam, prorumpit, adeo, ut interdum magna inde pelvis impleatur, grandio rem venæ ramum vel in varicem expansum, vel in aneurisina arteriæ, quod sæpius accidit, abeuntem & ab Hippocrate jam animadversum, disruptum fuisse, est indicium. Qui casus, quo frequentius incidit, eo plus habet periculi, & repente nonnunquam tam grandis sanguinis effusio hominem exanimat, dum vel intus intra tracheam cohibitus cruor, ob defectum virium, pulmones obruendo suffocat, vel vacuato nimium sinistro cordis ventriculo a sanguine, lethalem excitat syncopen.

## §. V.

*Causa hæ-*  
*moptyses*  
*proxima in*  
*aqualis cir-*  
*culus.*

Vt vero ipsa hæc eruptio fiat, aliæ variæ causæ concurrant necesse est. Immediata quidem, sive proxima, est inæqualis & impeditior sanguinis per pulmonum vasa transitus, seu circulatio, dum majori copia & impetu in arteriam pulmonalem ejusque ramulos affluit & appellitur, quam venæ eum recipere & reddere possunt, quo dein successive fit magna tenuium ramorum, qui substantiam cellularem & vesicularem ipsaque bronchia perreptant, expansio, tandemque varicosa, seu aneurisimatica potius intumescencia, & denique violenta ruptio.

## §. VI.

*Quod testan-*  
*tur signa.*

Confirmant hoc uberius signa & symptomata, quæ malum hoc solent antecedere ac comitari. Scilicet invadit

dit illud per vices insultibus, & quasi per paroxyfmos revertitur sic, ut æger antea percipiat horripilationem in cute atque extremis maximeque pedibus refrigerationem, vasa in manibus dispareant, dolor in dorso, lassitudo & gravitas artuum affligat, borborygmi in imo ventre sint & alvus adstricta, in pectore gravativus sensus cum difficiliori spiritu observetur, donec sequente in faucibus titillatorio & secundum asperæ arteriæ tractum quasi pruriente sensu, sub calida ebullitione & undulatorio in dextro latere motu, ipsa eruptio sanguinis accidat. Hæc enim omnia indicant spasticam quandam externarum & internarum partium stricturam, sanguinisque motum non modo esse inæqualem, sed & a peripheria introverti, ad pectus vasaque majora cogi, ibi plus justo coacervari, impedito libero per pulmones ad cor transitu, regurgitare versus dextrum latus ibique calidi ebullientis sanguinis undulatorium sensum concitare.

## §. VII.

Sunt autem plura, quæ æquabilem illum & liberum sanguinis progressum, in quo maxime integritas functionis in quacunque parte constat, per pulmones turbant, pervertunt & sic ad generationem hujus mali conferunt. Nimirum quandoque nimia tantum & simplex sanguinis intra canales, ob auctum intestinum partium sulphurearum aëreo-ætherearum expansivum motum, turgescencia, seu orgasmus subest, quo systaltica & elastica in valis potentia minuitur ac demitur; unde stagnatio & nimia sanguinis ibi fit collectio, accumulatio, tandemque rami arteriæ pulmonalis apertio, vel ruptura.

*Inæqualem  
circulum  
facit  
sanguinis  
orgas-  
mus.*

## §. VIII.

Alia dein ratione per spasticas, tam externarum, quam externarum partium stricturas, pariter æquabilis & liber sanguinis per minima motus impeditur, ejusdemque im-

*Partium  
nervosarum  
spastica  
strictura.*

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

E

petuo-

petuosus cursus & appulsus ad alia loca, maximeque pulmones, inducitur. Unde frequens admodum in praxi est observatio, hypochondriaca passione laborantes, nec non pathematibus hysteris obnoxias feminas, in quibus ut plurimum mensium fluxus sub multis & atrocibus spasms difficulter succedit, incidere in hunc sanguinis e pulmonibus fluxum, non sine periculo.

## §. IX.

*Viscerum sanguineorum, nec non pulmonis obstructio.*

Haud dispar est ratio & effectus, quando obstructo, vel infarcto viscere sanguineo, præsertim liene, & inde affecto ventriculo, quod ex dolore tensivo in hypochondrio sinistro concludendum, incidit hæmoptysis. Etenim intercepto alicubi sanguinis libero per vasa transitu, vi legum hydraulicarum, impetus ejus sic increfcit, ut, ubi minorem resistentiam invenit, copiose confluat, vasa diducat tandemque perrumpat. Tanto vero certius tantoque gravius hoc malum excluditur, quando ipsis in pulmonibus magna consistit labes, ac vel vomicæ, aut tubercula in ipsius substantia, vel polyposæ concretiones in ramis vasorum majoribus hærent, quibus, dum obex ponitur sanguini transeunti, is utique qua datur via ruit, aut ubi subsistere cogitur, perrumpit & hæmorrhagiam facit admodum effusam.

## §. X.

*Disponit ad hæmoptysin, habitus corporis.*

Porro de iis, quæ remotius ad inducendam sanguinis e pulmonibus eruptionem faciunt, per ipsam experientiam constat: corpora graciliora, tenerioribus fibris & vasis prædita, quæ collo instructa longo, pectore angusto simulque quadantenus depresso, in quibus pulsus celerius micat, cor etiam subinde palpitat, una cum iis, qui a parentibus phthificis progeniti, in iram atque impatientiam sunt proclives, ac in juventute fluxum sanguinis per nares frequenter experti, desinente corporis augmento & in longum incremento, intra spatium anni viginti quinti ad



ad trigessimum quintum usque, accedentibus aliis causis externis, perquam facile in hunc ancipitem morbum prolabi.

## §. XI.

Non minus per observationem medico practicam in comperto est, ut plurimum & omnium facillime, hoc sanguinis profluvium accidere sanguineis corporibus & juvenilibus, nec non cessante sanguinis, sive per nares in adolescentibus, sive per menses in feminis, sive etiam per ani venas in provecioris ætatis hominibus spontanea evacuatione, vel etiam omiſsa artificiali subtractione. Qui effectus tanto certius subsequitur, quando accedit vehementior corporis & animi motus, aut calidorum in cibis, potusque spirituosi abusus, intensus clamor, tussis vehementior, infestatio diuturna & violenta tubarum, nec non nimius in fœcibus vel partu edendo conatus.

*Sanguinis  
abundantia  
cum aliis  
causis.*

## §. XII.

Autumno præterea, quando tempeſtas regnat inæqualis maximaque frigoris & teporis est vicissitudo, tum non modo frequentiores esse solent defluxiones catarrhales, sed maxime etiam subinde sanguinis fluxiones immo dicæ variæ, atque etiam in dispositis illa, quæ fit per pulmones. Idem accidit, quando hieme sub intensissimo gelu corporis superficies stringitur & sanguis ad interiora magis compulsus inque pulmonum canalibus accumulatus nimium, facile perumpit. Vnde haud raro accidit, ut hæmoptysis sit anniversaria, quæ Februario mense, nec non ante æquinoctium erumpere atque redire solet, utque etiam circa hæc tempora idem hic morbus plures attentet & quasi popularis sit.

*Aeris quoque  
constitutio.*

## §. XIII.

Ceterum de hoc sanguinis profluvio recte utique scribit Hippocrates Sect. V. pag. 10. edit. Foesian. qui sputis in omnibus eius cruentis detinentur, ex his quidam brevi tempore pereunt, dem per-

*Non in o  
mnibus eius  
dem peri-  
culi.*

quidam vero diutius trahunt; præstat enim corpus corpori, ætas ætati, & affectio affectioni, & anni tempestas tempestatum in qua ægrosant: quidam enim morbos facile tolerant, quidam vero omnino tolerare nequeunt. Etenim non omnibus idem hic morbus eodem modo observatur esse, aut exitialis, aut transitorius. Iis scilicet, quibus hæmoptysis ob solam abundantiam, aut ebullitionem sanguinis accidit, si recta medicatione & vitæ victusque ratione excipiat, nec periculosa est, nec capitalis. Ego certe vidi cessantibus in gravidis mensibus sanguinis exspuitionem singulis mensibus redeuntem, partu vero excluso & redeunte menstruo fluxu sponte sine periculo emanentem. Vicissim notavi hæmoptysin tempore graviditatis cessantem & enixo foetu uteroque vacuo procedentem & sine periculo per aliquot annos insistentem. Vidi quoque sanguinis sputum periculi expertum in iis, quæ parcius justo tributum solvebant lunare.

## §. XIV.

*Omniū tamen hæmorrhagarum fere periculosissima.*

Id vero omnino certum, ex omnibus, quæ præter naturam accidunt hæmorrhagiis, vix ullam esse frequentiore non modo & sæpius redeuntem, sed etiam magis anticipitem & periculosam, quam hæmoptysin. Nam haud facile secundam valetudinem perfecte recuperant hoc malo semel gravius correpti, nisi qui magna cura vitam postea colunt & sanitatis regulas observant, neque etiam tum speratus semper consequitur sanitatis effectus. Pulmo quippe ex visceribus est nobilissimis, qui, dum sanguinem ex uno cordis ventriculo ad alterum transmittit, vitæ servit insigniter, quia vero ea propter, dum vita est, in continua expansione & compressionem versatur, vas in ipso ruptum vel fauciatum sanguiferum difficulter admodum coalescere & consolidari potest. Accedit, quod extravasatus in pulmone sanguis, non facile penitus per bronchia & asperam

ram arteriam evehatur, sed in vesiculosa substantia restitans, putrescat & teste jam Hippocrate in pus, ulcus ac denique in hecticam & tabem lethalem transeat. Quare veritati omnino respondet Tralliani Lib. VII. Cap. 1. testimonium, ita habens: *ipsa quidem sanguinis excretio per se, dummodo non immoderatam vacuationem inducit, vitam non adimere consuevit, sed pessimorum morborum longorum magna ex parte causa redduur.*

## §. XV.

Potissimum majus vel minus est discrimen quod infert hæmoptysis ratione causarum & illorum, in quæ incidit, corporum. Scilicet si senioribus accidit, debilius quantumvis & non tam vehemens quam juvenibus sanguinis evacuatio, major tamen virium sequitur dejectio & facilius putrida pulmonum corruptio, quam excipit hecticus calor, qui corpus & vires tandem cum vita penitus consumit. Gravius quoque ac certius subest periculum, quando diuturnum profundum moerorem insequitur hæc sanguinis evacuatio, quando infimi ventris viscera una obstructa, atque humores dyscrasia scorbutica acri biliosa simul infecti.

*Potissimum  
in senibus &  
scorbuticis.*

## §. XVI.

Demum nec sanationi spes, nec medicinæ locus est, si ipsum pulmonum viscus non amplius est integrum, sed vel vomitibus resolutionem eludentibus obsidetur, vel vasa polypofas concretiones reconduunt, vel etiam varices, vel potius aneurismata in canalibus præsto sunt, quibus crebra & profusissima sanguinis fit effusio, tandem funesta. Has enim plerumque in hæmoptycis subesse mortis causas, edocet cadaverum sectio, qua patet, non modo pulmones maxima ex parte ut plurimum esse corruptos a sanguine ibi effuso putrescente & ipsam substantiam membranaceam solidam depascente, sed & hospitari sæpius polypofas concretiones in vasis pulmonalibus, & quidem magis

*Nec non ubi  
pulmones  
magna labe  
affecti.*

gis in iis, quæ plus cum sinistro, quam dextro cordis ventriculo communicant; in iis autem, qui rupto sanguineo tumore pereunt, pulmones a sanguine effuso multo spumoso obrutos & nigros inveniri, restitante adhuc exigua in vasis sanguinis quantitate.

## C V R A T I O.

## §. I.

*Medendi indicationes.*

**Q**Uum, ut dictum, causæ hujus mali admodum differant, diversæ quoque curandi indicationes sint necesse est; præcipuæ tamen illarum redeunt huc: primo, ut sanguinis organus nimius vasa plus justo venosa expandens compescatur; secundo, ut ejusdem affluxus copiosior & impetuosior a pectore ad exteriores corporis partes derivetur; tertio, ut spastica illæ stricturæ, quæ sanguinem ad pulmones validius congerunt, laxentur, & sic liberior reddatur per totum corpus sanguinis circulus; quarto, ut læsa pulmonum substantia vasculosa in integrum restituatur, & sic tam mali recursus, quam oriundi ex læsione alii morbi arceantur.

## §. II.

*Sanguinis organus quibus compescendus.*

Primum ut perficiatur, & sanguinis ebullitio componatur, apprime conducunt refrigerantia. Inter hæc potissimum connumerandus aquæ potus frigida, paulatim quidem, sed sufficienter quotidie haustus, tecto probe corpore. Novimus aliquot exempla, solo hoc medio, debita cum cautione & præmissa venæsectione adhibito, periculosum hunc sanguinis fluxum substituisse. Idque tanto felicius succedit, si corpus juvenile calore interno æstuat; quem potus frigidus reprimendo madoremque tepidum in peripheria corporis eliciendo, partes simul sulphureas calidas sanguinis exæstuationem inducentes evehit. Non minus præstans pariter ac probatissima est in reprimendo calido  
sanguini-

sanguinis partium aereo-atherearum astu virtus nitri rite tantum depurati & crySTALLISATI, imprimis si cum aquis refrigerantibus, ut plantaginis, portulacæ, aut etiam sero lactis, covenienti, parca tamen, sed sæpius repetita dosi, assumatur. Spiritum quoque vitrioli, vel etiam ejus phlegma acidulum, præ omnibus aliis mineralibus, imo vegetabilibus acidis, peculiarem ad orgasmum sanguinis compescendum possidere virtutem, experti novimus, tanto certiolem, si cum his ceu menstruo ex rosis extrahatur tinctura.

§. III.

Ad obtinendum secundæ indicationis scopum & divertendum sanguinis a pulmonibus nimium impetum, præcipuum certe momentum repositum est in venæsectione, in brachio, vel etiam in pede instituta. Præstans etiam hoc nomine virtus pediluviorum temperaturum, nec non immisionis manuum in aquam tepidam. Neque minus ad derivandum proficua ea, quæ alvum expurgandi facultate pollent, inter quæ ex internis præcipuum locum inveniunt tamarindinata, passulata, rhabarbarina, & inter externa, clysteres emollientes, stimulo quodam acuti.

*Sanguis a pulmonibus quibus divertendus.*

§. IV.

Tertium medendi momentum in eo versatur, ut spastica stricturne, præsertim quæ in minimis vasibus sanguiferis & partibus nervosis consistunt, relaxentur. Huic egregie satisfaciunt oleosa demulcentia, ut oleum amygdalarum dulcium, vel etiam lini, sine igne recenter paratum, cochleatim assumtum. Spectatæ quoque virtutis emulsiões ex seminibus cucurbitæ, pineis, semine papaveris albi & aquis quas vocant hypnoticas, ut rosarum, papaveris rhœados, nymphææ, liliorum convallium, florum tiliæ, nec non ceraforum nigrorum paratis, quibus nitri & syrapi papaveris albi parum adjiciendum. Vel etiam loco harum aquarum ad emulsiões parandas adhiberi potest decoctum cornu cervi, eboris, nec non dentis hippopotami; quia

*Spastica stricturne quibus laxanda.*

quia in his duris animantium partibus singularis quædam spasticis motibus resistendi facultas inest. Si vero adeo rebellis hæc strictura est, ut mitioribus hisce cedere & sanguinis profluvium subsistere nolit, ad paulo valentiora recurrere licet; inter quæ semen hyoscyami albi ad drachmam dimidiam, cum æquali pondere lapidum cancrorum, duodecim nitri granis & uno camphoræ grano mixtum, omnibus aliis, etiam opiatibus, palmam præripit. Securioris tamen, ac nihilominus egregii effectus est mixtura nostra tonica, quæ ex tincturæ antimonii acris, sive tincturæ tartari, liquoris anodynæ mineralis ana uncia semis, liquoris nostri bezoardici Bussiani drachmis duabus & olei macis guttis sex est composita; quippe quæ spasticas non modo stricturas mulcet, sed & diuresin & diaphoresin lenius movendo, sanguinis ad pectus affluxum divertit efficaciter.

## §. V.

Quartum in hæmoptyseos curatione est, ut disrupta vasa consolidentur, tenues acres humores affluxum eorum proritantes attemperentur & incrassentur ac partis affectæ tonus roboretur. Hoc autem non obtinendum uno eodemque modo ac medio. Quare quæ ego inter plura proficua deprehendi, candide dicam, certus, si cum debito iudicio & congruo tempore adhibeantur, eadem, si medicinæ adhuc locus, non fore frustranea. Est autem ex his primum mixtura, cujus formula hæc: recipe aquæ plantaginis, scorzonæ, veronicæ, scabiosæ, aceti destillati ana unciam, coralliorum rubrorum præparatorum, specierum de hyacintho ana drachmam dimidiam, syrupi papaveris rhœados drachmas duas, M. Quæ mixtura tribus vicibus assumenda, & si vehementius sanguinis profluvium, addenda adhuc pulveris hæmatitis drachma dimidia. Alterum remedium, quod tam in hæmoptysi simplici, quam etiam in ea, cui complicata est phthisis, conducit, est decoctum, cuius hæc est compositio: Recipe florum bellidis, rosarum  
rubra-

*Reliquia  
quibus col-  
lenda.*

rubrarum, chamomillæ vulgaris, summitatum millefolii ana pugillos quatuor, herbæ consolidæ saracenicæ, hederæ terrestris, urticæ mortuæ, veronicæ, faniculæ, pyrolæ ana manipulum, seminis fœniculi, nucistæ ana drachmas duas. Mixta concisa, contusa dentur, signentur species, davon 3. Poth in zwey Maas Bier zu kochen. Tertium quod mihi probati usus fuit auxilium, sunt pilulæ ex massæ pilularum de cynoglossa drachma dimidia & massæ pilularum balsamicarum Becheri drachmis duabus concinnatæ, ad scrupulum unum circa lecti introitum sumendæ. Quartum & ultimum quod in hoc gravi morbo commendem habeo pulverem hunc: Recipe lapidum cancrorum, antimonii diaphoretici, cornu cervi sine igne, dentis hippopotami, lapidis manati ana drachmam, nitri depurati drachmam unam cum dimidia, misce fiat pulvis, optime sic usurpandus, ut scrupulus unus ipsius viginti guttis liquoris nostri mineralis anodynii imbuatur & cum aqua antispasmodica propinetur.

**CAVTELÆ ET OBSERVATIONES  
CLINICÆ.**

§. I.

**I**N gravi illa & vera hæmoptysi, qua, ob ruptum majorem arteriæ pulmonalis ramum, magna sanguinis copia per brevia intervalla erumpit, caveat medicus, ne promissis de restituenda sanitate sit dives, nisi fluxus sanguinis intra triduum convenientibus remediis compefcatur. Interim tamen minime vicissim laborantem gravi metu mortis ita percellar, ut indicto magno periculo, omnibus viribus, ut sepe vidi, eum privet & mortem acceleret.

*Prognosis sit  
cauta in  
gravi hæ-  
moptysi.*

§. II.

Si sanguinis abundantia urget, & manifesta adest vasorum plenitudo, statim inter initia instituenda est, sive in manu, sive etiam in pede, sanguinis missio, & quidem largior.

*Si plethora  
adest san-  
guis mitten-  
dus.*

(Hoffm. Syst. T. IV. p. II.)

F

gior

gior, ad octo, vel plures uncias, ex amplo foramine; quo sanguinis impetus eo efficacius a loco affecto divertatur, & rupti ac fauciati canales eo melius iterum coire & coalescere possint.

## §. III.

*Nec non si hæmorrhoides emanse-  
runt.*

Illaque quoque anniversaria hæmoptysis, nec non quæ ex hæmorrhoidali fluxu emanente proficiscitur, inferre solet circa tempus annui recursus rheumaticos in pectore dolores, junctos cum sanguinis sputo. Habetur hinc a minus peritis morbus haud raro pro pleurítico; sed secta in pede vena, & provocato sic hæmorrhoidum fluxu, non modo sanguinis exspuitio, sed & reliqua pathemata simul & semel solent con- quiescere.

## §. IV.

*Si ab acri defluxione sit, demul-  
centia dan-  
da.*

Ubi ab acri catarrhali defluxione excitatur cum ti- tillatione in faucium profundo tussis acerrima, qua simul per vices floridus & spumofus sanguis cum muco excrea- tur, apparentibus nullis plethoræ signis manifestis, emul- sio tantum amygdalarum dulcium seminisque papaveris albi pro potu operam locat præstabilem; ac præterea pilulis nostris balsamicis aliquot grana massæ pilularum de styrace aut de cynoglossa admiscere expedit. Neutiquam vero in usum vocanda consolidantia & adstringentia, quia minima tantum vascula arteriæ bronchialis non vero pulmonalis, sunt fauciata.

## §. V.

*Inrebelli li-  
gaturis u-  
tendum.*

Quando effusio sanguinis fluxus præsens minatur periculum atque interna auxilia non sufficiunt, confugien- dum utique est ad remedium a veteribus frequentius usur- patum, nempe ligaturam artuum. Hac enim sanguis in extremis tantisper retentus, non tam cito ad cor & ex hoc ad pulmones redit, atque adeo imminuto ad pulmones sic fluxu, rupti ramuli non ita sanguine implentur, sed concidunt faciliusque coeunt. Ne tamen ex stali sanguinis par-  
tibus



tibus ligatis inferatur periculum, hæc adhibenda est cautio, ut sedata hæmorrhagia, ligaturæ non omnes simul, sed successive una post alteram solvantur.

## §. VI.

Quum hæmoptysis sæpissime ex primarum viarum & hypochondriorum vitio, intestinis flatibus ac spasmodicis distentis accidat, maxime in adolescentia & juvenili ætate, ob sedentariam nimis vitam, studiorum intemperantiam, vel etiam affectuum impetum; ad hanc utique causam dirigenda etiam est in curatione meditatio, ita tamen, ut exquisita temperamentorum servetur distinctio. Quodsi enim juvenes sunt cholericæ constitutionis, exquisitioris sensus, ad iram proni, palpitatione cordis subinde afficiuntur, & pulsum exhibent magnum, tum abstinendum est ab omnibus alias egregiis carminativis, stomachicis, salibus volatilibus oleosis, nec non purgantibus acrioribus, ac potius pulveres temperantes nitroli, ad alvum laxandam mannata, passulata, tamarindinata & ad corrigendam sanguinis intemperiem diluentia, serum lactis caprilli, decocta hordeacea, avenacea & id genus plura, cum fructu adhibentur. Contra ea, ubi peccant humores viscosi, ubi infarctus viscerum, intemperies frigida & humida, & habitus corporis spongiosus, tunc pilulæ balsamicæ polychrestæ, nec non spiritus salis ammoniaci, vel volatilis oleosus Sylvii, cum tinctura tartari mixtus, item essentia temperatiores carminativa, tincturis martialibus mixtæ, utiliter exhibentur.

## §. VII.

Sicuti remedia quæ validiori adstringendi facultate pollent, nunquam ullo in morbo, ita nec in hæmorrhagiis securam operam præstant; omnium vero minime in hæmoptysi, præsertim illa quasi critica, nec non ab initio & in paroxysmo ex usu sunt. Etenim, licet fluxum ad tempus sistant, relinquunt tamen in pulmonalibus vesiculis sanguinis grunulos, qui in corruptionem abeuntes, inflamma-

*Si ex hypochondriorum vitio temperamentorum habenda ratio.*

*Adstringentia nocent valida.*

*Sed temperatiora non repudianda.*

tionem, putredinem, phthisim & hēcticam expedito & facili modo inferre possunt. Interim tamen, neutiquam extoto repudianda sunt leniora adstringentia & roborantia, opportuna extra paroxysmum & in fine fluxus, ad tollendas reliquias & præsciendendam recidivam. Inter hæc laudem merentur eximia solutio coralliorum cum succo citri vel aurantiorum facta & in syrups formam redacta, confectio de hyacintho; conserva rosarum rubrarum cum terra sigillata, aut hæmatitis pulvere mixta. Chinæ corticem mirifice commendat *Morton in phthisiologia*, in electuarium cum syrupo rosarum redigendum, cui extractum cascarillæ aquosum, succinum & pulvis nucistæ commode adjiciuntur. Hæc enim, dum partibus motricibus a robore defectis debitum tonum blande reddunt, ut sanguis per totum corpus promptius & expeditius cum omnibus succis circumeat simulque cuticularis excretio liberius succedat, faciunt & sic utilitatem præstant. Nec minus eximia est efficacia infusorum theiformium, item decocti roborantis pro potu ordinario. Infusa quidem optime ex vegetabilibus supra memoratis traumaticis, cum herba polygoni, millefolii summitatibus & foeniculi semine concinnari & quotidie sorbulari possunt. Decoctum vero ex radice sarsaparillæ, chinæ, rasura ligni fantali rubri, citrini quoque, ligni lentisci, vel loco hujus mastiches, una cum passulis possunt confici.

§. VIII.

*De lacticiis caute.*

Lactis & lacticiniorum usus omnino præstans est in hoc morbo. Novi, solo lacte caprillo cum floribus papaveris rhœados cocto, admixta dimidia aquæ parte & adjecta portione mellis, quotidie largius assumto, immodicam etiam ex pulmonibus sanguinis profusionem optime conquieuisse primum, ac postea usurpatis simul multo inter cibos confectis ex amylo, ex toto fuisse sanatam. Id tamen de usu lacticiniorum omni tenendum: ut non modo ventriculi, an ea ferre possit, habeatur ratio, sed & ne simul & semel, sed parcis & repetitis vicibus, ingerantur.

§. IX.

## §. IX.

Si seniores hunc morbum incurrunt, haud leve ipsis imminet periculum, licet sanguis non adeo largiter profundatur. Penitus vero in his abstinendum est tam a fortiter adstringentibus ad sistendam hæmoptysin, quam ab opiatis ad procurandum somnum, ne vires magis deiciantur & corruptio, in quam senilia corpora ipsorumque sanguis pronus, præcaveatur.

*In senibus  
tenenda.*

## §. X.

Caveant sibi hæmoptyci omnes, præsertim ubi profusio gravior est & copiosior, ab aquarum mineralium, thermalium & acidularum usu, maxime omnium illarum, quæ sale quodam copioso acri & principio calcareo alcalino imbutæ sunt, Carolinis, Pymontanis, Egranis, Sedlicensibus. Ubi enim partis aut visceris cujusdam interni substantia læsa est aut corrupta, labem hæ aquæ augment & exacerbant, adeoque nunquam profunt. Vicissim acidulæ temperatiores, ut Selteranæ, quæ purum sal alcali recondunt, præsertim si cum lacte asinino vel caprillo miscentur, usus sunt saluberrimi, eo quod sanguinis & humorum falsam & acrem dyscrasiam contemperant non modo, sed & obstructions & infarctus pulmonum referant, simulque acres particulas per urinarias vias, ne denuo noceant, evehunt. Est autem sic institutus acidularum potus tunc quam maxime utilis, quando a scorbutica & icterica sanguinis & humorum intemperie malum hoc & inducitur & fovetur.

*Minerales  
aqua que  
noceant,  
que profunt.*

## §. XI.

Ultimo loco addendum eximium *Celsi Libr. 10. Cap. 4.* consilium, de iis, quæ servanda in vita victuque ab hæmoptycis, dum monet: ipsis utilem esse quietem, securitatem, silentium; ut caput sublime cubet, & facies sapius aqua frigida foveatur: inimica autem ipsis esse, vinum, balneum, venerem, acriora omnia, item calida fomenta, con-

*In vita vi-  
ctusque re-  
gimine te-  
nenda.*

clavia calida & conclusa, multa vestimenta corpori injecta, etiam frictiones, nisi ubi sanguis bene conquieverit. *Hippocrates* autem *Libr. de internis affectionibus* commendat hæmoptysi affectis aquæ potum, item lac bubulum tertia parte aquæ mulsæ remixtum & copiosius assumtum, item lac caprillum, coctum cum semine lini & semine sesami; porro farinam cum lacte coctam. Quæ omnia proficua esse, experientia & ratio testatur, eo quod tali diætâ humores tenues incrassantur, acres mulcentur & læsarum partium conglutinatio promovetur.

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

*De hæmoptysi menstrua indenni.*

Percussa fuerat nobilis femina, triginta annorum, ipso illo quo menses fluebant tempore, terrore ingenti, quo illico substitit sanguis, & inducta pectoris gravitas, præcordiorum anxietas & cordis palpitatio impensa. Recurrente dein menstrua periodo, rediit quidem sanguinis stillicidium, sed admodum parcum, præcedente pressorio & tensorio dorsi ac hypochondriorum dolore, pectoris angustia & gravativo in præcordiis sensu. Accessit vero etiam sanguinis e pectore per tussim ejectio, post quadriduum sponte iterum cessans. Quin quotiescunque postea utero purgata, toties, per quinque vel sex dies, sanguinis plus vel minus e pulmonibus eiecit, idque per novem annos continuos; ita tamen, ut quum imprægnatione facta menses retinerentur, hæmoptylis etiam quiesceret, post partum autem mox rediret, atque etiam sub ipsa lactatione sueta periodo succederet. Interim nihil inde detrimenti redundavit in sanitatem, neque quicquam incommodi sensit; femina, frustra tamen ad compescendam hanc pulmonum hæmorrhagiam variorum Medicorum conquisivit & consilia, & auxilia.

*Epicri-*

*Epicripsis.*

Singulare hoc est hæmoptyses menstruæ, diuturnæ quidem, sed periculi expertis exemplum, quo aperte confutatur falsa nonnullorum opinio, qua hæmoptysin omnem phthisin habere, aut comitem, aut pedissequam putant. Duxit autem originem ex sanguinis ab utero ad pectus, propter terroris vehementiam, facta regurgitatione, qua vasa pulmonalia diducta tandem aperta sanguinem eructarunt, sed remittente sanguinis ad interiora mensium tempore solenni restrictione & evacuato superfluo, liberior iterum factus progressus, vasa occlusa & sic sponte cessavit hæmoptysis ac damni intulit nihil. Interim per quas semel iterumque sanguis elatus est vias, ex facili postea relegit, & accedit quasi quædam naturæ consuetudo, certa scilicet solidarum partium dispositio, qua appulso validius sanguini, promte viam concedunt ac diverticulum, ægre postea, ac nisi statim in principio, medicamentis iterum tollenda.

## OBSERVATIO II.

Juvenis viginti annorum, corpore tener, animo ad iracundiam admodum proclivis, per aliquot jam annos circa veris & autumnus ingressum tussi ex pulmonibus ejecerat sanguinem; novissime autem accidit, ut circa idem tempus ira excandesceret vehementius, eoque hæmoptysin incurreret largissimam, certis quotidie periodis accedentem, hora scilicet matutina quarta & vespertina nona. Eruptionem semper ingens præcordiorum anxietas, frigiditas notabilis in pedibus ac pressorius & tensorius in hypochondrio sinistro sensus præcesserunt; postea successit screatus sanguinis, qui per quatuordecim dies perstitit & octo minimum libras sanguinis evexit, non sine magna virium jactura. Medicus in consilium vocatus, neglecta sanguinis missione, decocta adstringentia, incrassantia & pectoralia

*De hæmoptysi vere  
& autumnus  
periodica.*

lia, ipsum quoque hæmatitis pulverem obtulit, sed frustra prorsus, ac potius sanguinis evacuatio stas suas semper servavit periodos. Advocatus & ego in auxilium quaternis singulis horis propinavi salis volatilis oleosi genuini XX. guttas ex aqua ceraforum nigrorum; circa somni tempus pulveris antispasmodici, ex dente hippopotami, unicornu vero, lapidibus cancrorum, ungula aleis, nitro, diaphoretico antimonio, pulvere lumbricorum terrestrium & cinnabari, dosin, cum tantillo massæ pilularum de cynoglossa, sumere iussi; alvum liberam servare emollientibus clysteribus nitro largius conditis, ac pedes non modo aquæ tepidæ subinde immittere, sed & calidis integumentis a frigoris accessu sollicitè defendere, suasi. Quibus, fortunante DEO, curationem ex voto confeci.

*Epicripsis.*

Periodica fuit hæc hæmoptysis tam ratione recursus vernalis & autumnalis, quam etiam eruptionis ipsius mane & vesperi factæ, simulatque testimonio est, quantum valeat iracundiæ affectus ad provocanda sanguinis profluvia. Quia autem periodos servantes morbi fomitem ut plurimum habent sordium in prima corporis regione coluviem, in promptu est judicare, vulgaria illa pectoralia, incrassantia, adstringentia, efficere potuisse nihil, ac præter leniora evacuantia, recte in usum vocata fuisse ea, quæ spasticas stricturas, in consuetudinem & habitum quasi transeuntes, laxarunt, antispasmodica scilicet, maximeque illam cum cynoglossa confectam pilularum massam. Sed minus obvium erit nonnullis id, quod sal volatile oleosum, cujus vis sanguinem exæstuans & humores commovens alias passim decantata, usurpatum cum fructu. Verum candide profiteamur ac confidenter, nos ipso hoc remedio sæpe sæpius sustulisse cito ac secure nimia sanguinis profluvia, per quæcunque loca facta. Id tamen monendum, neutiquam exhibendum esse efficax hoc auxilium,

in,

in, aut mox ante paroxysmum, sed cessante ac remittente fluxu. Etenim quia impensiores spasmos, eruptionis auctores, excipere solet debilitas & relaxatio, ad stagnationem novam adeoque inducendum denuo spasimum postea ansam præbens, hæc utique non melius potest præscindi, quam roborando partes atonia affectas, quod per ejusmodi volatilia oleosa perficitur commodissime.

## OBSERVATIO III.

Theologus, vigesimum quintum ætatis annum egressus, succis & sanguine plenus, incidit, postquam e suggestu verba fecisset voce intensa, in hæmoptysin largam, qua tantum sanguinis evacuatum, quantum replendæ pelvi integræ sufficiebat. Hinc debilitatus admodum a Medicinæ Studioso petit consilium, qui tincturam sulphuris vitrioli cum laudano opiato mixtam propinat, eo cum effectu, ut æger post aliquot doses suffocationem cum maxima præcordiorum anxietate incurreret. Ad hanc itaque levandam sanguis subtractus & mixtura data discutiens ex aqua chærefolii, scabiosæ, florum sambuci, destillato aceto, lapidibus cancrorum cum nitro & diascordio Fracastorii. Quibus quidem urgens malum discussum, sed interpositis aliquot diebus rediit sanguinis secretus non mediocris copia, cujus accessum aliquoties postea factum, æger ex horripilatione & refrigeratione partium externarum, faciei pallore & sensu e dextro pectoris latere calidi sanguinis ascendentis, prænuñciavit. Licet autem huic malo complura præstantissima opponerentur auxilia, & æger etiam aliquod inde acciperet levamen, penitus tamen subsistere noluit sanguis, sed subinde aliquot sanguinis floridi cochlearia eruperunt. Interim accidit, ut æger cibum caperet flatulentum ex pomis terræ, radicis cyclaminis vulgaris, vulgo Erd-Neppfeln, & stomacho admodum debili existente, inde tormentis in ventre atrocibus afficeretur, quibus in copiosum alvi fluxum solutis, id

*De hæmoptysi alvi fluxu soluta.*

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

G

com-

commodi tulit, ut sanguinis e pulmonibus fluxus profusus ex eo subsisteret, nec unquam postea rediret, imprimis quum decoctis vulnerariis, admixtis balsamicis temperatis, novum accessum declinare satageret. Inter cibos commendavi pulvem crebrius assumendam ex farina farris *Rothen-Mehl*, aqua & butyro.

*Epicrisis.*

Caute mercandum esse cum stipticis adstringentibus, cujus generis est tinctura sulphuris vitrioli, antiphthifica Gramanni, in hoc sanguinis profluvio maximeque ejusdem principio, uberius confirmat hæc historia, nisi suffocationem, vel etiam ipsam phthisin arcessere velimus. Patet quoque, tormina & cruciatus imi ventris cum alvi copiosis dejectionibus, sanguinis a partibus superioribus ad inferiores impetum derivasse & sic mali pertinaciam expugnasse. Quo egregie confirmatur insignis utilitas eorum, quæ alvum subducunt & biliosum serum educunt in rebellibus ejusmodi pectoris morbis. Simul vero innotescit: per accidens quandoque salubritatem afferre per se nociva, uti in nostro cibus incongruus flatulentus, tormina impensa suscitans. Ceterum hac observatione docemur, decocta ex herbis vulnerariis, quæ temperata amaritie & adstrictione nimis relaxata vasa firmant & roborant, ad perfectam hujus mali sanationem, ut non amplius redeat, modo viscera adhuc sint integra, utilissimam exhibere efficaciam.

OBSERVATIO IV.

*Hæmoptysis  
sæpe recru-  
descens le-  
nissimis cu-  
rata.*

Theologiæ studio addictus juvenis, temperamento melancholicus, corpore procerus & macilentus, primis quidem ætatis annis sanus fuerat ac vegetus, sed ante sex annos in schola desudans, repente correptus est totius corporis refrigeratione, maxime pedum manuumque, cum virium languore, inappetentia, & nauseabundo anxio circa præcordia sensu, quem nostri vocant *Uelbsey*, nec non pecto-



pectoris angustia ac stimulo ad ruffim. Nocte insequenti præter opinionem sanguinem expuit sincerum, idque postea successit per biduum & priora pathemata infestarunt per hebdomades sex, donec Medici ope iterum convalesceret, & per sexennium ab hæmoptyscos recurfu degeret liber. Sed quum in Academiam concedens erudiendis liberis operam suam addiceret sæpiusque ob id animo commoveretur, accidit, ut idem morbus, iisdem quam antea symptomatibus rediret, extremorum frigore, præcordiorum anxietate, spiratione difficili, virium & appetitus dejectione somnique defectu. Dato tum pulvere antispasmodico, morbus paulisper inducias dare visus est, sed remansit languor, ac cum ad pristinum docendi munus rediret æger, rediit & morbus, ita ut per quinque hebdomades quotidie successive sex vel septem sanguinis floridi cochlearia, ac intermedio tempore viscidam pituitam pure remixtam, sreatu redderet. Adhibita igitur venæsectio in pede, dati pulveres antispasmodici, quin dulcis essentia & solaris pulvis, verum frustra, morbus potius perstitit idem, pulsus præterea fuit inæqualis, celer ac debilis, extrema frigida & tanta virium prostratio, ut vix loqui & corpus loco movere valeret, macilentus simul ob appetitus defectum redditus. Sic rebus fere conclamatis me accessit & meum auxilium imploravit, ego vero renui primum medicationem, parentis tamen precibus demum inductus bina ipsi suasi auxilia, quorum solo frequenti per octo hebdomades continuato usu divina gratia convaluit, ac non modo ab hæmoptysi & omnibus symptomatibus liberatus est, sed & somnum, appetentiam, vires & carnem recepit. Scilicet præter potum ordinarium ex decocto avenaceo cum semine foeniculi, suasi, ut quotidie minimum mensuram decocti temperantis, mane cum tertia parte lactis caprilli & vesperi sine lacte tepide biberet, quod conficiendum ex rasuræ cornu

cervi unciis tribus, radice scorzonerae unciis duabus, herbae veronicae manipulo, summitatum millefolii, florum papaveris rhoeados tantundem, cornu cervi usti uncia, coquendo binas harum specierum uncias in tribus aquae libris. Circa somni autem tempus drachmam sumere jussi ex aqua cerasorum nigrorum hujus pulveris: recipe lapidum cancerorum unciam, coralliorum rubrorum praeparatorum, matris perlarum, nitri depurati, cascarillae, singulorum drachmas duas, olei de cedro, nucistae destillati ana guttas sex. M. f. pulvis D.

*Epicrisis.*

Ex hac morbi historia id utique notandum, hoc sanguineae excretionis genus, quod per pulmones fit, si primis annis infestat & conquiescit dein per aliquot annos, postea ex facili, nimio corporis, vel animi motu, maximeque vociferatione & intentione sermonis excitari posse. In ejusmodi autem debilibus & ad spasticas turbulentas solidorum ac fluidorum motiones pronis corporibus, plus utique valent simplicia ac temperata domestica quasi auxilia continuato usu, quam validiora chymica, concisa dosi danda, ipsa etiam pharmaceutica artificiosa & sic dicta pectoralia. Illa enim agunt mitissime, nec adeo moleste afficiunt sensibiles nerveas partes, simul blande acrimoniam diluendo temperant, humores crassos attenuant, nutriunt & sic infirmo corpori praestant robur. Et quoniam non frigida, sed calida sumuntur decocta haec domestica, id praeterea ferunt utilitatis, ut sanguinis motum ab interioribus ad exteriora ipsumque cutis emunctorium dirigant. Pulvis autem ille absorbens nitrosus temperat acidam & biliosam acrimoniam, quae in prima corporis regione hospitans, occasionalem materialem plerumque causam praebet, stimulando & irritando nervosas corporis partes, irregulari sanguinis motui inducendo.

## OBSERVATIO. V.

Generosa virgo triginta sex annorum, sanguineæ complexionis & animi in hilaritatem proni, per quatuordecim & ultra annos inordinatam in aula, ratione victus, somni & animi motuum agens vitam, incidit sæpius in anomalum mensium successum, dum illorum fluxus quandoque nimis, quandoque parvus, quandoque plane deficiens erat. Inde male sæpius habuit in ventriculi regione, ac de anxio pressorio dolore, nausea, vomitione, virium collapsu oder Uebseyn, conquerens, potu aquarum spirituosarum, usu elixiriorum stomachicorum, neque minus frequenti esu pomorum citreorum, per integros fere quatuor annos hisce symptomatibus succurrere laboravit, sed penitus incassum. Accedente demum gravi diuturno tristitiæ affectu viribus orbata, ante anni dimidium in epilepticum incidit insultum, qui idoneis remediis usurpatis quidem emanavit, inflationes tamen circa præcordia, cum sensu anxietatis, eructationibus, conatu ad vomitum, alvi strictione perstiterunt. Postea per quatuor fere mensium spatium ex toto menses substiterunt, neque ter celebrata V. S. in pede, neque moderate sumtis balsamicis & emmenagogis revocari potuerunt. Inde factum est, ut denuo ex fratris subita morte superveniente tristitia, non ita multo post in gravem sanguinis per pulmonem rejectionem incidere, adeo, ut aliquot libræ intra triduum floridi & spumosi sanguinis cum tussi & screatu ejicerentur. Sanguis ter in pede missus quidem, sed ex improvise successit paroxysmus epilepticus tam gravis & continuus, ut omni sensuum & rationis usu extincto, vitam tolleret.

*Epicriffs.*

Gravis & lethalis hæc hæmoptysis non ut morbus principalis, sed ut symptomatice considerari debet, qualis, si cachecticis, splenicis supervenit, ut plurimum funesta est. Ego bis in simili casu, facta dissectione corporis, lienem

*Hæmoptysis  
hysterico-  
cachectica  
lethalis.*

magnum corrupto sanguine turgidum inveni, vasaque breviter ventriculi atro sanguine valde distenta, ipsumque ventriculum nimis expansum. Neque dubium est, quin in nostra sedes insultuum epilepticorum, etiam hæmoptyses, in vitio & corrupto liene ac ventriculi ob summam atoniam inflatione constituta fuerit; siquidem intercepto libero sanguinis per vasculosum lienis viscus transitu, per consensum vasorum non modo ventriculus patitur, sed & facile regurgitat sanguis ad ramos superiores magnæ arteriæ & versus cordis sinistram sinum, unde obice hocposito, sanguinis impetus per arteriam pulmonalem in ipsam substantiam pulmonum vesicularem increfcit, vasa minima a sanguine nimium dilatantur, tandem rupta excretionem sanguinis per bronchia & asperam arteriam efficiunt. Ad hujus mali nec non epileptici generationem, utique nimius usus acetositate citri & aquarum spirituofarum, ingens quoque tristitia mensiumque defectus plurimum valuerunt. Præterea nobis documentum hæc historia morbi præbet, quod sanguinis missio crebrius instituta, neque ad menses in ordinem redigendos, neque ad hæmoptysin sistendam per se efficax & promptum satis sit remedium, item, quod spastica stricturæ ventriculi, præsertim si lien obstructus fuerit, gravia mala, ut hæmoptysin, epilepsiam, facillime causari possint. Epilepsia vero superveniens hæmoptysi, effato Hippocratis læthalis est, præsertim quando per V. S. multum sanguinis simul amissum fuit.

## OBSERVATIO. VI.

*Hæmoptysis  
copiosa cum  
convulsionibus  
læthalis.*

Prædictæ generosæ virginis frater ante sex menses eodem morbo eodemque fere modo occubuit. Is ante duodecim annos a lapsu equi in terram in sputum incidit sanguineum, quod tamen sanatum. Jam erat ætatis XXX. & aliquot annorum, staturæ macilentæ, tristioris animi, faciei pallidæ; & conquerebatur sæpius de anxietatibus & pressioibus præcordio-

cordiorum sub costis spuris, præsertim sinistri lateris, cum ardore ventriculi impenso. Passionum harum originem rejecit in potum frigidum forsan calenti, post venationem, cui deditus erat, corpori ingestum. Accedente postea conjugio & insigni animi tristis affectione valde est debilitatus, in festivitate vero quadam aulæ solenni, præter morem & consuetudinem corpus vehementer saltatione exercuit, quo factum est, ut elapsis circiter XIV. diebus, anxietatem & constrictivum senserit circa præcordia dolorem, cum vomendi conatu, postea ex improvise sequuta vehementis admodum sanguinis per pulmones ejectione cum suffocationis metu, sequutæ simul brevi convulsionibus epilepticæ satis fortes, quæ intra biduum vitam abstulerunt.

#### *Epicrisis.*

Viscera abdominis sanguinea, ut hepar, lien, si insolitæ magnitudinis sunt sanguine & humore infarcta & obstructa, dum æquabilem sanguinis circulum, obice quasi posito, impediunt, ad immodicas & subinde exitiales sanguinis tam per vomitum & secessum, quam per vasculosam pulmonis substantiam profusiones, disponunt. Quia vero tanto impetu & copia erupit e pulmonibus sanguis, nullum dubium est, quin ipso in pulmone jam vitiosa quædam adfuerit dispositio, quæ & Hippocratis & nostra sententia in eo consistit, quod rami arteriæ pulmonalis, dispersi per vesicularem & cellulosam substantiam, nimium distenti in tenera aneurismata diducantur, quæ tandem rupta tantam sanguinis copiam fundunt, ut hærens in trachæa metum injiciat suffocationis. Venam vero secare in tali paroxysmo, subtrahendo plus sanguinis adhuc magis nocet, quam prodest, & ad movendam magis epilepticam convulsionem, quam ad eam minuendam, confert.

## OBSERVATIO VII.

*Hæmoptysis  
post febrem  
sæpe repe-  
rens.*

Theologiae Studiosus, vigesimum quartum ætatis annum agens, Pomeranus robustus, biennio abhinc febre correptus est autumnali, tum epidemica, post quam infrequentis anni mense Februario, sub ascensu scalarum calidam ebullitionem & fluctuationem in sinistro thoracis latere sub mamilla perensit, quam exceperit tussis cum spirandi angustia ac demum sanguinis scretu evacuatio, intra duas horas, ad uncias aliquot. Quam ut compekeret, ingessit largam pulveris antispasmodici dosin, ad unam & dimidiam circiter drachmam, eo cum effectu, ut sanguis subsisteret & ipse per annum valetudine sic satis commoda frui videretur. Sed anni subsequenti vere rediit sanguinis scretus, ac primo cruor pituita remixtus, dein noctu sanguis sincerus ad duas libras tussi exturbatus est. Aperta vena, hæmoptysis paulisper siluit, mox autem recruduit, ac per quinque dies, duodecies intra diem & noctem accedens, duravit, tandem tamen usu pulverum nitrosorum cohibita, per tres hebdomades dedit inducias. Quibus exactis XIII. Januarii die noctu rediit, & ex eo ad sextum usque Maji diem, singulis veneris diebus, periodicum quasi servavit accessum. Ingesta interea pulverum tantum non moles hæmoptysin cohibuit, sed successit mane ingens sputi viscidum flavescens rejectio. Initiante vero autumnò iterum apparuit in sputo sanguis, ac misso fere ad libram in pede sanguine datisque nitrosis pulveribus, rursus disparuit. Januario sequenti anni rediit hæmoptysis, eodem modo sedata, Martio repetiit, iisdemque remediis iterum est depulsa, copiosa autem sputi viscidum rejectio mansit, ac præterea in hypochondrio sinistro sub spuris eregione ventriculi costis, intolerabiles successerunt dolores pungitivi & spastici, qui in hunc usque diem affligunt. Id vero memorandum, sanguinis exspuitionem semper præcessisse cutis

tis horripilationem, manuumque refrigerationem, cum pun-  
gitivo in latere sinistro sensu, phlogosi caput & faciem oc-  
cupante, nec non ructibus. Ut igitur tam sreatum ma-  
tutinum tolleretur, quam etiam mali recursum anteverteret,  
accessit æger ad me. Et quum vires non adeo exhaustæ, ap-  
petitus etiam adhuc constaret, sub spe successus felicis suasi  
usum elixirii balsamici temperati, item mixturam ex liquore  
anodyno minerali, tinctura tartari & spiritu bezoardico Buffi  
constantem, laxantia ex rhabarbaro, terra foliata tartari  
& nitro, loco potus decoctum ex cornu cervi raspatum, ra-  
dice scorzonera, china, semine fœniculi ac passulis, nec  
non infusum theiforme, ex scolopendrio, melissa, polygo-  
no, veronica, scordio, millefolio, salvia, cum radice gly-  
cyrrhizæ & semine fœniculi.

#### *Epicrisis.*

Cruenta hæc tussis orta fuit post febrem intermit-  
tentem, quæ non modo diuturna, sed & forsitan non adeo  
dextre percurata, vitium reliquit in lienis, aut hepatis  
viscere. Id quod haud obscure arguit paroxysmi accessus,  
quem semper cum lateris sinistri dolore & exin propagata  
quasi fluctuatione & calida ebullitione in pectus cum phlo-  
gosi factum esse, æger asseveravit. Fere semper autem spa-  
stica tam exteriorum, quam internarum partium constri-  
ctio hæmoptysin præcedit, qua impedito sanguinis ad ex-  
terna & libero progressu, ipse in interioribus & majori-  
bus vasis uberiori copia colligitur, accumulatur atque con-  
geritur, unde vasa nimium distenduntur tandemque de-  
hiscunt ac sanguinem effundunt. Quoad medicationem  
dein tenendum, medicamenta ex nitro & absorbenti-  
bus, item venæsectionem egregio utique esse præsidio, ad  
derivandum ac intercipiendum impetuolum sanguinis ad  
pectus affluxum, ad cohibendam hæmorrhagiam atque et-  
iam præscindendum novum insultum. Interim minime  
(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

morbo tollendo penitus sufficit iis tantum instituta curatio, sed temporarium modo præstat levamen ac ceu cura palliativa consideranda. Etenim sanguinis missio in talo instituta liberalius, minuit omnino plethoram & sanguinis impetum a pectore ad inferiora revellit, sed si jam obstructio in vase aut viscere, haud raro fit, ut elanguescente inde pulsu, expediri nequeat is qui impactus hæret sanguis, & effectus sic subsequatur pravus. Nitrosa utilissima, quia intestinum nimium particularum sulphurearum orgasticum motum componunt, & relaxando ac mulcendo strictas nerveas partes, spasmi occurrunt. *Ast non sufficit refrænasse impetum & excretionem, sed eo potissimum medicatio dirigenda, ut tollatur fundamentum mali, obstructa viscera, hepar maxime & lien, expediantur, dolores hypochondriorum depulsentur atque etiam postea relaxati nimium pori ac distenta vasorum orificia in pulmonibus ad naturalem habitudinem reducantur & roborentur, ne ibi fiant stagnationes, quibus tam copiosus secretus, quam etiam effluxus sanguinolenti recursus, merito tribuendus. Hunc igitur in scopum data a me remedia memorata, quibus a prioribus Medicis omisissis, spes jam haud vana est melioris effectus. Novi quoque in curato sic hæmoptico morbo ad arcendum phthificum malum, egregie profuisse lac cum Selteranis acidulis, vel etiam aqua calcis remixtum, & perite dextreque usurpatum.*

## OBSERVATIO. IIX.

*Hæmoptysis  
simplex.*

Plethoricus vir quadragenarius, corpore spongiosus, ingenio fœcundo & amœno, laute vivens, omisissimum primum sanguinis missionem, vernali semper & autumnali tempore expertus est hæmorrhoidalibus fluxibus indicia ac cum fœcibus quippiam sanguinis excrevit. Hinc ad minuendam plethoram vere & autumno venam incidi passus est cum euphoria, sed quum æquinoctio vernali omisisset forte suetam san-



sanguinis missionem, post vehementiorem corporis motum & liberaliorem vini Rhenani potum, incurrit hæmoptysin & cum tussi aliquoties sanguinem spumofum & floridum rejecit. Admisit igitur sanguinis e tali vena subtractionem largam, ac pulverem præcipitantem nitrosum cum liquore anodyno minerali sumsit, quibus sanguinis exspuitio constitit ac infuso dein veronicæ, melissæ, pulmonariæ, faniculæ, cum semine foeniculi & lacte ita convaluit, ut nec amplius hæmoptysis redierit, neque etiam quicquam incommodi reliquerit.

### *Epicriffs.*

Simplex recte dicenda hæc hæmoptysis. Quæ enim sic ex sola sanguinis plenitudine & suppressa solenni ejusdem, vel spontanea per menses & hæmorrhoides, vel artificiali ex incisa vena, evacuatione, sine labe visceris cuiusdam, sine cacochymica etiam humorum dispositione, oboritur, palindrome quasi ad pulmones facta, periculo vacat, si cito succurritur. Sed tunc maxime juvat venæsectio, quæ sanguinem copiosum non modo deinit, sed & a parte affecta efficaciter revellit impetum. Iuvant vero etiam ea remedia, quæ orgasmum sanguinis contemperant, nitrosa, lactis serum, nec non aquæ frigidæ perite admissus potus, cum iis, quæ stagnantem in pectore sanguinem resolvunt ac ne putrescat ibi efficiunt; quibus demum subjungenda pectoralia & remissum pulmonum tonum firmantia. Hac methodo ego complures plethoricos, maxime juvenes, ex corporis exæstuatione hæmoptysi affectos, facili & explicita curatione ad sanitatem reduxi. Sed si differtur medicatio, neque adhibentur remedia sanguinem in pulmones effusum dissolventia, & disrupta vasa consolidantia, purulenta gignitur materia ipsaque phthisis.

## OBSERVATIO. IX.

*Hæmoptysis  
ex labe vi-  
scerum su-  
nests.*

Vir literatissimus, quinquagenario major, cujus fata ob merita illustria adhuc luget nostra hæc academia, nunquam antea hæmoptycus aut phthificus, vitæ maxime sedentariæ addictus, quum studiis intemperantius aliquamdiu invigilasset ac præterea animo sæpe multumque ira ac sollicitudine fuisset commotus, neglecta sanguinis per venam subtractione, corpus exagitavit valide & æstuans adhuc frigidum ingestit haustum liberalem. Quo illico sensit virium corporisque languorem, & quum voce elata doceret auditores, incidit in hæmoptysin, eaque successive rejecit aliquoties uncias aliquot. Ipse autem periculi ex hoc malo probe gnarus, gravi inde mortis percussus est metu, quo vires conciderunt penitus; erectus tamen paullisper animo melius habere cœpit, sed variis usus medicamentis, aqua frigida, sero lactis cum vino cocto, nitrosis, pectoralibus aliisque pluribus, parciolem quidem habuit sanguinis excretionem, tussis autem cum raucedine restitit, appetentia periit, somnus absuit, vires indies magis collapsæ, caro consumpta, & febris gliscere cœpit ex pulsu celeri cum æstu cognoscenda, qua succi roscidi prorsus absumpti, & mente ad ultima usque alacri, mors excepit insperata, licet nec pus, neque etiam sputum copiosum antecessisset.

*Epicripsis.*

Mortis causa principalis in erudito hoc viro neutiquam fuit sanguinis exspuitio, sed procul dubio tabescentia ac corruptio nobilioris cujusdam visceris, pulmonis, vel forte lienis. Hanc enim corruptivam labem semper fere prodit appetitus viriumque prostratio enormis, quæ, si in viscere stomacho propinquo, omnem ipsius appetentem & digerentem vim pessundat. Causa vero fatalis huius morbi, nimis curis, labori erudito impensiori, ac potui frigido corpori calenti ingesto, tribuenda videtur, quo

quo sanguis & omnes corporis succi labe infecti, & in progressu impediti stagnarunt, ac putrescentes, funestam induxerunt catastrophem.

## OBSERVATIO. X.

Locum tenens generosus, viginti quatuor annorum, sanguineo cholericus, corporis constitutione debilis, & ab incunte ætate morbis, præsertim acutis, crebro afflitus, decimo quarto ætatis anno, ex terrore sub somno, incidit in grave delirium periodicum, quod per biennium fere perstitit, ac tandem iterata sæpius alternis diebus sanguinis missione est abactum. Ex eo natura ita venæsectioni assuefacta, ut quotannis minimum ter vel quater eandem admittere cogeretur, simul pectori inducta morbida ejusmodi dispositio, ut sæpius ex eo laboraret, & pleuritide vera, nec non vehementi spasmodica angustante strictura subinde afficeretur. Quin, quum ipsi ex collato interea militari officio iter longinquum sub frigido & humido cælo faciendi necessitas imponeretur, illico post reditum correptus est tussi vehementi, qua subinde nonnihil sanguinis floridi ejecit, & post octiduum, admissio adhuc diætetico delicto, successit ipsa hæmoptysis larga, intra quatrimum minimum duas sanguinis spumosi rubicundi libras evehens. Licet autem adhibitis remediis sanguinis secretus remitteret, remansit tamen tussis molesta, pectoris gravitas, spiratio difficilis & nocturnus sudor admodum infirmans. Tussis per totum morbi decursum valida admodum erat, plus sicca quam humida, paucam quidem materiam flavescentem evehens, sed quia dies noctesque vires & corpus nullis cedens remediis convellebat, nihil boni præfagebat. Nihil vero magis afflixit ægrotantem, ac dirus & intolerandus fere sub osse humeri sinistri consistens dolor pungitivus & tensivus, qui per vices totum pectus spasmoadeo constringebat, ut omnem fere respirationem ad suffocationem usque tolleret. Quin dolor hic postea

*Hæmoptysis  
phthisica  
cum hæmoptica  
lethali.*

se extendit ad regionem lumbarem, sub tussi semper vehementior, adeo, ut æger vix per conclave pedibus incedere posset. Vesperi & maxime post coenam, frigus cum horripilatione quadam extrema occupabat, quod non vehemens æstus, sed effusus per noctem sudor sequebatur, cum pulsu duro & frequenti, urina rubicunda, cum copioso albo sedimento. Lateri sinistro ægre incumbere potuit, ac validior semper insequuta tussis. Ceterum tot passionibus indies vires cum carne consumebantur, ac præterea phlogoses interdum cum dolore & sudore in fronte caput occupabant, ac licet Medicus nihil omitteret, tam ex diætereticis, quam pharmaceuticis remediis, quod curationi hujus affectus, vel mitigationi symptomatum idoneum, omnia tamen erant frustranea. Demum meum etiam exquisitum ante duos menses consilium, qui pariter tristem exitum ominatus, nil nisi usum seri lactis dulcis commendavi. Invalescente itaque hæctica febre & perseverantibus spasms ac doloribus in dorso acerbissimis, æger in delirium tribus ante obitum hebdomadibus incidit, & sic etiam rationis usu privatus obiit. Facta ex decumbentis voluntate post mortem sectione, tota pulmonum substantia, præsertim vero lobi sinistri, scirrhusa, multis vomicis, pure crasso, glutinoso refertis, plena fuit inventa, ac præterea in arteria pulmonali polypus instar minimi digiti longus & latus. Ipse pulmo non tantum cum pleura, sed & cum pericardio & diaphragmate tam firmiter concretus & quasi conglutinatus erat, ut vix commode cultro separari potuerit. Tam pertinacis vero & molestissimi in regione lumbari doloris causa nulla alia reperta fuit, quam quod ob firmam cohesionem pulmonis cum diaphragmate, sub vehementi & pectus concutiente tussi, processus & tendines diaphragmatis lumborum vertebrae annexi nimis vehementer tensi ac distorti.

*Epicriffs.*

Hæc morbi historia paulo curatius inspecta, haud exigua in usum theoriæ & praxeos medicæ præbet argumenta. Scilicet innotescit: quod delirium decimo quarto ætatis anno per duos fere annos integros durans, crebrius & fere alternis diebus repetita venæsectione quidem conquieverit, sed quod eo natura ita assuetacta eidem, quin debilitata fuerit, ut ter, vel quater singulis annis, sanguinem mittere fuerit coactus, neque tamen sub tanta sanguinis imminutione, a rhevmatisinis in pectore & pleuritide cum febre, congestionibus etiam sanguinis ad partes superiores, potuerit liberari. Deinde id quoque in usum medicum cedere potest, quod post morbum pleuriticum, quum debiles adhuc sunt pulmones, nihil sit deterius, ac corpus diu atmosphæræ frigidæ & humidæ exponere, & quod hoc modo hæmoptysis ac phthisis, magna pulmonibus labe & obstructione inducta, ingenerari possit. Deterior porro semper est post hæmoptysin tussis sicca & vehemens, quam humida purulenta & copiosa, quam ego aliquoties in juvenibus sanavi lacte incocto cum speciebus vulnerariis, usurpato balsamo pectorali Meibomii & ordinario feri lactis potu. Præterea patet: quod dolor in lumbis fixus & intolerabilis a tensione nimia processuum diaphragmatis oriri possit, id quod etiam in Principe juvene Cizensi, ante viginti aliquot annos hic mortuo, a copia extravasati puris processus diaphragmatis comprimentis, observatum. Tandem notabile est, quod delirium in febre hæctica & phthisi supervenire possit in corpore disposito.

## OBSERVATIO XI.

Studiosus quinque supra viginti annos habens, constitutionis satis robustæ, ante anni dimidium a motu & exercitatione corporis vehementiori, sub hieme frigida incurrit in ejectionem sputi cruenti, ita ut per vices aliquot cochlearia

*De hæmoptysicum inflammatione ventriculi.*

aria excrearet. Administrata in talo sanguinis missione sponte cessavit malum, quum vero post aliquot menses, in aëre frigido & humido pedibus iter faciens, potu spiritus vini repletus, cum sodali graves moveret rixas, & ira candens frigidam cerevisiam copiose superbiberet; ingentem quantitatem sanguinis spumosi tussi excrevit, ut intra diem & noctem libræ minimum quatuor fuerint rejectæ. Conquerabatur autem simul de vehementi incendio circa præcordia & pectus, partibus externis penitus refrigeratis; aderat continua sitis, pulsus durus & vehemens, nullus somnus, & quando sanguinem non expuebat, miram quantitatem pituitæ viscidæ ore rejiciebat. Nihil levaminis a secta vena, ab usu feri lactis, a pediluviiis, a lacte amygdalato cum nitro mixto, nec ab aliis medicamentis inflammationi resistentibus expertus est, sed potius ab omnibus ingestis major oborta est anxietas & dolor, donec tandem persistentibus hisce symptomatibus & fatiscentibus omnibus viribus, decimo quarto ab invasione morbi die, periret.

#### *Epicrifs.*

Videmus ex hac morbi historia, quomodo & a quibus causis simul concurrentibus, in homine plethorico & qui jam tum levem hæmoptysin expertus est, gravis hæmoptysis una cum inflammatione ventriculi lethali progigni possit. Nam atmosphæra frigido-humida existente, fortior motus, potus copiosus spiritus vini, ira, vociferatio, in homine plethorico sanguinem in tantam ebullitionem, orgasmum, congestionem & impetum a partibus exterioribus ad interiora urgere & pellere valent, ut ruptis vasis pulmonalibus, hæmorrhagia periculosa, ventriculi vero a potu ingesto frigido inflammatio, nullis levanda auxiliis, accedat. Post excretionem autem cruentam magna phlegmatis ejectio successit in nostro, propter majorem

rem humorum ad pectus affluxum, & nimiam membranæ in bronchiis glandulosæ relaxationem.

## OBSERVATIO XII.

Femina generosi stemmatis, valde teneri corporis animique mobilioris, annorum quinquaginta, per decem fere annos menstrua caruit purgatione & hinc etiam sub-<sup>Hæmoptysis pectoralis rheumatica,</sup> inhibitionibus, præcordiorum anxietatibus, animi perturbationibus, phlogosis cum strictiore alvo junctis, a longo tempore fuit obnoxia. Ante annum & quod excedit, circa os sacrum & in imo ventre dolorem pressorium cum ardore & pruritu ani persensit, & paucis diebus elapsis, portionem sanguinis secessisse per alvum, quum eam deposuisset, observavit, idque aliquoties. Sed ab hoc tempore protinus omnis evanuit dolor & imi ventris molestia, brevi tamen post cum abdominis ventris alvique strictura percepit dolorem pungitivum in sinistro thoracis latere, cum titillatione in epiglottide tussique valida & ficca, qua demum aliquot sanguinis floridi & coccineo tincti colore extrudit per intervalla cochlearia, & sic iterum cunctæ molestiæ remiserunt. Quum vero talem accessionem per quatuor menses circa plenilunii tempus, cum iisdem antecedentibus symptomatibus, simili etiam eventu & solutione mali, generosissima femina experiretur, metu majoris periculi postulavit meum consilium. Ego igitur tres ante accessionis hætenus consuetum tempus dies venam tali tundendam curavi, & minimum ut tres vel quatuor sanguinis unciaë emitterentur jussi, pulverem etiam rhabarbari cum lapidibus cancerorum & nitro bis in septimana cum haustu aquæ frigidæ circa lecti introitum & infusum theiforme mane sumendum suasi, quorum remediorum ope ab omni accessione hæmoptyscos postea libera permanit.

*Epicrisis.*

Rectius hæc hæmoptysis pectoralis rhevmatica appellari potest, quæ ex palindromic, sive translatione sanguinis affectantis exitum per venas hæmorrhoidales ad pectus, ubi etiam in musculis thoracis pleuritidem spuriam intenuit, fuit profecta, & soluta per apertionem vaforum sanguineorum, quæ interius bronchiorum tunicas investunt. Tenuis enim, floridus & spumofus sanguis rarius immediate ex pulmonum substantia, frequentius ex bronchiis & asperæ arteriæ valis fauciatibus venit. Quum autem venæ sectio validum sit sanguinem a partibus superioribus ad inferiores revellens medium, non sine levamine circa tempus accessionis instituta fuit.

## CAPVT III.

DE

VOMITV CRVENTO  
SINE ET CVM SECESSV NIGRO  
SIVE  
MORBO NIGRO HIPPOCRATIS.

## THESES PATHOLOGICÆ.

## §. I.

*Vomitur  
cruentus  
quid?*

**S**icut in hæmoptysi sanguis subinde spumofus, tenuis & floridus cum tussi ejicitur; ita ex ventriculo cruor concretus, ex atro-rufescente colore tinctus, multo cum phlegmate insipido, acido, aut viscido mixtus per vomitum exturbatur.

*Ejus sym-  
ptomata &  
signa.*

## §. II.

Antecedit hunc sanguinis vomitum ut plurimum pun-  
ctori-



torius & tensivus hypochondrii sinistri dolor, & ipsa eruptio nunquam fere non cum præcordiorum anxietate & dolore compressorio, nec non constrictione in hoc latere jungitur; atque etiam nullum sanguinis profluvium tam facile ac sæpe lipothymiam habet comitem, quam hoc, præsertim, quando cruor graveolens, corruptus exit.

## §. III.

Sedes morbi & scaturigo unde sanguis venit, est in ventriculo, ita tamen, ut in consortium mali, ceu sedes causæ morbi, veniat & ipse lien. Id enim aperte monstrant sectiones cadaverum hoc morbo defunctorum. De liene quidem, quod is semper fere sanguine tumidus, infarctus & quandoque plane induratus deprehendatur. De ventriculo autem, qui copiosis ubique vasis distinctus est, quod brevia potissimum sic dicta arteriosa & venosa, quæ in superna & sinistra tenuiori parte excurrunt, ibique admodum tenera membrana teguntur, si aperiuntur, vel dirumpuntur, sanguinem qui vomitu ejicitur, fundant & fuderint, eaque propter varicosa & nigro sanguine distenta deprehendantur, corrupta simul ibi ipsius ventriculi substantia. Sic *Riolanus anthropolog. Lib. II. Cap. 17.* vas breve minimo digito latum deprehendit in rejectione sanguinis per superiora & inferiora. Idem testatur *Columbus rerum anatomic. Lib. XV. de Cardinali Cibo*, nec non *Wedelius in Physiolog. reformat. Platerus Observat. Libr. II. & Bonetus medicin. Septentrional. Libr. III. Sect. 5. Cap. 4.*

*Sedes in  
ventriculo  
& liene.*

## §. IV.

Interim non adeo videtur improbable, licet rarius contingat, quod ex aliis etiam stomachi vasis, si a succis acido corrosivis, vel etiam a venenis, fuerint erosa, vomitus cruentus succedat. Quod tanto magis factum fuisse concludendum, si dolor stomachi præcessit acutus, atque mate-

*Non semper  
ex brevibus*

materia, quæ vomitu rejicitur cruenta, nigra simul est & acida, dentes stupefacit, fauces ac os adurit, & pavimento injecta ebullit, qualem descriptionem *Hippocrates L. II. de morbis §. 71.* tradit.

## §. V.

*Quæ ad eum  
disposita  
corpora.*

Jam sicuti corpora graciliora & teneriora omnium facillime hæmorrhagias, quæ fiunt in partibus internis, incurrunt, ita etiam idem fieri in ea, quæ succedit in ventriculo, restatur experientia, præsertim si subiecta sensibilibioris & mobilioris simul sunt animi. Ejusmodi enim corpora vasa ut plurimum gerunt subtiliora & quoad substantiam teneriora, quæ & facile distensionem & rupturam, atque hinc sanguinis effusionem, admittunt.

## §. VI.

*Inprimis  
frequens  
male men-  
struat.*

Potissimum atroci huic malo observantur obnoxia femellæ, inprimis quæ alvi sunt adstrictioris, pubertatis tempore, quo menses primo imminet, nec non quando postea suppressi sunt, aut parcius succedunt. Tum enim, quando gravi ira, vel terrore commoventur, & inferiorum partium accedit refrigeratio, vel etiam Medicus pathemata a regurgitante ab utero ad stomachum sanguine orta per emesin excitatam perperam tollere contendit, perquam facile sanguinis eructatio procuratur.

## §. VII.

*Post inter-  
mittentes  
male cura-  
tar.*

Pari ratione post intermittentem perversa methodo a Medico tractatam & justo citius cohibitam, in tenerioris texturæ feminis novi substituisse menses. Quos si postea validis & calidis emmenagogis iterum emovere ausus fuit morbi artifex, enormem & lethalem cruentam vomitionem successisse bis observavi.

## §. VIII.

*Mensibus e-  
manentibus.*

Annosiores quoque feminas, desinente mensium fluxu, xii, graviori & diuturniori mœrore confectas, de doloribus

bus pressoriis in sinistro hypochondrio, cum inappetentia & virium debilitate, diu conquestas notavi; quibus tandem subito impetuosa sanguinis per vomitum mortifera eructatio accidit.

## §. IX.

Neque minus gravidas, si sanguine nimis redundant, ejusdemque missionem intermittunt, cruento vomitu tentari in experientia est fundatum; præsertim, quando circa medium gestationis tempus stomachus ipsis crebrius fuit subversus. Quia tamen is, quem vomitu rejiciunt sanguis, parcus est ac tenuis, magis videtur verosimile, eundem ex arteriolarum in œsophago & faucium furculis, non vero ex ipsius stomachi valis venire, eaque propter minus periculi alere.

*Gravidis  
plethoricis.*

## §. X.

Contra ea capitale sanguinis observavi cum vomitu profluvium, in feminis, quæ partu difficillimo ex pravo fœtus situ laborarunt, & immensam sanguinis molem cum vita eructarunt. Vidi tamen etiam, vomitionem cruentam in parturientibus non funestam; sed in his parciore fecessit sanguinis quantitas & puerperæ admodum fuerunt plethoricæ, ac ultimis temporibus venæsectio male fuit intermissa.

*Parturientibus  
difficiliter.*

## §. XI.

In virili etiam sexu occurrunt subinde valetudinarii & hæmorrhoidarii, qui succedente parcius, vel cessante penitus hæmorrhoidali fluxu, de præcordiorum anxietatibus, constrictionibus cardialgicis, cum sudore frigido, alternante calore & frigore, conqueruntur. Quibus, si tandem evacuatio sanguinis fœculenta & cadaver olens per superiora & inferiora accidit, recurrente aliquoties paroxyfimo, brevi post sub animi defectione ipsi perire solent.

*Hæmorrhoidariis viris.*

## §. XII.

*Ex aëris vi-  
tio non adeo  
periculosus.*

Minoris periculi fuit ille cruentus vomitus, quem superiori anno Septembri mense Martisburgi frequenter observavi. Licet enim cruor bruno nigricans, ad aliquot mensuras, in plebejis maxime feminis ac viris, eructaretur, præter virium debilitatem, vita tamen fuit superstes. Quin, eodem tempore, occurrerunt in plethoricis maxime hæmoptyses, quæ pariter sine singulari artificio iterum discesserunt. Circa æquinoctiale enim tum tempus, ob subitas & multiplices aëris ex calido in frigidum, & ex frigido in calidum vicissitudines, sanguinis æqualis ac liber circulus turbatur, ut hic, maxime ubi redundat, ad hanc vel illam partem cum impetu ruat, & ubi exitum invenit, perrumpat, effuso autem nimio, iterum cesset.

## §. XIII.

*Ab inflam-  
matione  
ventriculi  
distinguen-  
dus.*

De ipsius morbi decursu porro tenendum, spasticum illum & gravativum ventriculi dolorem, qui ut plurimum cum ardore sanguinis vomitui jungitur, non pro stomachi inflammatione esse habendum. Inflammatio enim nunquam non extremorum frigore, vehementi circa præcordia æstu, siti, febre, pulsu contracto, debili & celeri stipatur, quæ tamen in cruento vomitu non sic adsunt. Neque ventriculus inflammatus ferre potest calidum potum, nec non exterius applicationem tegularum calidarum, vel calidorum pannorum, quæ tamen vomitu cruento laborantes eximie solantur.

## §. XIV.

*Facile reci-  
divat.*

Sicuti autem omnes hæmorrhagiæ facile recrudescunt & post hebdomadem non modo, sed mensium etiam, quin annorum decursum, revertuntur; sic etiam idem in hac ventriculi hæmorrhagia accidit. Nam quia per effusionem partibus inducitur debilitas, minus postea resistere possunt sanguini copiosius & validius affluenti, sed is pristinas servat vias, subsistit ibi tandemque etiam crumpit.

Quin

Quin ea quandoque observatur naturæ quasi consuetudo, ut locum pristinum exacte repetat, & maxime in narium hæmorrhagia, ex nare illius lateris, quo primum successit, postea semper fere succedere soleat sanguinis stillicidium.

## §. XV.

Periculum quidem, quod morbus hic inducit, non in omnibus idem, id vero certum, vix ullam hæmorrhagiam periculosiorem esse hac. Interim non tantum discriminis subest, si febris abest, si a suppressis evacuationibus ex plethora oriundis ortus. Contra ea, si febris jungitur, si sanguis corruptus, graveolens & niger prodit, si ex magno & corrupto liene, vel indurato hepate proficiscitur, animique tandem jungitur defectio, summum adest periculum & mortem proximam jam portendit Hippocras. aphor. 37. Sect. VI. nec non in prognosticis.

*Quæ magis, quæ minus periculosa.*

## §. XVI.

Longe gravius longeque certius est periculum, si, uti subinde accidit, vomitui cruento, nigra & pici similis eaque graveolens alvi dejectio jungitur. Hæc enim subitum ut plurimum denunciat interitum, ipsius Hippocratis testimonio, qui sub morbi nigri nomine hanc passionem describit.

*Periculosissima cum secessu nigro.*

## §. XVII.

Proficiscitur cruenta hæc, tam per inferius, quam per superius os ejectio, non immediate ex ventriculi vasis, nec a sanguine in stomachi cavo extravasato, sed potius ex alio viscere, vel intestinis tenuibus, maximeque ileo, & ruptis in ipso mesaraicis, quæ tenuissima tecta sunt tunica, vasis. Hæc enim in defunctis sæpe adhuc nigro sanguine valde distincta deprehendi, simulque totum ventriculum cruenta ejusmodi materia refertum.

*Qui ex mesaraicis in illo.*

## §. XIX.

Qui autem funestis ejusmodi nigris alvi dejectionibus, cum vel sine vomitu cruento, afficiuntur, vel hypochondriaci sunt, aut hæmorrhoidarii; in quibus sanguinis

*Hæmorrhoidariis & hypochondriacis frequens*

nis cursus per mearaica vasa non recte, sed impeditius succedit, unde dolorifica vasorum sub membranis excurrentium distensiones, spasmi, congestiones & tandem effusiones perniciosæ sequuntur. Quibus optime distingui potest a fluxu sanguinis hæmorrhoidali, qui licet interdum etiam subnigricans sit; neutiquam tamen tam immenso dolore intestinorum spasmodico stipatur, neque etiam præsentem interitum, sed potius magnum levamen, affert.

## §. XIX.

*Ac propter  
factorem ex  
putrilagine  
vires vi-  
tamque de-  
mit.*

Materia illa nigricans, quæ sic per alvum exit, solet esse foetidissima, quia sanguis effusus, cum stercoribus in cavo intestinorum quasi confermentatus, exaltato principio sulphureo alcalino, in foetidissimam abit putrilaginem. Quæ, quia insensibilissima fluidi nervorum naturæ, hinc mox cito vires deprimit & vitales in corpore motus destruit. Atque adeo summa, quæ fere morbo huic perpetuo jungitur virium dejectio, non adeo ex nimia sanguinis profusione ejusque natura, sed potius ex ipsius corruptione putrida est derivanda.

**THESES THERAPEVTICÆ CVM  
CAVTE LIS CLINICIS.**

## §. I.

*Medicatio  
causis ac-  
commodan-  
da.*

**I**N hujus tam horreni & gravis morbi curatione Medicus utique pro diversitate corporum, causarum & temporis, prudenter & circumspecte sese gerere debet. Et enim alia medendi ratio est in paroxysmo, alia extra eundem; alia, ubi a sola sanguinis abundantia & orgasmo malum suscitatur atque excretio quasi critica est, alia, quando a doloribus & spasimis sanguinem ad interiora urgentibus oritur; rursus vero alia, quando a corrupto aut obstructo viscere, aut a causa externa, veneno vel corrosiva materia, morbus inducitur.

## §. II.

## §. II.

Ipsò in paroxysmo, si corpus est plethoricum, ipseque sanguinis motus ab exterioribus ad interiora præter naturam conversus est, commodissimum locum habet venæsectio in brachio. Tenendum vero est, sanguinis mensuram missionisque repetitionem a perito & circumspècto Medico pro corporis, vasòrum repletionis, virium & ætatis ratione esse præcipiendam.

*In paroxysmo vena secanda plethoricæ.*

## §. III.

Quandocunque sanguis nimium æstuat atque in orgasmò constitutus, & pulsus impetuosus ac validus est, aquæ fontanæ, vel plantaginis potus, in cuius libra nitri puri drachma & sirupi papaveris rhœados uncia dimidia soluta, successivè & temperate sumtus, egregie conducit. Refrigerans enim hæc potio temperat simul humorum acrimoniam, elasticam partium sulphurearum exæstuationem intra vasa componit, & relaxata vasculorum apertorum orificia ita firmat & roborat, ut postea eo facilius coeant iterumque coalescant.

*Sanguine æstuvante profunt refrigerantes potus.*

## §. IV.

Porro nunquam non egregiam opem præstant emulsiões, imprimis, quando præcordialis regio, circa sinistrum potissimum latus, pungitivis & vellicatoriis doloribus spasticisque stricturis affligitur ac fitis cum æstu urget. Possunt autem confici ex seminibus quatuor frigidis & papaveris albi, cum aquis antispasmodicis, florum tilia, liliòrum convallium, primulae veris, acaciae, papaveris rhœados, pœoniae, ceraforum nigrorum, admixto nitri momento & convenienti sirupi papaveris albi quantitate.

*Spasms vigentibus danda emulsiões.*

## §. V.

Præterea ad laxandas spasticas intestinorum stricturas & divertendum impetuosum humorum ad partem affectam affluxum, desideratum subinde levamen afferunt clysteres

*Et injiciendi clysteres emollientes.*

res emollientes ac demulcentes, stimulo tamen quodam leniori armati, nitro conditi & frequentius injecti.

## §. VI.

*Exterius  
admoventia  
discutientia  
& roboran-  
tia.*

Neque minus inter externa hujus mali remedia connumeranda ea, quæ spasmos sistendo, ventriculum roborando, nec non discutendo, virtutem suam exserunt. Hoc nomine ego nihil præstantius deprehendi ipso oleo camphoræ, quod paratur, si drachma una camphoræ solvitur in uncia una olei amygdalarum dulcium & postea viginti guttæ olei ligni Rhodii instillantur. Inungitur hoc oleo tota præcordialis regio cum toto hypochondrio sinistro, & postea facculus, cui species ex floribus chamomillæ Romanæ, sambuci, herba menthæ & absinthii inditæ, in aceto rosaceo, vel vino rubro coctus, subcalide applicatur.

## §. VII.

*Ligatura  
item, & la-  
vations  
manuum  
pedumque.*

Quodsi jam enormis cruoris copia profusa cum summa virium jactura, injiciendæ sunt ad compescendum nimium fluxum artuum ligaturæ, quæ postea, uti capite antecedente monitum, circumspicte iterum solvendæ. Novi etiam non sine successu fuisse consilium, ut manus & pedes ad malleolos usque, aquæ immitantur frigidæ, quo frigus sanguinem in minimis vasis diutius detineat, & sic eiusdem ad cor refluxus aliquantisper retardetur.

## §. IIX.

*Recurfus  
quibus ar-  
cendus.*

Extra paroxysmum ad arcendum mali recursum eximie conducit rhabarbari electi pulvis, ad dimidiam drachmam, vel solus, vel cum cancerorum lapidibus, aut duodecim trochiscorum de carabe granis & dimidio camphoræ grano, bis singulis septimanis, ante lecti introitum, cum haustu aquæ fontanæ sumtus. Est enim rhabarbarum quasi specificum ad referandas paulatim obstructions. Egregia quoque virtus est infusi theiformis ex herba veronica, centumnodii, summitatibus millefolii, radice glycyrrhizæ & semine fœniculi, ad aliquot patellas quotidie poti. Potui ordi-



ordinario infervit commode aqua fontana pura & levis, in qua ferrum extinctum, vel etiam serum lactis acidulatum.

## §. IX.

Peculiari ratione huic malo occurrendum, si ex menstruis suppressis, vel obstructis oritur. Tum scilicet vena secanda est in pede, & præterea clysteribus ex mens- *Si ex men-*  
 truis sub-  
 pressis qua  
 facienda.

struis suppressis idoneis confectis, ut artemisia, pulegio, floribus cheiri, baccis lauri & juniperi, alius frequentius eluenda, vel etiam temperatæ ejusmodi species emmenagogæ, in infuso, aut decocto, simul sunt propinandæ.

## §. X.

Alia quoque ratione medicatio instituenda, quando *A corrosivis*  
 quomodo ex-  
 cipiendus.

ab assumtis acris & acidis liquoribus stomachi vasa erosa & sanguis sic effusus evomitur. Tum scilicet ad conterendam acrimoniam & cicurandam rodentem facultatem, eximie conducunt pulveres absorbentes terreo alcalini, ad consolidanda autem vascula sauciata optimum remedium lac cum amylo coctum.

## §. XI.

In omni, a quacunque causa fuerit producta, stomachi hæmorrhagia, caute mercandum est cum opiatibus & narcoticis, eo, quod virium dejectionem, quæ nunquam non *Anodyna &*  
 stiptica su-  
 gienda.

in hoc morbo præsto est, magis adhuc cum summo detrimento augent. Summo etiam studio cavendum est a validis stipticis, adstringentibus & vitriolaceis pharmacis. His enim sanguinis eruptio quidem sistitur, sed cruor in vasibus stagnans putrescit & gravis inflammatio cum sphacelo metuenda, aut minimum, si cachecticum corpus est, expeditus sit in hydropem transitus.

## §. XII.

Superato vomitu cruento, abstinendum postea omni cura ab emeticis, nec non ab aloeticis, quibus sanguinis organismus, ejusdem inordinatus progressus & ad ito- *A quibus*  
 postea ex-  
 vendum.

machum

machum confluxus inducitur, ac sic facillime malum revocatur. Recte etiam monet *Hippocrates*: fugienda esse oleosa & pingua, quibus addenda etiam dulcia. Nam licet hæc inter alimenta sint præstantissima, recursui tamen & generationi hujus mali favent, quia vascula dilacerata nimium relaxando, sanguinis affluxum potius invitant, quam arcent.

## §. XIII.

*Hippocratis  
monita præ-  
ctica.*

Ceterum digna utique sunt, quæ subjungantur *Hippocratis* de morbo nigro monita practica, quæ libro II. de morbis Sect. V. consignavit & sic habent: *Morbo atro laboranti medicamentum purgans crebro propinato, & serum & lac, si anni tempus ferat, & cibis abstineat dulcibus, oleosis & pinguibus; utatur potius frigidis & alvum subducens, & nisi debilis fuerit, sanguinem e brachio detrahito. Quodsi alvus non dejiciat, molli infuso subluo, a crapula & venere abstineat, neque multum exerceatur, neque deambulet, calida non lavet, acria non edat, neque salsa, quæ cum fecerit, cum ætate etiam morbus fugiet.*

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

*Vomitus  
cruentus in  
juvencula  
curatur.*

Virgo, decimum octavum ætatis annum agens, corpore procerâ, macilenta ac tenera, facie pallida, anno ætatis decimo quarto, post vehementissimam iracundiam, tantam cruoris copiam evomuit, ut mensuram fere compleret. Subsequuta tum febris assidua, qua discussa, mensium fluxus erupit & in hunc usque diem satis ordinate successit. Interim haud raro emicuit sensus doloris pungitivi in sinistro latere & pressorii in ventriculo, quo Medicus consultus inductus, cruditates in stomacho subesse suspicatus est, & ob id porrexit vomitorium satis validum antimoniale.

moniale. Sed inde dolores & pressiones ventriculi mirum  
 exacerbatae & accesserunt praeterea stricture praecordiorum  
 anxiae, cum intenso capitis dolore, quin triduo post,  
 sanguis magno cum impetu per os erupit, sub extremorum  
 algore, aponia, animi profunda defectione alvique  
 adstrictione, quae insequutus aestus ingens, cum magna siti;  
 postero tamen die per vomitum nihil amplius sanguinis,  
 sed tantum ingesta rejecta, & ante meridiem semper agra  
 melius, post meridiem pejus habuit. Cum demum ego in  
 consilium adsciscerer, his usus sum magno cum fructu re-  
 mediis. Binis scilicet singulis horis porrexi paulatim for-  
 bendum, haustum aquae fontanae frigidae, cum pulvere ni-  
 troso absorbente & quindecim liquoris anodynii mineralis  
 guttis. Deinde ter successive injicere jussi clysterem emol-  
 lientem domesticum, quo alvus ingentem viscidorum re-  
 crementorum colluviem dimisit. His levata quidem agra,  
 conquevit etiam aestus nimius & urgens praecordiorum an-  
 xietas, nihilominus mansit semper conatus ad vomendum,  
 junctus interdum, non cum sanguinis, sed pituitae vomitu,  
 neque capitis dolores, neque anxietates praecordiorum  
 prorsus cessarunt, sed interjecto aliquo tempore redierunt  
 & vires praeterea multum fuerunt dejectae. Quare emulsi-  
 onem parare jussi ex decocto cornu cervi & scorzonerae,  
 aqua melissae & menthae sine vino, cum seminibus quatuor  
 frigidis, papaveris albi & syrupo papaveris, quam agra  
 insigni fumisit cum euphoria. Praecordiali vero regioni,  
 facculum herbae menthae, floribus sambuci & chamomillae  
 Romanae plenum inque vino coctum saepius applicare jussi.  
 Et ad levandum capitis dolorem liquoris anodynii mine-  
 ralis guttas quinque, vel sex, frustulo sacchari Canariensis  
 instillatas, saepius ori indere suasi. Sic demum effectum  
 est, ut & vomitus cruentus, & omnia reliqua pathemata  
 discederent, & agra pristinam perfectam recuperaret va-  
 letudinem.

*Epicrisis.*

Quando menses primum instant, decimo tertio, vel quarto ætatis anno, & juvenulæ ob id habent male, fortior animi, per mœrorem, aut iram commotio superveniens, sanguinis e stomacho eruptionem perquam facile suscitare potest, idque tanto certius, quando exhibetur emeticum, tum certe veneni vim habens. Quod si etiam semel hæc adfuit hæmorrhagia, post longum annorum decursum, eadem, quavis data occasione, facile redit, uti quidem in nostra factum est per vomitorium validum, quo sanguinis impetus non modo ad ventriculum, sed & ad caput translatus, in illo cruentum vomitum, in hoc autem gravia pathemata induxit.

## OBSERVATIO. II.

*Vomitus & secessus niger brevi lethalis.*

Laborat per longum tempus quartana febre juvenis, & tandem ab Empirico, nescio quibus, curatus, prævum inde corporis contraxit habitum, cum livido ac plumbeo faciei colore, aliquali etiam circa palpebras tumore & virium languore continuo. Præterea sæpius conquestus est, imprimis post usum flatulentorum, vel animi commotionem, de dolore sinistri lateris, alvo simul dura & tensa. Tandem cum pedes iter aliquot milliarium conficiens corpus valide exagitasset & rixas etiam cum sodalibus habuisset, incidit inopinato in vomitum nigrum, largius & aliquoties erumpentem; simul secesserunt per alvum fæces instar picis nigre ac foetidissimæ. Sub his æger sæpius animi deliquium, si erigeret corpus, incurrit & intra viginti quatuor horas plane exspiravit. Dissecto altero statim die cadavere, tam infacetus nares feriit foetor, ut non ferre possent adstantes. In ventriculo vasa brevia nigro colore conspicua & disrupta apparuerunt, & tam in ejus cavo, quam etiam ileo intestino, liquamen nigrum foetidum comparuit,

paruit, vasis ilei simul nigricantibus. Hepar, naturali aliquanto durius visum fuit, sed lien adeo durus, ut pene cartilaginis speciem præberet, atque exterior ejus substantia albescens vix acuto cultro discindi posset; mollior autem interior exigua compages superstes, atro sanguine erat plena.

*Epirisis.*

Subitanæ hoc est exemplum mortis, ex sola sanguinis effusione, memoratu utique dignum. Nam in aliis sanguinis profluviiis, licet is majori copia effundatur; non tamen tam subito mors, vel etiam animi deliquia accedunt. Quare alia utique subesse debet hujus eventus causa, quam ego quidem putredini cum intolerabili foetore tribuendam esse censeo. Quæ quia intimæ ad cerebrum nervosæque partes admissionis, inscit subito fluidum illud, quod vires præstat, eodem modo ac in iis, qui splacelo partium tantum externarum afficiuntur, nec non qui cancerum exulceratum gerunt, & eapropter vitam cum viribus subito perdunt. Quoad causam vero hujus mali, febris quartana diuturna & forsan male etiam curata, reliquit insigne vitium in lienis viscere, quo obstructo, accedente spastica sub ira strictura, sanguis in progressu magis adhuc impeditus, nec ea propter mirum est, eundem tam brevia vasa, quam quæ sunt in ileo, disrupisse & effluxisse.

OBSERVATIO III.

Femina sexagenaria, plethorica, sedentariæ vitæ & crassiori victui addicta, post perpessam diurnam coestitiam, conquesta est aliquamdiu de lassitudine corporis & dolore in sinistro latere. Quum vero curru aliquando verheretur & simul vento frigidiori corpus exponeret, vomitu ejecit magnam materiæ nigricantis copiam, mox etiam similis coloris per alvum secessit cum foetore ingenti, ipsa autem sub his dejectionibus aliquoties redeuntibus animi semper passa est deliquium. Datæ fuerunt

*Vomitus  
cruentus  
cum secessu  
nigro post  
XIV. dies le-  
thalis.*

runt interne analepticæ mixturæ, cum aceto destillato & cancrorum lapidibus. Exterius ventriculi regioni applicatum balsamum nostrum vitæ, ac præterea, sedato post vomitu, rhabarbarum in substantia cum manna datum. Videbatur malum hisce mediis aliquantisper inducias dare, & spatio triginta horarum, neque per superiora, neque inferiora, contigit ejection; nihilo tamen fecius rediit postea aliquoties anoterica & catoterica dejection cum animi deliquio, appetitus fuit simul prostratus, somnus turbulentus, paucus & nihil reficiens; quibus tandem, elapsis duabus hebdomadibus, consumpta femina occubuit. Tradito ad balsamationem cadavere, inspeximus mortis & morbi causam ac invenimus, vasa ventriculi brevia tumida & sanguine atro farcta ac in intestino ileo affatim cruorem atrum. Hepar magnum erat valdeque induratum, lien non quidem durus, sed naturali duplo major, adeo mollis, ut ipsius substantia digito pressa mox dehisceret & sanguis foetidus, obscure nigricans quaquaversum disflueret.

#### *Epicrisi.*

Ortus fuit funestus hic morbus procul dubio ex emanante sanguinis per uterum purgatione, qua cessante, in foemina plethorica, neglecta præterea venasctione, necesse utique fuit, ut sanguis in visceribus stagnaret, ea infarciret, & subtracto tandem per animi moerorem eorum robore, morbum mortemque hac ratione inferret. Quod autem diutius malo hoc affecta traxit agra, neque etiam tam ingens adfuit foetor, tribuendum videtur, tum, quod sanguis non simul & semel, sed successive effusus, tum etiam, quod sanguis in ætate senili non adeo particulis sulphureis scatet, quam quidem in ætate juvenili.

## OBSERVATIO IV.

Prodierat in dextro brachio infantis mensis unius unica nocte tumor insignis, qui mox lividus ac durus cum venis inflatis redditus, tenello, postquam per tres dies & noctes continuo ejulasset & per alvum materiam instar picis nigram egesisset, vitam eripuit. Dissecto mali moris tumore, cuncti substrati muscoli, una cum vasis, exsili, corrupti, putrefacti, sanguine foetido infarcti comparuerunt, & exigua admodum sanguinis quantitas in reliquis corporis canalibus. Illam vero nigricantem materiam per alvum ejectam, partim ex ventriculo, partim ex intestinis venisse, arguebat, quod adhuc ibi nonnihil ejus superat & vasa intestinorum nigricante sanguine turgida apparebant.

*Secussum niger ex tumore brachii triduo lethalis.*

*Epicriss.*

Nutricem hujus tam misere pereuntis infantis fuisse impuram & lue gallica ante annum laborasse, fuit post facta compertum. Interim non dubium est, quin ob motum sanguinis in parte inflammata & corrupta interceptum, is alias vias quaesiverit ac demum tenuia ventriculi & intestinorum vasa per ruperit, eodem modo ac subinde evenit, a gravibus partium externarum contusionibus sanguinem e naribus, vel etiam per alvum, aut alias vias prorumpere. Quam in rem consentit peritissimus *Platerus*, qui in *praxi* pag. 726. scribit: *a contusione aliqua facta circa viscera ventriculo vicina sanguis nonnunquam evomitur.* Nigredo autem sanguinis intimam omnino corruptionem ejus indicat, quae sine omni dubio a corrupta illa putrida tumoris materia profecta & communicata. Neque etiam alia ex causa, nigri & picci coloris cruorem, qui per anum in ejusmodi affectibus fertur, quam ex valde corrupto in viscere quodam sanguine, totius massae instar fermenti texturam invertente, petendam esse arbitror.

(*Hoffm. Syst. T. IV. P. II.*)

L

OBSER-

## OBSERVATIO. V.

*Vomitus  
cruentus  
moderatus  
menstrua  
antecedens.*

Non ita pridem femina Hebræa Amstelodamo meum exquisivit consilium. Agit hæc quinquagesimum annum, & ante octo jam fere annos, tribus, vel quatuor, ante mensium fluxum diebus, sanguinis e naribus per intervalla notabilem quantitatem profudit, donec prodiret uterina purgatio & narium stillicidium tolleret. Successit hoc per sexennium, postea vero non amplius e naribus menstrua periodo sanguis prorupit, sed præcedente leviori tussi, e faucibus aliquot successive cochlearia screatu evacuata. Tum semestri abhinc spatio, circa mensium tempus persensit, vomitu, sine tamen singulari conatu, e ventriculo sanguinem ad aliquot per intervalla, cochlearia protrudi; idque adhuc, quotiescunque redit tributi lunaris periodus, accidit. Ceterum femina est succi plena, vitæ sedentariæ, lauto victui & potui vini addicta, & ex eo quo vomitu egressit menstruatim sanguinem, ob periculi metum virium experta est languorem, cum appetitu prostrato & exiguo somno, quæ tamen post mensium fluxum & exacto octo dierum spatio, inducias dederunt. Accepit & conquisivit huc usque multa & varia medicamenta, sed frustra. Neque venæsectio, quæ tantum circa æquinoctium fuit celebrata, ullam attulit opem. Ego igitur consilium dedi, ut ante imminens mensium tempus, venam pedis aperiendam curaret, & tres tantum uncias sanguinis effluere permitteret; dein ut singulis hebdomadibus bis rhabarbari pulverem, cum lapidibus cancrorum & nitro permixtum, mane vel vesperi, circa lecti introitum cum haustu aquæ frigidæ sumeret, frequentius infusum theiforme, ex veronica, scabiosa ac summitatibus millefolii mane biberet, a vino & carnibus penitus abstineret, pro potu vero prisana uteretur, usque ad tempus vernum, quo fontis Selterani cum quarta parte lactis mixti potum per quatuor vel quinque hebdomades institueret & ipsam ceterum hilari animo esse iussit.

*Epicri-*



*Epicriss.*

Patet manifesto: hanc sanguinis eruptionem, non symptoma, vel effectum morbi cujusdam in viscere vasculoso obstructo consistentis, sed salutare opus naturæ esse. Etenim in femina hac valde plethorica, per spasmos, solenniter mensium fluxum præcedentes, pars sanguinis ad superiora, & primis annis ad caput, postea ad pulmones & denique ad ventriculi vasa translata fuit, quam translationem veteres palindromen, vel metastasin appellare consueverunt. Quia vero jam tempus adest, ut plenarie mox emanent menses; hinc suavi singulis mensibus sanguinis missionem & abstinentionem ab iis quæ multum sanguinis ingenerant. Et quia præterea cruoris vomitio nunquam non valde suspecta, metuendus omnino est gravior, si viscera abdominis sanguine forte oppleantur & infarciantur, progressu temporis, effectus; quem potus aquæ Selteranæ, cum victu tenui & moderata diæta utique avertere & præcavere valet.

## OBSERVATIO. VI.

Triennio abhinc peregre vocatus fui ad generosissimam feminam, delicatæ & teneræ constitutionis, vomitu sanguinolento enormi correptam. Accedens illico obvium habui maritum, monstrantem binas argenteas pelves, liquamine ex cruore concreto & phlegmate plenas, quod vomitu fuerat exturbatum. In agra offendi, pulsus valde debilem, & vires ita dejectas, ut erecto capite in animi incideret deliquium. Quare ingens periculum subesse dixi. Dedi quidem analeptica & roborantia, sed altero die, post aliquot adhuc instar loturæ carnis, intermixtis sanguinis fuscis coloris grumulis, vomitus, placide occubuit. Quum in causam morbi mortisque inquirerem, rescivi: defunctam, post puerperium laborasse tertiana, tunc temporis grassante genii valde anomali; hanc post quinque accessiones a

*Vomitus  
cruentus ab  
emmenago-  
gis calidis  
lotbalis.*

Medico vicini oppidi, missis pulveribus fuisse sublatam, ex eo vero per tres menses restitisse fluxum uterinum & successisse dolorem hypochondrii sinistri gravativum. Hinc matrem permotam fuisse, ut ab extraneo Medico petierit & filia miserit medicamenta, elixirium scilicet, quod, quum explorarem gustu, proprietatis sine acido, cum essentia zedoariae & succini erat, de quo ter quotidie guttas quinquaginta cum vino Rhenano veteri & generoso, sumserit ac pro ordinario potu cerevisiam valde lupulatam habuerit. Sed elapso vix trium hebdomadam spatio, incidisse ipsam in funestum hunc morbum.

*Epicrisis.*

Tragicus hic casus doceat juniores Practicos: quam perniciosum sit, emmenagogis, ad ciendos menses, paulo validioribus uti in subjectis tenerioribus, in quibus post purperium & febrem magis deficit, quam abundat sanguis; tanto magis, si ex dolore gravativo hypochondrii sinistri, labis in visceribus, post febrem, sine dubio adstringentibus cohibitam, & inprimis lienis, *justa est suspicio.* Nam ubi obstaculum ponitur in interaneis transcuntis sanguini, is calidioribus medicamentis valde exagitatus & expansus, venas ventriculi teneriores facile vi perumpere & exitum affectare, atque etiam sibi parare valet.

OBSERVATIO VII.

*Morbus niger ex hepatis vitio lethalis.*

Causidicus clarus, quadragenario major, corporis habitu gracilis & inter labores fori assiduos sedentariam admodum vitam colens, a pluribus jam annis cerevisiam partim, partim vinum in seram usque noctem bibere consueverat, tam largiter, ut quotidie vix tres, vel quatuor vini mensurae sufficerent. Dum vero potui sic indulgit, ciborum appetentia cum viribus languescere coepit, corpus quoque

quoque marcescere & sæpius gravativus dextri hypochondrii dolor affligere, facie simul existente plumbea & coloris ad ictericum vergentis. Venæsectionem natura quasi horruit, eandemque vix semel, vel bis, per totam vitam admiserat, in juventute tamen narium stillicidium expertus fuerat frequentius. Quum demum in convivio plus quam tres potentis Hungarici vini mensuras ingurgitasset, saltando quoque corpus valide exagitasset, domum delatus, summam præcordiorum anxietatem perensit ac paulo post iterato per intervalla sanguinis fulci, ex parte concreti, colluviem evomit ingentem. Injecto ex jure galli, oleo amygdalarum dulcium, nitro & sale aliquoties clystere, ejusdem indolis etiam per alvum secessit liquamen, ut adeo intra viginti quatuor horas plus quam tres sanguinis mensuræ per superius & inferius os exirent. Vocatus ego, porrexi interius mixturam analepticam leniter adstringentem, ex aqua menthæ, melissæ, theriacali, cinnamomi sine vino, succo citri, cum coralliis, speciebus de hyacintho & sirupo papaveris albi. Exterius præcordiorum regionem inungere jussi linimento ex oleo amygdalarum dulcium, nucistæ & camphora, & superimponere sacculum herba menthæ, absynthii, floribus rosarum rubrarum, chamomillæ Romanæ plenum, ex vino rubro coctum. Quibus quidem sensim sanguinis per superna cructatio constitit, sed remansit magna virium dejectio, cum ciborum plenaria inappetentia, successit tandem ventris, cum superiorum tabe, tumor, & intra bimestre spatium mors ipsa.

#### *Epicrisis.*

Cruentam vomitionem ex liene & hepate proficisci, prisca jam fuit *Galeni* sententia, & ego idem aliquoties experientia habeo confirmatum in iis, qui postquam aliquamdiu de dolore hypochondrii dextri pressorio diuturno con-

questi, accedente gravi iracundia, motu corporis impenso, vini potentis abusu, aut refrigeratione externa, vomitus, nec non secessus alvinos sanguinolentos incurrerunt, tam largos, ut intra exiguum tempus, ejecta plus quam tres vel quatuor mensuras aequarint. Quare mihi omnino videtur verosimile, non tantum ex brevibus ventriculi vasis, uti in sola vomitione cruoris accidit sine secessu per alvum, verum etiam per hepaticos ductus nimium ampliatis, vel plane disruptos venæ portæ ramulos, ad duodenum per-rumpere sanguinem ibique effusum, non modo vomitus, sed & dejectiones alvinas sanguinolentas facere. Discant vero etiam ex hac observatione strenui illi spirituosorum imprimis potatores, quam male consulant suis visceribus. Ego enim inde obstructions, indurationes & rupturas in mesaraicis vasis sanguineis & lymphaticis vidi, unde postea ater funestus morbus, cruentus vomitus, hydropes, lentæ & hæctica febres.

## OBSERVATIO. IIX.

*Vomitus & secessus cruentus a mensium retentione.*

Percellabatur ingenti terrore femina trigeneria ipso illo tempore quo menstrua purgatio succedebat, & tremens adhuc ingerebat aquæ frigidæ haustum liberalem, eoque in artuum tremorem validum & inappetentiam ciborum delabebatur. Redeunte menstrua periodo, sanguis quidem comparuit, sed justo parcior, ac maximæ præcordiorum anxietates, cum nausea, vomitu, extremorum frigore & faciei rubore ipsam infestarunt. Tertio mense priora redierunt pathemata cuncta, & præterea accessit per triduum vomitus largus sanguinis, vires summo-pere prosterbens.

*Epicrisis.*

Nihil certe deterius & feminarum sanitatem magis lædit, quam gravis animi ex iracundia, aut terrore commotio,

motio, incidens in illud tempus quo uterina purgatio succedit. Salutare enim illi motui excretorii sic statim invertuntur, ad interiora vergunt, ac facile postea in habitum transeunt, nisi cito emendentur iterum. Quare si incidit ejusmodi noxa, quam fieri potest citissime succurrendum congruis auxiliis, inter quæ præter venæsectionem & clysteres demulcentes, quam maxime proficua theiformia infusa, cum iis quæ sanguinis ad exteriora motum rursus revocant, blanda scilicet diaphoretica.

CAPVT IV.  
DE  
HÆMORRHOIDALI FLUXV  
NIMIO.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

**N**on omnis liberalior sanguinis per sedis venas secessus, pro eo, qui præter & extra naturæ legem fit ac nimius est, habendus; sed consideranda vasa, corporis habitus, vires, ætas ac temperamentum. Non enim infrequens, quod ea sanguinis effusi quantitas, quæ certis corporibus legitima est ac salutaris, aliis vicissim sit nimia ac perniciosa. Neque etiam omnis solito largior, a mole sanguinis valde aucta eaque paullo impensius commota, suscitatus hæmorrhoidalis fluxus, censendus est morbosus, sed is demum, qui diutius insistit, qui vires posternit, quo appetentia, laudabilis alimentorum digestio, nutritio aliæque functiones læduntur, ac metus tandem est, ne via ad graves & chronicas passiones pandatur.

*Nimius hæmorrhoidalis fluxus, quid & qualis.*

§. II.

## §. II.

*Eiusdem se-  
gna.*

Nimum hæmorrhoidum fluxum antecedunt ut plurimum & comitantur hæc: dorſi & lumborum gravativus preſſoriusque dolor, interdum crurum ſtupor, extimarum partium cum levi horripilatione conſtrictio, vaſorum in iis ſubſidentia, pulſus durior & conſtrictior, oris fauciumque ficcitas, urina parcius & frequentius pallida, ſenſus ponderis in podice ad perinæam ſe extendens, ventriculi imbecillitas, flatulentia in imo ventre, frequens ad menjendum & deſidendum ſtimulus, ſubinde cum mucii albi & bilioli excluſione, ac ſenioribus magisque imbecillis accidit præterea ani proſidentia.

## §. III.

*Quæ ſanguinis  
excreti  
qualitas &  
quantitas.*

Sanguis in nimio hoc profluvio ater plerumque in principio excernitur valdeque grumofus, interdum etiam in fructa quæ palmam manus æquant coactus e varicofis vaſis evacuatur; poſtea ſequitur rubicundus & demum admodum ſerofus, quandoque pituitofus, ſive mucus albuminis ovi ſpeciem habens. Copia ſanguinis excreti nonnunquam oppido magna, ac uti *Montanus* notavit, quotidie duas libras, vel uti *Panarollus* vidit, quotidie libram æquat. Diu etiam sæpe inſiſtit profluviū, idque per integrum menſem, viginti, quin quadraginta quinque dies, factum eſſe, obſervatorum fide dignorum teſtimonio conſtat.

## §. IV.

*Ex hæmorrhoidibus  
internis venit.*

Sanguinis per inteſtinum rectum excretio omnis fit per vaſa ſic dicta hæmorrhoidalia. Externæ tamen hæmorrhoides rarius fluunt, ſed in varices dolorificas facile abeunt, quæ apertæ ſanguinem plorant, neque tamen crebro nimum fundunt. At internæ hæmorrhoides, quæ propagines ſunt ſplenici rami, & ad inteſtini recti interiorem ſubſtantiam, quin ani uſque ſphincterem porriguntur, unacum arterioliſ ex meſaraica inferiori productis, non modo

modo fluxus effusioris fontem præbent, sed & suppressæ, morbos, qui ex labe hepatis, lienis, pancreatis, mesenterii & intestinorum fiunt, ingenerant.

§. V.

Ipse fluxus immediate & proxime per arteriolarum ramos sanguine nimium distentos tandemque disruptos contingit. Neque tamen ex toto negandum, e vena etiam hæmorrhoidali, propter læsam, quæ ipsi cum arteria est, anastomofin, multum sanguinis ibi collecti & sæpe vitiosi prodire. Patefacta enim sic via, valvulæ egressum ibi impediētes desunt, & si vel maxime essent, varicosa tamen venarum habitudo multum & valvularum situm immutet necesse est.

*Arteriis maxime, tum etiam venis,*

§. VI.

Salutarem illam per sedis venas sanguinis evacuationem, difficiliorem per hæmorrhoidales venas, ob situm earundem perpendicularem, progressui & ad portæ venam ipsumque hepar reditui, in acceptis referendam esse, & quando vasorum in recto extrema ab accumulato ibi sanguine nimis diducta aperiuntur tandem atque dehiscunt, contingere, inter omnes constat. Vnde qui excedentis etiam & perniciosi hæmorrhoidalis fluxus causam atque originem ab impedito sanguinis per hæmorrhoidales & mesaraicas venas ipsumque hepatis viscus motu progressivo repetit, is minime a vero aberrat. Testatum id sane faciunt observationes anatomico-practicæ, quibus confirmatur, illum venæ hæmorrhoidalis ramum, qui juxta coli tractum excurrit ad anum, multo quam quidem secundum naturam esse suevit, ac vel triplo ampliorem, in iis qui hæmorrhoidum excessu perierunt, offendi. Etenim quo major sanguinis per arterias est affluxus & segnior per venas refluxus, eo magis a collecto sero & sanguine fibræ laxantur, vasorum alvei diducuntur & labefactato sic ma-

*Causa impeditus sanguinis per hæmorrhoidalia & mesaraica progressus.*

gis magisque partium tono ac robore profluvium diutius durat, facilius etiam recrudescit.

## §. VII.

*Ad quem  
concurrunt  
plures cau-  
sa.*

Quæcunque igitur sanguinem ingignunt nimium, ejusdemque per portæ ramos commeatum remorantur, aut etiam copiosiore ad loca hæmorrhoidalia affluxum invitant, ad hæmorrhoidalem tam moderatum, quam etiam immoderatum fluxum disponunt. Hinc est, quod qui laxum, spongiosum, obesum, plurimis vas sanguine turgidis distinctum corporis obtinent habitum, qui lauto fruuntur victu, vitæ genus colunt sedentarium motusque expers, & a majoribus hoc morbo affectis prognati, hæmorrhoidum excessui quam maxime sint obnoxii. Eandem quoque ob causam accidit, quod acriora purgantia, aloëtica crebrius usurpata, calidorum ciborumque aromaticorum, nec non potus vinosi dulcis atque potentis liberalior usus, omissæ suetæ sanguinis subtractiones, animi affectus, ira potissimum & tristitia diuturna, & corporis quoque, maxime per equitationem, commotio impensior, aliæque id genus plura, ut impetat hic sanguinis fluxus præternaturalis, faciunt.

## §. IIX.

*Periculosus  
fluxus ni-  
mius.*

Ceterum periculosum utique est effusius hoc sanguinis hæmorrhoidalis profluvium. Inde enim vires convelluntur, corpus marcescit, femora gravantur, somnus fit laboriosus, præcordia gravativo sensu anguntur, venter cum borborygmis tumet ac pulsus micat debilis. Vrgente postea diutius fluxu, pedes circa malleolos intumescunt, facies item & oculi, color illius fit luridus ac plumbeus, spiritus arctius meat, & postremo in cachexiam, hydropem, lentam & hæcticam febrem fit transitus. Vt adeo pateat: ex defectu etiam sanguinis graves subnasci ægritudines, ac utique vitæ viriumque thesaurum esse sanguinem, nec quantitate, nec qualitate peccantem.

## §. IX.



§. IX.

Exitialis hæmorrhoidum excedentium eventus certius imminet, si tumor hepatis, vel lienis, hypochondriorum inflatio, cum alvo adstrictiore, incipiens cachexia & hydrops, morbosam hanc sanguinis effusionem induxerunt. Sic enim sub ipsa priora mala ingravescent, obstructions increpescunt & obfirmantur, ac vitiosa quoque sanguinis & succorum constitutio augetur. Unde profluvium fit chronicum, tandemque in atrophiam lentamque hecticam febrem, cum extrema virium jactura terminatur.

*Ducit ad hecticam.*

§. X.

Frequentioris observationis est, nimias sanguinis per sedis venas profusiones ducere ad hydropem, idque præsertim in phlegmaticis & qui rarum corporis obtinent habitum. Si autem hydropi ex hepate indurato supervenit ejusmodi excessiva hæmorrhagia, certum mox subsequituræ mortis præbet indicium.

*Et hydropem.*

CURATIO.

Variæ & differentis indolis sunt causæ, quæ ad excitandum nimium hæmorrhoidum profluvium faciunt atque concurrunt; ideo variæ etiam medendi sunt indicationes, & varia quoque ac diversæ naturæ ad arcendum illud ac persanandum remedia.

§. I.

Non adeo insolens est, ut in corpore plethorico, resitante aliquandiu sueto alias fluxu, a vehementiori corporis, vel etiam animi commotione, a potu spirituoso liberalius assumto, balneo nimis calido, aut medicamento intestinum sanguinis motum, nimium intendente, non modo subito & confertim fiat, sed & solito diutius infistat sanguinis, cum pulsu magno & vehementi, per hæmorrhoides

*Sanguinis copia minuenda.*

*Ejusdem or-  
gasmus  
temperan-  
dus.*

profusio. Quod ubi accidit, primo omnium divertendus ac derivandus sanguinis impetus, eumque in finem sanguinis missio in brachio, vel brachiorum in liquorem aquosovinosum tepidum immissio, apprime ex usu est. Dein usurpanda ea, quæ excedentem intestinum partium in sanguine sulphurearum motum componunt, diluentia maxime & refrigerantia, potus aquæ frigidæ, præsertim chalybeatæ, vel mineralis temperatæ, seri lactis cum succo citri coacti, aqua plantaginis, fragorum, acetosæ, acetosellæ, decoctum cornu cervi citratum, tinctura rosarum cum spiritu vitrioli preparata, & confecta ex his cum sirupo rosarum julapia. Eundem in finem præstans est virtus nitrosorum, nitri tantum purificati, vel artificialis, ex spiritu nitri & sale tartari parati, vel in pulvere cum absorbentibus & roborantibus, vel etiam in potu dati. Porro operam locant egregiam quæ impetuofum solidorum & fluidorum motum placant simulque dolores & spasmos levant, anodyna, inter quæ spectatæ virtutis est liquor noster anodynus mineralis, spiritus etiam nitri dulcis rite paratus, aqua item florum chamomillæ vulgaris & summitatum millefolii, nec non ex papaveraceis, semen papaveris albi, sirupus papaveris utriusque, aqua & extractum papaveris, aut si fortioribus utendum, semen hyoscyami albi.

§. II.

*Humores  
impuri per  
alvum*

Quando cum virium jactura & nobiliorum functionum læsione effusior fluxus diu persistit, incipiensque viscerum læbes subest, & magis serosi aquei, quam consistentis fibrosi sanguinis copia delinquit, conferunt quam maxime ea, quæ succos vitiosos ac biliosos clementer paullatimque per alvum educunt, simulatque humorum motum a recto intestino ad tunicas & glandulas reliquorum intestinorum alliciunt, eoque nomine merentur laudem rhabarbarina, cum passulis minoribus & tamarindis, vel quod idem, cum cremore tartari, si corpus est biliosum, in potione elæosaccharo

faccharo citri condita. Tum quoque temperatiora diaphoretica, corrigendo & expellendo acres humores, officium faciunt opportunum, ibi maxime, ubi scorbutici, vel purpuracei aliquid, aut alius exanthematicæ materiæ, sanguinis & feri contextui altius inhæret. Horum in numero sunt cornu cervi ustum, vel, uti vocant, philosophice præparatum, unicornu fossile, diaphoreticum antimonium, acetum vini cum lapidibus cancerorum mixtum, aqua galegæ, florum sambuci, cardui benedicti, theriacalis, simplex mistura, diascordium Fracastorii, quæ in potionem lege artis possunt redigi. Nec proleteria virtus est liquoris anodynæ mineralis, cum quarta liquoris bezoardici Bussiani parte nupti; infusi item theiformis ex millefolio, veronica, pilosella aliisque concinnati, & cum dispositione in lecto aut conclavi ad blandum sudorem, poti. Atque etiam non possumus non hoc loco commendare refractam camphoræ dosin, ad granum dimidium, præsertim quando nitrosi & bezoardici pulveribus commiscetur. Hac enim ratione acris & caustica materia, quæ sæpe spasmodum æqualem sanguinis commeatum turbantium & hæmorrhagiam largam inducentium causa est, obtunditur & foras ejicitur, simul adstringentium & anodynorum vis, tantisper ne noceat, refrenatur. Itaque non ineptus censendus ille veterum mos, quo camphoram præcipuis ad sistendas etiam hæmorrhagias medicinis, commiscuerunt, ut exiguam admodum dosin, cuius generis sunt species de hyacintho, diatrion fantali, diatrion Abbatis, trochisci de carabe, sperniola Crollii, nec non famigeratissimus Heurnii ad sistendum sanguinis fluxum pulvis.

## §. III.

In graviore illo & difficillimæ medicationis fluxu, qui obstructione, vel infarctu moleque audacta visceris cuiusdam, hepatis, lienis, aut in feminis uteri, nititur; eligenda, si medicinæ adhuc locus, ejusmodi auxilia, quæ dum

*Et cutem e  
vacuandi.*

*Obstructiones referan-  
da.*

obstructionum repagula solvunt, humores non nimium commovent. Inter hæc a priscis jam temporibus usu & securitate celebres pilulæ de bdellio Mesue, a *Foresto*, *Solenandro* & *Riverio* laudatæ. Nec contemnendæ pilulæ Becheriana methodo ex amaris extractis & gummatibus temperatioribus concinnatæ, ita tamen ut aloes in locum, rhabarbari extractum, largius paullo commixtum surrogetur, si hisce nitroli pulveres pro re nata interponantur. Nil vero ad expedienda obstructa aqueis & diluentibus est præstabilius. Vnde quam optime in usum trahuntur minerales aquæ, subtilitate atque temperie nobiles, quarum classem ducunt Antonianæ, Wildungenses & Selteranæ, vel cum, vel sine lacte potæ. Et certe prudens ac moderatus harum aquarum, ad aliquot hebdomades, sub debito regimine & interpositis pilulis dictis, nec non elixirii balsamici temperati martialis pharmaci mixtura acuatî usu continuatus potus, palmam præripit reliquis cunctis. *Montanus* præterea in *consiliis*, jus pulli copiose tribus ante prandium horis bibere jubet, eoque plures hoc malo se liberasse testatur. Majoris tamen adhuc efficaciam erit, si jusculo incoquantur acetosæ, cichorii & scorzonæræ radices, aut etiam medicamentum martiale temperatum, cujus generis est illa cum pomorum succo parata martis tinctura, cum extracto cascarillæ aquoso, primo mane sumatur, ac postea supra laudatum jus copiose bibatur.

## §. IV.

*Atonia recti  
intestini fir-  
manda.*

Demum inter præcipuas copiosi sanguinis affluxus & effluxus causas referenda merito recti intestini, ejus membranarum & vasorum atonia. Quare adhibenda etiam utique ea, quæ relaxatis nimium & a tono dejectis partibus foenerant iterum robur. Interius laude sua hoc nomine non defraudandæ sunt species de hyacintho, trochisci

de

de carabe Mesues. Ex martialibus est maxime ipse hæmatites in subtilissimum pollinem redactus, tinctura martis cum succo aurantiorum confecta, tinctura martis Zwölteri, crocus martis antimonialis subtilissimus cum conserva rosarum antiqua exhibitus, tinctura item florum salis ammoniaci martialium, cum rectificatissimo vini spiritu parata & cum æquali portione elixirii amari temperati mixta. Inter resinosa & balsamica nobilis est virtus succini præparati vel alcalisati, extracti cascarillæ & santali rubri. Et hæc omnia cum prudentia convenienti ordine ac dosi usurpata, fructu non destituuntur, si modo malum recipit adhuc sanationem.

## §. V.

Adhibenda præterea etiam sunt topica constringentia, ad obtinendum effectum speratum. Si igitur venæ in ani limbo varicosæ, citra alvi depositionem, magnam sanguinis, non sine syncopes, vel mortis metu, fundunt copiam, colcothar vitrioli, vel etiam lupi crepitum, sine noxa admovere licet. Tanto magis, si leniora prius adhibita profecerunt nihil, cujus generis est decoctum ex floribus balauustiorum, rosarum rubrarum, myrrho, plantagine, malicorio & chinæ cortice cum vino rubro præparatum & cum spongia recto intestino post dejectionem alvinam applicatum. Vbi autem impetus sanguinis effluentis jamjam compositus, ossi sacro cum perinæo & pube apponendum crebrius epithema ex herba menthæ, sumach, floribus rosarum rubrarum, hyperici, rasura ligni santali rubri, mastiche, cardamomo & chaccarillæ cortice, in vino rubro coctis. Neque minus ad firmandum intestini recti tonum ex usu est, idem hoc decoctum ano injicere syringa.

*Adhibenda  
externa.*

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES  
CLINICÆ.

## §. I.

*Ordo in medicatione servandus.*

**I**N medicatione effusi hæmorrhoidum ac morbose profusio vii hæc servanda methodus: ut præmittatur sanguinis missio & primarum viarum cum recenti cassia, vel rhabarbaro electo in decocto repurgatio; postea vero roborantia & leniter adstringentia, in & externa, tutius adhibere licet. Ex nimia enim sanguinis profusione tanta oritur imbecillitas, ut medicamenta efficaciora rarius felici cum successu applicare sit integrum. Generalis quippe medendi est regula: quo major naturæ est imbecillitas, eo leniora & diætetica magis remedia, minus vero validiora pharmaceutica usurpare decet.

## §. II.

*Cautela circa refrigerantia.*

Nitrosa, acidula & refrigerantia, uti in principio, & ubi ingens æstus & orgasmus sanguinis præsto est, usurpantur cum euphoria: ita minus tutus eorundem est usus, sanguine cum viribus jam nimium profuso & ventriculo debilitato, præsertim, ubi ex viscerum obstructione fluxus est symptomaticus.

## §. III.

*Venesectio-  
nem.*

De phlebotomiæ usu tenendum, eandem non facile in agro absente esse adornandam; eo quod multum refert, ut justa & conveniens sanguinis quantitas emittatur. Etenim in principio, si corpus sanguine valde turget, major ipsius, ad derivandum, e brachii vena, copia, poterit subtrahi. At ubi jam multum cruoris sponte effusum, parrior & partitis potius vicibus, cum prudenti & cauta ratione, instituenda est missio.

## §. IV.

## §. IV.

Optime jam monuit *Hippocrates*: hæmorrhoidibus nimium fluentibus, oclulis reliquis venis, unam servandam esse apertam, ne hydropis, vel tabis fiat metus, facta scilicet sanguinis ad pulmones, vel hepar, palindrome. Vtut vero effatum hoc proxime intelligendum sit de externis venis nimium fundentibus, & per utionem, vel stiptica oclulis; recte tamen etiam applicari potest, ubi ex internis, uti in nostris solenne est regionibus, effusus sanguinis sit profluvium. Tanto magis, quia has ocludere, sive potius fluxum sistere, non ita promptum est ac expeditum, nec nisi per validiora interna perficiendum, quod, si non perite & valde circumspecte adornatur, damnum redundat, effato *Hippocratis*, certissime.

*Circa fluxus  
cobibitio-  
nem.*

## §. V.

Quæ quum ita sint, valide adstringentium usus utique sit cautissimus. Neque enim in principio, multo minus, quando vires cum sanguine jam exhaustæ, utilem locant operam, ac potius in corporibus imbecillis & exquisitis sentientis naturæ, spasmodica pathemata, convulsiva, animi deliquia, summas præcordiorum anxietates, cum tremore & palpitatione cordis concitant. Quod si itaque fluxum compescentibus uti necesse, consultum est, non vi & magnis dosibus id perficere, ne noxam inferant. Oportet quoque subjungere diluentia, temperantia & leniora laxantia, inter quæ præstantissimum est asininum lac vel serum lactis dulce. Potissimum vero præstat martialia liquida cum ipsis diluentibus assumere.

*Adstringen-  
tium usum.*

## §. VI.

Quando tamen sanguinis ex hæmorrhoidalibus locis fluxum subito sublatum summæ præcordiorum anxietates, inflationes, cum inquietudine & angustia excipiunt; revocandus is est lenioribus elicientibus & laxantibus, clysteribus quoque emollientibus ac suppositoriis.

*Cobibitus  
quibus revo-  
candus.*

## §. VII.

*Anodynorum cautela.*

Pari ratione cum hypnoticis, opiatibus & narcoticis mercandum est cautissime, quippe quæ, tanto magis intempestive data, insaniam plane inducere apta sunt. Ex optimis, si locus, est illa massa pilularum, a Wildegansio nomen gerens, quæ etiam cum fructu exhibetur, quando atrox dolor & spasmus sub prima lumborum vertebra, nimiam sanguinis effusionem movet, eaque propter est placandus.

## §. IIX.

*Quæ in vitæ servanda.*

Si ullo in morbo exquisita vitæ victusque ratione opus est; in hoc certe quam maxime necessarium, eaque neglecta, auxiliis, vel præstantissimis, obtinendum nihil. Quocirca ægris commendanda serio abstinencia a fructibus horæis, leguminibus, acetariis, lacticiis, carnibus vetustis, induratis fumo atque salitis, ab aromatibus, allio, cepis, vino potenti spirituosisque cunctis. Dissuadendæ etiam venationes, omnes impensiores corporis commotiones, per equitationem maxime & vecturam, in locis præsertim lapidosis & inæqualibus, & placidum potius motus genus, supernam magis, quam inferiorem corporis regionem afficiens, sub cælo amœno, sereno, concedendum. Nihil vero sic laborantibus perniciosius animi commotione, ira inprimis ac terrore, unde occasio ad eas studiose præscindenda omnis. Neque minus multum interest, ut congruo potu utatur hæmorrhoidibus effusis obnoxius. Nos quidem potum aquæ, vel feri lactis, item decoctum fantali rubri cum mastiche & cinnamomo, nec non julepos, ex decocto cornu cervi, syrupo acetosilitatis citri, additis aliquot guttulis olei de cedro, vel unciis aliquot aquæ florum citri, maxime commendare solemus, tum præservandi, tum curandi scopo.

## §. IX.



## §. IX.

Composito morboſo hæmorrhoidum profluſio, ne iterum erumpat, danda eſt opera. Obtinendum id exacta vivendi, modo commendata, ratione, ſanguinis miſſione, ter, vel quater quotannis inſtituta, primæ regionis quovis menſe per *epicraſin* repurgatione, ac dextro aquarum mineralium, vel ſolo lactis chalybeati uſu. Sedulo denique cuncta ex alimentis & laxantibus vitanda, quæ dolorem excitant, quia hæc ſequitur deſidendi cupiditas.

*Præſervatio.*

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

Celeberrimi nominis vir, corpore plenus atque robustus, ſexageſimum tertium ætatis annum egreſſus, a multis jam annis liberale ſanguinis per venas ſedis paſſus eſt ſtillicidium, fere menſtrum, eodemque rite ſuccedente, valetudinis incommoda ſenſit nulla. Sed poſteaquam diuturno affectus fuerat cum tacita iracundia mœrore, reſtitit hæmorrhoidum fluxus, & facies antea florida, facta flaveſcens & flaccida, cum oculorum intumeſcentia. Ob metum igitur cachexiæ Pymontanas adiit acidulas eaſdemque ingenti copia hauſit, neque tamen in, neque poſt eorum uſum, conveniens coluit in vita victuque regimen. Inde effuſiſſimus ſanguinis puri per anum ſequutus eſt fluxus, non compeſcibilis, licet nitroſis pulveribus Becherianisque pilulis uteretur. Pedes potius facti œdematoſi, venter intumuit, vires collapsæ, anhelitus factus difficilis, ſuperiora contabuerunt tandemque excepit mors.

*Hæmorrhoidum excelsus letalis poſt Pymontanas.*

*Epicriſis.*

Nihil certe ex animi etiam commotionibus hæmorrhoidariis eſt pernicioſius, quam angor & mœſtitia diutius extracta, quæ vires, tonum ac robur partium labefactando,

efficiunt primum stagnationes, quæ postea obfirmando in abdominis visceribus infarctus, excessivas inducunt hæmorrhagias atque funestas. Pyrmontanæ autem acidulæ, si quis illis uti velit cum fructu, exquisitum postulant regimen, tam sub, quam aliquot hebdomades post usum, tanto magis, si potans jam tum viscerum affectus est labæ. Quod quia in nostro non factum, sed potus pro lubitu, sine observatione debita institutus, malum exacerbatum & ad exitum tristem traductum esse non est mirandum, nec eapropter dextro usui quicquam detrahendum.

## OBSERVATIO II.

*Hæmorrhoider nimia camphorato compositæ.*

Judaus annorum quinquaginta, natus patre hæmorrhoidario, & ipse a prima statim ætate sanguinis stillicidiosis, in variolarum quidem & morbillorum morbo e naribus, ac postea hæmoptyli obnoxius, quadragesimo anno cœpit primum pati hæmorrhoidalem fluxum, qui postea singulis fere mensibus, ac nonnunquam sub fortiori in itinere maxime corporis commotione, rediit effusior. Quod quum sine sanitatis detrimento contingeret, tulit patienter; sed quum aliquot abhinc annis insisteret profluvium diutius, idque largum, inde admodum fuit debilitatus, & appetentia cum digestionem labefactata. Quare ut auxilium quæreret fuit coactus ad moderandum fluxum. Ex variis autem multisque remediis obtinuit nullum. Optimum tamen tulit antimonii tinctura, ex sale tartari & regulo antimonii parata, & non tam acris, quam quæ cum nitro conficitur, in cuius uncia soluta camphoræ drachma dimidia, & mane vespereque cum aquæ frigidæ haustu sumta ad guttas viginti.

*Epicriffs.*

Perperam utique putant præiudiciis toti inhærentes & parum periti, camphoram nimium concitare sanguinis æstuo-

æstuosum organum eaque propter esse reformidandam, multo minus in immodicis sanguinis fluxionibus in usum trahendam. Alia enim omnino docet experientia, quin camphora, quandoque etiam in majori paulo dosi, ad scrupulum unum sumta, plus refrigerii sentitur, quam incalcescentiæ. Veteres sane non adeo alieni fuerunt a camphoræ usu, sed eandem præstantissimarum medicinarum compositionibus commiscuerunt multis, ut quidem ex Augustana patet pharmacopœa. Ne dicam, *Riverium* & nos quoque eadem in inflammationibus, in malignis, magno cum emolumento in dosi non exigua fuisse usos. Atque etiam in nimis hæmorrhagiis, roborans simulatque anodyna camphoræ virtus utilitatis est maximæ, imprimis si aliis medicamentis sociatur & parva dosi exhibetur. Cum antimonii potissimum tinctura mixta camphora, diuresin, neque minus diaphoresin augendo, ac imbecilles partes roborando, sanguinis & seri affluxum a recto intestino divertit aliorsum, ac ob id eximie prodest.

## OBSERVATIO III.

Virgo novem ac decem annos habens, venæsectionem nunquam passa, sed nimio mensium fluxui subinde obnoxia, cruentas experta est sedes, sine molestia tamen atque dolore, idque per dies aliquot. At cum gravi perceretur iracundia, ingentem sanguinis puri ac sinceri alvo exclusit copiam, non sine summa virium jactura. Substitit tamen rursus effusus hoc profluvium, quin hausto frigido potu, fluxus restitit penitus. Sed inde ingentes incurrit præcordiorum anxietates & constrictiones, quasi convelleretur cor ipsum, als wenns ihr das Herz abstoßen wolte, extrema facta frigida, facies rubicunda, venæ in capite inflatæ, arteriæ pulsant valide ac celeriter cum quadam duritie. Datus ipsi pulvis ex diaphoretico antimonio, cancerorum

*Hæmorrhoides nimie exterrere in virgine curata.*

lapidibus, nitro & cinnabari, cum infuso summitatum millefolij, data quoque simplex mixtura cum croco, & habuit melius.

*Epicrifs.*

Feminas etiam hæmorrhoides pati, non novum est; neque etiam rarum, iræ affectum fluxum earum reddere immoderatum; id vero non adeo obvium, solum frigidum haustum sub ipso fluxu tam gravia concitare posse pathemata. At frigus nervosis partibus spasmo jamjam affectis, uti fit sub iracundia, est inimicissimum, & intensiores spasticas constrictiones augendo, tam gravia pathemata inducere valet utique.

OBSERVATIO. IV.

*Nimia hæmorrhoides sanata.*

Præfectus militum quadragenario major, natura sanguineus atque robustus, a multis jam annis expertus fuerat hæmorrhoidum fluxum cum euphoria. Sed quum a sucto vini Rhenani potu transfiret ad vini Gallici Pontack potum, elapso aliquot mensium spatio, hæmorrhoides præter morem sunt retentæ, & successerunt dolores atrocissimi in lumbis & abdomine, cum virium dejectione, inappetentia, vigilia pulsuque celeri & frequenti. Exhibita vero ter laxante potione ex tamarindis, rhabarbaro & passulis minoribus, non modo soluta est alvus, sed & ingens nigri & congrumati sanguinis copia excreta, summo cum levamine. Diutius tamen quam par erat perdurabat fluxus sanguinolentus; quo quia vires nimium atterebantur, datum est electuarium ex rosarum conserva, speciebus de hyacintho, succino, croco martis tenui & granatorum sirupo, cujus usu ad hebdomadem continuato, ad sanitatem ductus est æger.

*Epicrifs.*

Vina illa Gallica coloris saturate rubicundi, uti est Pontack atq; Vin de Grav, si sine aqua & liberaliter bibuntur, propter adstri-

adstrictionem quam alvo præstant, utilia sunt minime, sed experientia teste, admodum noxia. Vnde omnibus etiam modis in periodicis & criticis sanguinis evacuationibus sunt vitanda, atque etiam in ipsis excedentibus hæmorrhagiis provide adhibenda. In omnibus autem hæmorrhoidalibus affectibus, siue sanguis fuerit suppressus, siue fluxerit immoderatus, præstantius non datur atque accommodatius purgans, quam quod nostro datum, quo diuturnum etiam fluxum, a copia serosi ac biliosi sanguinis oriundum, feliciter sanatum fuisse, ego vidi multoties.

## OBSERVATIO. V.

Ante triginta circiter annos Secretarius Regiminis quinquagenarius, corpore spongiosus & carnosus, ob affduos muneris labores vitæ sedentariæ deditus, ab aliquot jam annis anxii cardialgicis doloribus & circa præcordia constrictionibus, noctu præsertim, subinde fuerat afflictus, alvique ordinario erat strictioris, flatulentis ac ructibus obnoxius, dolores quoque lumbarem sæpius obsidebant regionem, *urina cum difficultate & sæpe arenosa procedente.* Hinc calculum subesse renalem judicarunt & varia ad eum proposuerunt amici domestica remedia, inter quæ etiam fuit spiritus baccarum juniperi, cum earum rob probe subactus, saccharoque edulcoratus. Ab horum vero usu potius ingravescebant symptomata. Mox enim truculentis spasms & doloribus inflativis circa hypochondria & abdomen torquebatur, cum partium extremarum frigore & inquietudine, qui emollientes & discutiendi facultate pollentes clysteres etiam eludebant. Tandem accedente cum pulsum celeritate internarum partium æstu, mitescebant quidem dolores, remansit tamen inflatum abdomen, quod nec tactum manus tolerare poterat ob dolorem, appetentia cum viribus, persistente per quatuor septimanas affectu,

*Hæmorrhoides nimie in hypochondriaco funesta.*

affectu, concidebant. Celebris tum Medicus vocatus, causam horum symptomatum hepatis iudicans obstructionem, pilulas Becherianas & mercurii dulcis aliquot doses præbuit. Sed his omnibus irritis, præter omnem expectationem, salvi fluxus, sine torminibus tamen, foetidæ corruptæ ex atro-gryseæ materiæ erumpebat, quem animi intercurrentis defectio cum extrema virium jactura tandemque mors excipiebat.

*Epicrisis.*

Ex vita sedentaria cum arduis mentis laboribus, ob difficiliorem redundantis in venis mæsaricis regressum per hepar, hypochondriaca pathemata, sive spasmodico-flatulentia, quæ calidorum & sanguinem exagitantium immodico usu exacerbantur, accedere, non novum est. Hæc autem tempestiva venæsectione corporisque motu & exercitatione omnino posse averti, experientia confirmat, qua etiam in confesso est, dolores hypochondriacorum diutius perdurantes demum fluxu sanguinis per venas sedales corrupti hæmorrhoidali solvi salutariter. Notavit id jam *Solender*, & memoratu digna utique sunt ipsius de hoc observato verba, quæ *conf. VII. Sect. II. p. 121.* sic habent: *Observavimus hypochondriacos aliquot, quibus istæ corporis regiones, & potissimum sinistrum hypochondrium, multo nigro succo, tanquam atro jure distentæ ac repletæ erant. Novimus, quibus similis ex iis locis humor supra infraque abscessit, quod licet cum periculo conjunctum esset; tamen evasisse plures scio, & honesto viro, Johanni Philippo Sleidano, fratri, bis illud intra annum accidisse memini, & ante mensem honesta & nobilis matrona de Luttersdorff, istius atrii succi, & quod mirum est fere insipidi, e dextro hypochondrio, ad libras sex, vel septem, vomitu rejecit, sed hi plerumque ascite moriuntur. Alia vero ratio & difficilior evadendi modus est, quando pervicacibus ejusmodi in hypochondriacis doloribus assidua lentaque febris jungitur, quæ ab inter-*

*interna visceris corruptione suborta depascens vires, nunquam non periculosa est.*

## OBSERVATIO VI.

Non ita pridem generosissima in comitatu Mansfeldensi femina vidua, quinquagesimum annum egressa me accivit, quæ ob lautam & motus expertem vitæ rationem, sanguine, succis & pinguedine plena, semel tamen tantum ab eo tempore quo menses profus cessarunt admisit venæsectionem, & ante octo annos cum mensium fluxu simul apertas fluentes hæmorrhoides passa fuit. Hæc diu jam de lassitudine corporis & viribus languentibus conquesta, incidit circa æquinoctium autumnale in gravem morbum soporosum, adeo ut excitari omni sensu penitus privata nullo modo ab eo potuerit. Medicus hujus urbis famigeratus in auxilium vocatus, venam in pede secandam suavit, & postea potum fontanæ frigidæ præbuit sat largiter, ita ut singulis horis uncias aliquot caperet. Absumptis sic intra biduum quinque vel sex mensuris, post clysterem stimulantem admissum, ingens sanguinis copia, primum crassi, postea tenuioris, per alvum exiit, ita ut intra viginti quatuor horas, plus quam quinque mensuræ profluxerint. Ex eo illico ægra rediit ad se, sopor discussus, collectæ sensim paulatimque vires, datisque analepticis leniter adstringentibus, injecto etiam clystere ex pura aqua frigida, pauca tamen, confecto, belle convaluit.

*Effusa hæmorrhoides soporem discutientes.*

*Epicrisis.*

In aqua communi pura fontana & pluviali, eaque frigida, summum adversus plures & magnos morbos repositum esse præsidium, antiqui Medicorum Græcorum & Arabum satis agnoverunt; recentiorum vero plurimi, qui vulgaria & simplicia spernere & exotica pretiosa magna arte parata tantum in usum vocare solent, tam præstantissimam

nam medicinam, quæ fere universalis est, si cautus & peritus Medicus ea uti scit, hucusque & neglexerunt & prope modum rejecerunt. Ego vero ante viginti jam annos scripsi dissertationem *de aqua medicina universali*, nec non *de simplicissimo doloris podagrici remedio* & haud ita pridem *de salubritate frigidi potus*; quin propria experientia, & Medici, qui heic in curationibus suis aqua frigida utitur fere semper, convictus testor, quod potus aquæ frigidæ generosum & valde efficax sit remedium, quo nimia redundantis & ebullientis sanguinis expansio, motibus vitalibus nunquam non adversa, efficaciter componitur, humores viscerum diluuntur & acres mordaces demulcentur, & quod præcipuum, ipso frigore, partibus a tono & robore defectis, conveniens elastica systaltica virtus restituitur, adeo ut magnum roborans sit remedium. In nostra ægotante valde plethorica, præmissa venæsectione in pede, potus aquæ frigidæ immodicam sanguinis ebullientis & vasa distendentis, quæ etiam causam morbi soporosi dedit, vim compressit, & robur systalticum adducendo ac firmando fibras, sanguinis ad venas ani extremas majorem appulsum earumque apertionem concitavit. Qua sanguinis effusione, revulsio magna feri stagnantis a capite facta & tota symptomatum depulsa fuit syndrome. Ex quo intelligitur: arte etiam inductum, immoderatum alias & nimium hæmorrhoidum fluxum, sub certis, quod bene notandum, circumstantiis, corporis & causæ morbificæ remedium saluberrimum quandoque esse posse.



CAPVT V.  
DE  
UTERI HÆMORRHAGIA  
IMMODERATA.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

**N**on omnis larga sanguinis per uterum fluxio, quæ *Hæmorrhagia uteri quid & qualis.*  
in feminis sanguineis subinde ob nimiam redundantiam accidit, ac si nimia & noxia esset, censenda, sed ea demum, quæ virium imbecillitate stipatur, quam postea aliæ functionum læsiones conspicuæ, ut inapetentia, cruditas ex mala digestionem, gravativus circa ventriculi regionem sensus, fœdus faciei color, pulsus languidus & frequens cum lento æstu, pedum oedematofus tumor, turbatus & minus reficiens somnus, insequuntur.

§. II.

Hæc nimia sanguinis ex utero effusio, ratione temporis quo impetit multum variat. *Differt ratione temporis.* Nimirum quandoque statim quo erumpere solent menses tempore, sanguis copiose & cum impetu effertur; quandoque extra illam lunarem periodum, bis vel pluries in mense, reedit fluxus; quandoque ipsa menstrua purgatio solito diutius per complures dies liberaliter succedit. Quæ etiam parturientibus & abortientibus haud raro accidit hæmorrhagia, aliquando ante, aliquando post abortum vel partum, erumpit.

§. III.

Sanguis qui utero sic effunditur, tam ratione quantitatis, quam qualitatis, item odoris, & coloris, a Medico probe- *Quantitatis & qualitatis sanguinis.*  
be-

be debet considerari. Interdum cum impetu exit tenuis & satis floridus sanguis, quem vulgo dicunt das *Hetz* & *Geblüt*, idque frequentius in abortu, vel post eum, a retentis secundinarum frustis, quibus orificia vasorum aperta tenentur. Quandoque cum sanguine copioso coagulata & carnem referentes massæ, ovi minoris magnitudine, excluduntur, quod fit, ubi uterina purgatio ad duos vel tres menses substitit. Nonnunquam valde grumosis, ater & coagulatus sanguis nigricans erumpit, idque subinde primis puerperii diebus, in gracilioribus & sanguine plenis. In cachecticis sique diutius jam duravit profluvium, sanguis effunditur aut valde aquosus & tenuis, aut mucidus. In scorbuticis corruptus, foetidus cum acrimonia & dolore. Frequentius etiam, præsertim in junioribus, vel quæ nondum pepererunt, immoderatam sanguinis vacationem, fluor albus, sive stillicidium materiæ mucidæ albicantis impuræ sequitur.

## §. IV.

*Causa sanguinis progressus per uterum impeditur.*

Causa immoderatæ & næviæ ejusmodi hæmorrhagiæ, in copiosiori & impetuosiori sanguinis ad uterum per arterias affluxu, & inæquali ac impedito per venas refluxu quærenda. Hoc enim si contingit a sanguinis turbato motu, vasa uterina nimium distenta, aut relaxata, dehiscunt tandem, vel disrumpuntur, aut eroduntur, ut sanguis liberaliter effluat.

## §. V.

*In plethorâ.*

Sola sæpius plethora adeo exuberat, ut non solum vasa uterina diducat, sed & interdum plane disrumpat. Id vero his fere accidit, quibus menses diu suppressi, postea confertim ac citatius erumpunt; nec non iis, quibus abortus, aut veri aut spurii foetus, quavis ex causa contingunt. A partu quoque laborioso evenit, vel difficili; quum scilicet vel grandior foetus, vel oblique situs, nimio conatu excluden-

cludendus, sub quo vasa vel rumpuntur, vel nimis dehiscunt.

§. VI.

Ordinario fere contingit, feminas circa illud tempus, quo menstrua purgatio sua sponte desinit, ante annum videlicet quinquagesimum, inordinatam diuturnam admodum, neque omnis periculi expertem, ex utero sanguinis fluxionem pati, qua cessante, cessat etiam penitus dein per uterum sanguinis menstrualis excretio. Interdum etiam, quod aliquoties observavimus, accidit, feminas anno-fiores, sexagenarias circiter, subito & ex improvise, im-mensam cum malo odore sanguinis utero excernere copiam, quæ, juncta tandem febre lenta, interierunt.

*Emanenti-  
bus & jam  
emanis  
mensibus.*

§. VII.

Immoderatus sanguinis ex utero profluvium, eo tempore, quo incipit, vel per intervalla revertitur, ut plurimum præcedunt & comitantur hæc: tensio & inflatio hypo-chondriorum, circa lumbos dolor gravativus & pressorius, quandoque cum sensu refrigerii junctus, extremarum partium refrigeratio, vasorum detumescencia, color faciei pal-lidus, pulsus citatior, cum interiorum ardore, alvi strictura, urinæ parcior fluxus. Hæc omnia autem satis abunde testantur, non a causa solum passiva, id est, nimia debilitate & laxitate uteri, sed ab activa etiam, spasmodi-cis partium vasculorum & nervearum stricturis, sanguinem ad uterum nimium urgentibus, hoc vitium proficisci. Vnde etiam ratio repetenda, quod feminæ hypochondriacæ, hystericae, & quæ tenerioris sunt ad animi commotiones proclivioris naturæ, hoc molesto malo frequentius affici-antur.

*Dum per  
spasmos con-  
geritur, ut  
patet ex si-  
gnis.*

§. IIX.

Nil frequentius est, quam si in puerperio salutare negligitur regimen, neque in eo, neque post illud, uterus

*A genitis in  
utero carno-  
sis massis.*

a sordibus probe expurgatur, elapso aliquot mensium spatio, impetuosa hæmorrhagiæ cum animi sæpius deliquio subsequantur, quæ etiam per intervalla repetunt, & non prius desinunt, quam ejecta foras una vel altera massa carnosæ, pugni interdum magnitudine, quam femellæ molam dicunt. Et hæ massæ procul dubio ex laciniis placenta relicta, & succo nutritio in iis per calorem condensato, non secus ac carnes luxuriantes in fauciatis partibus, gignuntur. Dum vero postea mole sua comprimunt venas uteri, sanguinis circuitum per eas retardant & ad impetus ejusmodi hæmorrhagicos ac motus uteri spasticos, quibus illæ concreciones carnosæ eliduntur, causam præbent sufficientem.

## §. IX.

*Periculosa est uteri hæmorrhagia.* Si corpus est cacochymicum, pravis succis plenum; si scorbutica, vel etiam venerea lue infectum; ubi viscera non sunt integra, hepar, lien, aut vasa mesaraica sanguine crasso infarcta, non caret malum periculo, sed multum negotii Medico facessit. Etenim sub ejusmodi fluxu, fucorum labes & cachexia semper *increscit*; eo quod quo plus debilitantur vires, eo minus ventriculus bene appetit & digerit, eo magis crudi succi, qui difficilius in sanguinis boni & liquidi cerebri substantiam transeunt, generantur, eoque minus dein per sueta & congrua emunctoria fit recrementorum excretio.

## §. X.

*Maxime in parturientibus & abortientibus.* Vita valde periclitatur in iis, quæ ante partum, foetu existente mortuo, magnum sanguinis patiuntur profluvium. Nisi enim extraordinario naturæ robore & præsentaneo Medici auxilio foetus excludatur, vel operatione chirurgica opportune eximatur, mortem sequi certissimum est. Periculosæ etiam eæ uteri hæmorrhagiæ sunt, quæ ex ruptis ob secundinam cum violentia extractam vasis oriun-

riuntur, nec non quando frustula retenta, postea, in deformes massas, molas dictas, concresecunt, mensium fluxum semper vitiant & nimium reddunt.

## C V R A T I O.

## §. I.

**I**N medicatione dextre adornanda, omnino Medicus ad varii generis causas & alias atque alias circumstantias & symptomata debet respicere, quo iis removendis idonea & efficacia convenienti tempore opponere possit remedia. Igitur, ubi nimia sanguinis redundantia & quidem a retardato sanguinis menstrui consueto fluxu immoderatiore hæmorrhagiæ causa est, non melius ac certius ad præservationem ejusmodi mali suppetit præsidium, quam venæsectio, aliquot dies ante suctum ordinarii fluxus tempus, in partibus superioribus instituta, sufficientem sanguinis copiam, ad sex vel octo uncias, evacuando. Rectius adhuc, si uterine purgationis per aliquot menses suppressio impetuosa hæmorrhagiæ causa est, tempestiva sanguinis missione in pede, hæc ipsa avertitur commodissime. Vbi vero jam multum sanguinis profluxit, ad ejus impetum divertendum & ad superiora loca revocandum, parcior quantitas est emittenda. Et certe quam præstans sit in venæsectione præsidium adversus hunc morbum, conceptis verbis testatur *Hollerius in comment. ad aphor. L. Hippocr. Sect. V. vidimus*, inquit, *quæ sanguine mulso e vena detracto convalescunt, quum nullis aliis remediis fluxus sanguinis reprimi possit.*

*Si sanguis abundat mittendus.*

## §. II.

Quando nimius ebullientis sanguinis orgasmus fovet & auget hoc malum, ob motum intestinorum partium sulphurearum concitatiorem, diluentia, humectantia, refrigerantia & diluentia danda.

*Si in orgasmo constitutus refrigerantia & diluentia danda.*

gerantia auxilio sunt efficacissimo. Atque inter hæc excellit quam maxime sola aqua frigida fontana, modo satis fit pura & subtilis, aut quæ melior adhuc pluvialis, probe conservata & putredinis experta, vel admixta nitri decenti quantitate alterata, vel cum spiritu vitrioli & sirupo papaveris rhœados in julapii formam redacta, & sufficienti copia pota. Etenim simplex hæc medicina, & diluendo spissos humores, & acres contemperando, nimiumque æstum restinguendo, fibras quoque relaxatas firmando, plus certe præstat, quam tantopere a Medicis, alia varii generis ad hoc malum domandum laudata *specificæ*. Non tamen postponenda virtus quo pollet hunc in *finem serum lactis dulce*, & acidulum, item chalybeatum, nec non aqua Selterana cum lacte alinino, præsertim ubi corpora sunt graciliora, tenerioris & sensibilibioris indolis, & lento calore macerantur, item ubi scorbutica & exanthematica acris materia vitalibus succis immixta, graviolem hunc & difficiliorlem reddit affectum.

## §. III.

*Spasmi componendi per anodyna.*

Vbi spasmodorum & dolorum ferocia, quod subinde in puerperio, item post abortum, atque in hypochondriaca & hysterica passione affectis evenit, sanguinis profluvium ciet, confugiendum utique ad ea, quæ blanda & anodyna vi dolores & motus effrenos solidorum placant atque sedant. Hoc nomine liquorem nostrum anodynum mineralem cum pulvere nitroso simul sumtum, pulveres antispasmodicos, qui ungula alcis, dentem hippopotami, lapidem manati, cornu cervi philosophice præparatum, pulverem marchionis, nitrum, cinnabarium, succinum, castoreum recipiunt, merito laudamus, quorum virtus eo fit efficacior, si unum vel alterum granum laudani hysterici, item massæ pilularum de cynoglossa additur ipsis. Papaveracea quoque, anodynorum lenissima, ut folia papaveris rhœados, in infuso theiformi cum summitatibus millefolii, & flori-

floribus chamomillæ vulgaris, aqua, sirupus, extractum papaveris, laudabilem, præsertim ubi simul humorum peccat acrimonia, opem locant.

§. IV.

Quia in hoc affectu frequentius copiosum & viciosum serum sanguini se immiscet, opus est, ut ad alias vias id dirigatur & per congrua excretoria evacuetur. Perficitur id optime & efficaciter per blanda per epicrasin operantia laxantia, inter quæ manna, rhabarbaro, cassia & tamarindis nihil datur convenientius & præstantius, modo in convenienti & sufficienti quantitate exhibeantur. Nam manna tabulata, ad duas uncias cum drachma una cremoris tartari in infuso ex aqua florum acaciæ cum oleo citri præscribenda pro dosi, alias non sufficiens, & satis valida sit purgatio. Rhabarbarum optime miscetur cum passulis Corinthiacis in infuso, vel si cum iis in sirupiformem massam redigitur. In paulo robustioribus pulvis mechoacannæ albæ, ad drachmam dimidiam, vel scrupulos duos, cum æquali cremoris tartari parte permixtus, locum perquam commodum invenit. Divertenda verò etiam serosa illuyies ad renale cribrum, quod præter serum lactis, vel aquam Selteranam, terra foliata tartari, solutio oculorum cancri, nitrum antimoniatum, tinctura tartari cum spiritu nitri dulci & spiritu tartari mixta, præstant efficaciter.

*Serum impurum alia ad congrua emunctoria divertendum.*

§. V.

Impetu sanguinis nimis vehemente ad lypothymiam usque persistente, confugiendum utique demum ad ea, quæ adstrictoria pollent facultate efficaci, cujus indolis sunt species de hyacintho, trochisci de carabe, hæmatites, bolus Armena, essentia terræ catechu, cum liquore anodyno & refracta dosi essentia anodynæ remixta, famigeratissima Sylvii mixtura, ad omnes immodicas sanguinis

*In rebellifluxu adhibenda adstringentia interne.*

*Et externe.* profusiones utilis. Externe vero in forma emplastri ster-  
cus suillum, aceto forti imbutum, regioni pubis applica-  
tum, sistendi facultate gaudet haud proletaria. Vel concin-  
nandum cataplasma ex foliis plantaginis & polygani,  
floribus rosarum, balauftiorum, coquendum in aceto rosa-  
ceo & subfrigide apponendum. Nec minus præstans hoc  
nomine est efficacia emplastri spermatis ranarum, cum alu-  
mine, oleo hyofcyami & camphora permixti, ac regioni  
lumbari admoti.

## §. VI.

*Ad præser-  
vationem  
robis visce-  
ribus rad-  
dendum.*

Quando fluxio jam per aliquod tempus conquievit,  
præservandi causa ad arcendam recidivam, præsertim si  
corpora sint serosiora, & cachexia jam adest, aut imminet,  
robur non modo utero, sed & omnibus visceribus conci-  
liare oportet. Id vero commode & efficaciter præstari  
potest pilulis methodo Becheriana paratis, aliquoties as-  
sumtis, item elixirio nostro balsamico viscerali, cum tin-  
ctura martis Zwölfferi, vel etiam Ludovici, permixto.  
Laudem etiam merentur juscula alterata cum succo planta-  
ginis, cichorii, acetosæ. Potus sit aqua frigida, in qua ali-  
quoties frustum chalybis candefacti extinctum. Aquæ  
quoque Selteranæ solæ per plures dies epotæ, laudabilem  
præstabunt opem. Contra ea fugienda vina, carniū,  
ovorumque eius & omnia ea, quæ sanguinem nimium ad-  
augent & exagitant.

## §. VII.

*Et uterū  
se purgan-  
dus.*

Quia vero experientia multiplici testante, quam ma-  
xime abortio & puerperium ad enormes hæmorrhagias,  
præsertim si uterus postea non bene purgatus fuit, dispo-  
nere solent; providendum utique omni cura erit, in puer-  
perio, vel etiam post illud, ut ipse satis mundificetur. Cui  
scopo obtinendo feliciter & efficaciter omnino pilulæ Beche-  
rianæ, & quæ ad earum imitationem paratæ sunt ex ex-  
tractis



tractis amaris, temperatis resinoso-gummatibus, extracto rhabarbari & refracta aloës gummosæ dosi, concinnata inseruiunt, si non modo duobus aut tribus diebus post partum per aliquot dies sumantur, sed & medio puerperii tempore, simili modo per tres aut quatuor dies ipsarum usus continuetur. Vel pilularum loco infusum ex aqua melissæ, vino, rhabarbaro, herba melissæ, rorismarini, radice pimpinellæ, agarico, passulis minoribus, corticibus aurantiorum & citri per aliquot dies hauriendum. Quibus remediis id efficitur, ut uterus ejusque vasa ab omni succorum vitiosorum illuvie, atque etiam laciniis, quæ ex retenta secundina remanent & rudimentum molarum carnearum præbere possunt, expurgetur ac liberetur.

### CAUTELÆ ET OBSERVATIONES CLINICÆ.

#### §. I.

**A**D perfanandum æque ac protelandum hoc malum, *Vena scilicet  
nis monica  
& cautela,* potissimum prudentiæ medicæ momentum in eo repositum, ut pro differente corporum & causarum ratione, mensura, modus ac tempus, mittendi e vena sanguinis, rite perspiciatur & observetur. Scilicet quæ habitioris sunt corporis & a sola sanguinis abundantia sæpe cum immani hæmorrhagia abortiunt; illæ sola subtractione sanguinis, tempestive in brachio celebrata, vel etiam si res postulat repetita, ab incurfu hujus morbi possunt vindicari. Contra ea ubi viribus jam valde exhaustis, nimia sanguinis copia profusa, præstat a venæsectione abstinere. Tum vero e re est, brachium utrumque tepidæ aquæ, cui quippiam vini admixtum, per horæ dimidium immittere, quo sanguinis impetus ad exteriora divertatur. Idque remedium longe efficacius est ac utilius ipsis cucurbitis ad

mammas applicatis, quas tamen *Hippocrates* passim in scriptis suis in ejusmodi casibus magnopere commendat.

## §. II.

*Alvum sol-  
ventia ne-  
cessaria.*

Si diutius hoc malo colluctantur feminae, sive sint biliosae, sive phlegmatico sanguinea constitutionis, rarius feliciter sine alvum solventibus remediis sanantur. Sunt autem inter hæc optima rhabarbarina, rhabarbarum cum cremore tartari, aut si multum serosae colluviei evacuandum est, cum tertia parte mechoacanæ albæ acutum. Utiles quoque pilulae temperatae balsamicae, secundum exemplar *Becheri*, refracta bene præparatae aloës dosi concinnatae, vel loco harum aleophanginae, vel de succino *Cratonis*, quarum virtus interpositis nitroso-salinis pulveribus utique exaltatur.

## §. III.

*Quandoque  
emetica le-  
nia.*

In tenerioribus biliosis & cachecticis leniora emetica, cujus generis est radix *ipecacuanæ*, singulis mensibus ad arcendum malum exhibita, non male cessisse novi, a qua methodo ipse *Hippocrates* & *Riverius* quoque non alieni. Prima enim regio, ob deperditam digestionem, haud infrequenter multorum chronicorum uteri affectuum causam & fomitem fovet ac præbet eaque propter ut efficaciter depleatur expedit.

## §. IV.

*Adstringen-  
tia & ano-  
dyna caute-  
danda.*

Validiora adstringentia caute & provide admodum adhibere oportet, quod etiam de narcoticis tenendum; quæ neque in principio, neque etiam ubi vires a nimia sanguinis profusione penitus jam exhaustæ, imminente fere semper animi deliquio, conducunt. Quin vidi sæpius, ab adstringentibus fluxum exacerbatum fuisse; vidi quoque nonnullas, ab immoderatiore horum usu in immanes & graves chronicas passiones, cachexiam, hydropem, lentam & hæcicam febrem, perpetuum lymphæ ex utero stillicidi-  
um

um, cum intumescencia & tumore duro circa dextrum latus inguinalis regionis, fuisse præcipitatas.

§. V.

Pulvis *Heurnii* cujus descriptionem in *commentario ad aphorismos Hippocratis Libr. V. aphorism. L.* exhibet, & quem maximo cum successu semper in immoderati uteri fluxu se adhibuisse refert, non contemnendus est. Compositio autem ita habet: accipe feminis hyoscyami, papaveris albi ana drachmam unam, hæmatidis, coralliorum rubrorum ana drachmam semis, camphoræ scrupulum dimidium M. de quo mane & vesperi dimidia drachma pro dosi sumenda. Nos quoque ab ejus usu olim laudabilem effectum vidimus, sed convenit eum exhibere ubi omnia in actuoso sunt motu, arteriarum pulsû celeri & vehementi, cum assidua vigilia, atque tum etiam securius, cum ipsi additur nitrum ad dimidiam drachmam; minime vero ubi vires cum sanguine exhaustæ sunt, & pulsus vix digito tangi potest. Nam a feminis hyoscyami usu paulo largiori, in dementiam conjectas fuisse quasdam personas novimus. Idem monitum etiam tenendum de pilulis de cynoglossa, quæ pariter subactum in exhibitione desiderant judicium practicum.

*Etiã  
Heurnii  
pulvis.*

§. VI.

Quando a viscerum obstructione chronicum malum fovetur, cura sine legitimo aquarum mineralium, vel acidularum, vel thermarum temperatiorum usu, rarius ex voto succedit. Expediit vero medicamentis temperate balsamicis hanc curam secundare, & exterius quoque ad roboranda viscera ipsumque debilitatum uterum, silente fluxu, balneo aquarum subadstringenti virtute gaudentium, cujus indolis sunt nostræ Lauchstadienses, uti.

*Mineraler  
aque ad curam  
patisissima.*

§. VII.

Multum interest, quo potus genere utantur illæ, quæ ejusmodi immodicis sanguinis fluxionibus macerantur. Neutiquam

*Potus sel-  
gendus com-  
modus.*

tiquam enim ventriculus, in hoc affectu valde imbecillis, omnia æque bene ferre potest. Inprimis abstinendum ab omni cerevisia, a potu quoque vinoso, ac potius in usum vocanda decocta, ex rasura ligni santali rubri, citrini, radice cichorei, semine fœniculi & passulis, parata. Quibusdam solus potus aquæ fontanæ frigidæ, alteratus quodammodo sirupo acetositate citri, vel tantillo nitri injecto, optime cessit. *Ludovicus Septalius Libr. VII. animadvers. medicar. articul. CXLIV.* decoctum corticum aurantium, mane ad octo vel novem uncias potum, tanquam remedium certissimum deprædicat, eoque fere infinitum mulierum numerum ab hoc morbo se liberasse asseveravit, sed inter secreta id servavit. Receptit autem aquæ libras septem, in hac incoxit cortices trium pomorum aurantium, aliquando adhuc viridium, interdum etiam addidit in fine aliquid herbæ pilosellæ.

## §. IIX.

*Que vita  
victusque  
ratio tenenda  
tam in  
curatione.*

Vti in omni præternaturali hæmorrhagia, ita etiam in hac ipsa, ventriculi & exacta vivendi ratio maxime habenda est. Ob vires enim cum sanguine deperditas, ventriculus nec bene appetit, nec decenter digerit, nec recte egerit, sed cruditatum & flatuum copia turget ut plurimum venter. Optimus est cibus fucus, modicus & salubris; minime gelatinosus, difficilioris solutionis & qui inflat. Potionibus, si fuerint aquosæ, subinde modicum vini optimi rhenani, vel genuini vini Pontak, admiscendum est. Ac uti nimium frigus, ita etiam immoderatus æstus aëris nocet. Neque admittenda est nimia corporis quies, neque nimia ejus exercitatio, veneris usus sit parcissimus. Demum si unquam affectus animi præsentaneum damnum inferunt, certissime id contingit in sanguine exhaustis corporibus.

## §. IX.

## §. IX.

Multum tandem refert, ut quæ extreme immodicis sanguinis fluxionibus debilitatæ, sedato fluxu, convenienti diætâ pristinam sensim recuperent sanitatem. Nam si repente cibus se replent, quos imbecillis ventriculus non satis digerere potest, facile incurrunt ob cruditates in alias chronicas passiones. Nimirum uti effato Hippocratis impura corpora nutrientibus læduntur: ita etiam valde debilitata. Habenda igitur est quam maxime ventriculi ratio, & analepticis ac nutrientibus cibus quidem restaurandæ sunt vires, sed parca manu offerantur necesse est.

*Quam poss  
morbum.*

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

Vidua hujus loci honesta, jam septuagenaria, extenuati corporis, sedentariæ vitæ multum addicta, post quinquagesimum annum cessante ex toto menstrua purgatione, assueta fuit singulis annis circa æquinoctia sanguinis missioni, post annum autem sexagesimum ex muliercularum consilio eam omisit. Vnde intra sexagesimi & septuagesimi anni spatium aliquoties pathematibus spasmodico-flatulentis, tumentibus quoque venis hæmorrhoidalibus externis, interdum etiam sanguinis mictione, tentata fuit. Medicus salutari consilio suavit venæsectionem crebrius repetendam, sed ipsa hujus moniti negligentior, incidit tandem in ingentem animi mœrorem cumque diuturniorem, ac paulo post ex improvise immodice sanguis per uterum effluxit, & frustra datis optimis analepticis & roborantibus, per menses aliquot & longius continuavit. Tandem cum intolerabili fœtore profuxit ex pudendis cruor, lenta successit febris & summa virium dejectio, donec placcide obiret misera.

*Hæmorrhagia uteri cum febre lenta lethalis in vetula.*

*Epicrisis.*

Neque ab immoderata uteri hæmorrhagia vetulæ immunes, si plethorica sunt & sanguinis missionem negligunt. Quin si cum vita sedentaria animi mœror jungitur, quam facile ab abundante sanguine & in visceribus abdominis, præsertim utero, stagnante, sphacelosa corruptio succrescere potest, quam foetor subinde indicat, qui intolerabilis fit, maxime quando hæc corruptio ad ipsum intestinum rectum penetrat. De foetidissimo uteri profluvio historiam quoque refert *Heurnius* in *notis ad aphorism.* *Hippocrat.* & quidem 56. *Sect. V.* vidi inquit, nobilem matronam, quæ profluvio uteri extabuit & tanto foetore effundebatur, ut nullus non existimaret albo venire. Sed hic foetor longe alvum superabat. Existimo totum eius uterum, in teterrimum tabum eliquatum, una effusum fuisse. Languebat hæc mirum in modum, ac quasi lethargo stupebat mente, lente obiit intolerabilibus foetoribus, ego sane nil foetidius unquam olfeci.

## OBSERVATIO. II.

*Hæmorrhagia uteri  
pessio stiptico  
sanata.*

Illustris stemmatis femina, floridæ formæ, sanguine & succis plena, vigesimo octavo ætatis anno tertium jam mensem gravida, ex uteri sinu sanguinem per duas hebdomades exigua quidem quantitate profluere sensit, vehementioris vero saltationis motu mox in talem incidit hæmorrhagiam, ut universus propemodum sanguis, usque ad menses sex, vel septem, floridus & fluidus, intra aliquot horas, e corpore promanasse visus fuerit, intercurrentibus subinde animi deliquiis. Nihil auxilii tam intra quam extra ad cohibendum tantum sanguinis impetum prætermisum fuit, sed frustraneo effectu. In tanto itaque vitæ periculo coactus ego fui ad anceps & extremum confugere auxilium, linteam scilicet apte contortum & probe solutione capitis mortui vitrioli imbutum, quod in uteri  
sinum

finum quousque penetrari potuit, intrudi curavi. Hoc non multo post substitit fluxus, & exhibitis analepticis medicamentis & alimentis erectus quodammodo animus cum viribus. Tertia die post, tentata est extractio lintei, quæ non fuit sine difficultate, quia illud plane exsuccum & ficcatum erat, ipsique superne congrumatus, niger, aridus sanguis adhærescebat. Factum hinc est, ut, quum secessum peteret agra, frustum massæ carneæ ex utero simul, cum aliqua sanguinis fluidi portione prolaberetur. Quo excluso, quum nihil amplius exiret, postea per commodam diætam & medicamenta, ventriculi digestionem ac vires restaurantia, generosa hæc femina successive convaleuit.

*Epicriffs.*

Non novum est, ab incoercibili sanguinis ex utero profusione in partu laborioso, in abortu etiam, in lethalem syncopen incidere posse feminas. Sub tanto autem mortis periculo, anceps etiam remedium experiri non inconsultum est. Et licet tale stipticum uteri internis partibus applicare nunquam antea observatum vel visum fuerit; tamen hæc observatio docet, stiptica etiam internis uteri partibus non adeo esse inimica, siquidem post hæc femina gratiosa admodum & concepit & peperit feliciter.

OBSERVATIO III.

Judæi uxor annorum sexaginta tenerioris & mobilioris naturæ multorum liberorum mater, quum tertio jam mense crederetur gravida, citra ullam manifestam occasionem copiose sanguinem ex uteri sinu prorumpere sensit, exclusa simul non ita multo post massa carneæ pugni magnitudine. Hoc factò nihilominus permansit fluxio puri & etiam fibrosi sanguinis cum virium insigni decremento; quin quum gravi terrore percelleretur, mox continua ad

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

Q

lipo-

*Hæmorrhagia uteri  
antispasmodicis sanata.*

lipothymiam ingruit proclivitas, cor palpitavit, & tremuit cum magna præcordiorum anxietate spirandique angustia, extrema frigerunt, & quandoque, ut in epilepsia fit, sub animi deliquio, pollices cum reliquis digitis fortiter contracti fuerunt. Atque hæc omnia sub suavi quodam oblato odore, graviora; remissiora vero sub graveolenti adhibito remedio fuerunt. Quum itaque omnia desperata adstantibus viderentur, in consilium vocatus ego, bono animo ipsos esse iussi, ac remotis aliis medicamentis, clysterem injici curavi carminativum, postea ad violentas systematis nervosi illas commotiones sedandas præscripsi pilulas, quæ extractum florum chamomillæ, millefolii, crocum, castoreum, camphoram & asam foetidam habuerunt, quarum singulis tribus horis numero V. vel VI. deglutitæ fuerunt. Quibus ægrota successively sanata fuit.

#### *Epicripsis.*

Vti vehementiores animi commotiones in plethoricis magna, ita in sanguinis defectu longe majora damna procreare possunt, potissimum pathemata spasmodica convulsiva & quæ vulgo in feminis appellari solent hysterica, quibus frequentius puerperæ post lochia infestari solent. Terror vero, si ullus ex animi affectibus, in immodicis hæmorrhagiis perniciosissimus. Nam sistit quidem ipsas, sed postea graviora concitat mala. Imprudentiæ hinc esset, denuo sanguinis missionem tentare. Nihil potius a prudenti Medico aliud agendum, quam ut antispasmodicis convenientibus motus hosce intensiores nervosarum partium componat, & per diaphoretica & analeptica sanguinis liberum cursum, per extima etiam corporis, promoveat.



## OBSERVATIO IV.

Femina quinquaginta trium annorum, temperamenti cholericò-melancholici, in animi commotiones valde prona, ante annum & dimidium incidit in immodicam sanguinis ab utero fluxionem, quæ die nocteque integrum per annum duravit, & subinde parcior, quandoque vero tam larga fuit, ut cyathos aliquot compleret. Inde maxima animi ad lipothymiam usque, nec non virium & appetentiæ dejectio sequuta est, intercurrente sæpius, mox singulis, mox tertio die, cum horrore præcedente, febricula. Varia frustraneo eventu opposita fuerunt remedia, tandem vero martialium usu cohibita fuit hæc sanguinis profusio, sed in ejus locum fluor albus successit, cum tumore pedum œdematoso, spirandi difficultate, inappetentia & alvo adstrictiore junctus. Crebriori tamen pilularum nostrarum, item tincturæ antimonii acris, cum spiritu Bussii & liquore nostro anodyno permixtæ usû, fluor albus cum tumore œdematoso sublatus ad tempus est, licet non ita multo post rursus infestaret, ac tandem suffimigio, ex tacamahaca, succino, rasura eboris & floribus sulphuris, aliquoties in die usurpato, cum continuatis superioribus remediis, ex toto etiam sanatus est.

*Hæmorrhagia uteri post menses emanentes rebellis sanata.*

*Epicriffs.*

In hac historia venit illud notatu perquam dignum, quod post illud tempus, quo alias ordinario cessat menstrua purgatio, excessiva adhuc tamediu prodierit ab utero fluxio; id quod ex parte iracundæ animi affectioni adscribendum. Quoniam autem hic morbus ingentem atoniam viscerum abdominis, præsertim uteri, habuit pro fundamento, ad eam expugnandam & tonum restituendum, præter amara atque memoratam essentiam, quæ simul diaphoresin & diuresin movet, nec non suffimigia, ad sistendum

dum album fluorem nihil unquam inveni præsentius, & hinc quoque in nostra felicitis & saluberrimi fuerunt effectus.

## OBSERVATIO. V.

*Hæmorrhagia uteri immodica cum mola sanata.*

Illustris femina, constitutionis tenerioris, triginta & aliquot annorum, inordinatum mensium sæpius experta fuit fluxum, ita, ut ad duos & plures menses retinerentur & postea impetuosius sanguis, primo grumosus, dein tenuis, magna copia profunderetur. Tum quidem remediorum convenientium beneficio malum depulsum, sed sequentibus annis, mensibus præsertim hiemalibus, Januario & Febuario, suppressio tributi lunaris in tertium mensem rursus accessit, ac postea fluxus effusissimus rediit, exuntibus simul frustis duris foetentibus, cum magna portione aquæ. Tertio anno species molæ prodiit, dura nempe carnea massa, pellicula alba cincta, multis cellulis referta cum excessiva sanguinis profusione, quam magna virium jactura, inappetentia, ventriculi imbecillitas, nausea, præcordiorum anxietas, dolor dorsi & artuum, cum paucis somno sequuta. Quare ego in consilium adscitus, hac medicationis methodo, divina favente gratia, a molestissimo hoc affectu liberavi & integre restitui, ita, ut gravida aliquoties facta, singulis binis mensibus misso e-brachio sanguine, feliciter liberos sanos pepererit. Methodus vero curationis, quæ tribus vicibus adhibita, in eo consistebat: per tres dies circa somni tempus deglutitæ fuerunt pilulæ balsamicæ nostræ, ad quarum operationem promovendam mane post sumit drachmam pulveris salini, ex tartaro vitriolato, lapidibus cancrorum, nitro, sale Ebshamensi, æquali pondere permixtorum, post quinque dies descendit mane in balneum, paratum ex aqua pluviali, in qua infusa herba menthæ, melissæ, origani, hormini, salviæ, flores spicæ, adjecta convenienti quantitate aluminis & cinerum clavellatorum.

*Epicrisis.*

*Epicrifs.*

Mirum forsan cuiquam videri poterit, quod inter casus nimia hæmorrhagia uteri laborantium etiam abortus recensuerimus; verum cum hi ipsi non aliter fieri possint, nisi præcedente ex utero hæmorrhagia, eaque præternaturali, utique curanti incumbit, convenienti methodo, & foetum in utero servare saluum, & feminam a gravibus & fonticis pathematibus, quæ a nimia sanguinis profusione, ceu causa, oriuntur, vindicare. Quæ omnia melius præstari nequeunt, quam methodo jamjam a nobis proposita. Potissimum balnea & infusus ex convenientibus remediis parata, in diuturnis uteri morbis & vitiis corrigendis, si ullum aliud, plurimum valent. Et sic multæ ad foetum vivacem edendum inhabiles ac sæpe abortientes, ad gestationem, partum & grata matrimonii pignora idoneæ reditæ fuerunt.

## OBSERVATIO. VI.

Generosa femina quadraginta & aliquot annorum, *Hæmorrhagia uteri di-*  
fluxibus ex utero immodicis sæpius laboravit, tandem a *uturna ana-*  
vehementi terrore in immanem hæmorrhagian incidit, ad *leptica &*  
quam sistendam, Medicus venæ in brachio sectionem, *diaphoretica*  
pulas Stahlianas, pulverem antispasmodicum, neque minus *mixtura*  
essentiam millefolii, tincturam martis Ludovici, massam *sanata.*  
pularum de cynoglossa, sed omnia incassum, adhibuit. Eruperunt potius frustra sanguinis congrumati cum foetore, cui malo mixturis analepticis, item tinctura martis cydoniata cum arcano tartari maritata, & ad alvum pertinaciter constrictam, magnesia alba frustra obviam ivit, & iterata rursus venæsectione in brachio, sanguis serofus lixiviosus saporis, profluxit. Diutius itaque perseverante hoc fluxu, mirum non modo vires languescabant, sed & lipothymia, capitis dolores, vertigo & aurium tinnitus accedebant. Unde ego in auxilium vocatus, sequentem dare iussi mixturam:

ram: Recipe aquæ florum sambuci, tiliæ, liliorum convallium, melissæ, anã unciam semis, thériacalis, cinnamomi sine vino ana unciam semis, aceti destillati unciam, lapidum cancrorum drachmas duas, antimonii diaphoretici drachmam, spiritus nitri dulcis guttas XXX. syrûpi acetositis citri drachmas sex, M. D. de qua quotidie bis vel ter, duo cochlearia sumere præcepi. Ad regionem pubis vero epithema ex herbis menthæ, melissæ, rosmarini, origani, floribus rosarum rubrarum, & cortice chaccarillæ, cum vino rubro, Pontak, coctum tepide applicare, manusque sæpius de die in aquam tepidam cum vino rubro mixtam, immittere iussi, pro potu suasi decoctum fantali, lentisci & radicis cichorei. Quibus dextrè adhibitis remediis, hæmorrhagia uteri cum omnibus symptomatibus cessit, & generosa patiens, recuperatis sensim viribus, optime convaluit.

*Epicrisis.*

Nimis frequens & repetita uterina hæmorrhagia ingentem uteri ejusque vasorum atoniam subindicat, ad quam removendam, Medicus maxime apta remedia porrigere debet. Huic vero scopo obtinendo, neque adstringentia, neque anodyna, neque nitrosa, aut sola refrigerantia interne sumta, respondent, sed applicanda etiam ad confirmandum harum partium robur externa idonea remedia. Præterea mixturæ analepticæ & diaphoreticæ, cum conveniente regimine calido, ad transpirationem, si malum urget, & alia, spectatissimæ alias virtutis remedia respuit, augendam, divertendo non modo sanguinis impetum, sed & acrimoniam, quæ sæpius subest, demulcendo, insigni emolumento sunt.

OBSERVATIO VII.

Ediderat felici partu gemellos femina fere trigemina, sed retentis paullo diutius secundinis, extractionem

*Hæmorrhagia uteri ex infelici secundine extractione.*

nem earundem molita est obstetrix. Quod quum non sine violentia perficeret, remanserunt frustula nonnulla, & sequutus tam immodicus lochiorum fluxus, ut aliquoties animi deliquium incurreret puerpera. Quin ex eo per dimidium anni stillicidium successit ex pudendis sanguinolentum, plane refractarium & fere perpetuum, vix quandoque ad aliquot dies inducias concedens. Bis etiam interea simul excreta massa ovi gallinacei minoris magnitudinem referens, cuticula obducta pellucida & intus habens liquorem spissiusculum turbidum atque foetentem. Pessime eapropter habuit misera, appetitus periit, vires conciderunt, caro contabuit & vix corpus movendi superfuit potentia. Tandem haud ita pridem a me salutare petiit consilium, qui ipsi suasi usum pilularum Becherianarum, cum æquali portione extracti rhabarbari & aliquot granis pulveris antimoniæ martialis sic dicti cachectici, mixtarum, & exterius pubis regioni admovere, ac si fieri posset, ipsum in uterum injicere jussi, decoctum melissæ, menthæ, caryophyllorum, mastiches, florum rosarum rubrarum & balustiorum, ex vino Gallico, quod vocant Pontack. Qua methodo quibusque præsidis plures sanitati redditas fuisse novi.

#### *Epicrifs.*

De infelici extractionis secundinarum cum vi quadam factæ successu, plures in artis exercitio notavimus observationes. Nam si quando disiliunt in frusta secundo partu edenda, & ex his nonnulla remanent, in corruptionem ipsa abeunt, & colliquata ichorosum faciunt fluxum, simul lentum quandam accendunt calorem, vires mirifice dejicientem. Quandoque præpostero hoc molimine enormis inducitur hæmorrhagia, cum omnimoda fere virium jactura, quin ipsius vitæ periculo. Nonnunquam etiam ex relictis frustulis succrescunt postea concrementa fungosa,

ex

ex membranis in variam formam & magnitudinem contexta, quæ molas dicunt spurias, continuo materiæ sanguinolentæ serosæ foetidæ stillicidio stipata. Frustra autem, teste experientia multiplici, pugnatur contra hæc mala internis solis, ac potius locis affectis ipsique utero, nimis partim laxato ac debili, partim læso & exulcerato, admovenda injectionis, aut epithematis forma, ea, quæ roborant ac putredini resistunt. Interna enim salva sua textura eo pervadere & vitium tollere nequeunt; sed quæ immediate labe affectas partes tangunt operationis sunt & celerioris, & melioris. Vnde longe profecto opportunius & efficacius succurri posset gravibus & diuturnis in utero morbis, qui haud raro post partum accidunt, si tam lubenter admitterentur injectiones ejusmodi & topica uterina, quam quidem veteribus pessos admovere moris fuit.

## OBSERVATIO. IIX.

*Ex hæmorrhagia uteri Heurnii pulvere sublata pathe-  
mata cura.*

Adiit Carolinas thermas femina viginti quatuor annos habens, sanguinea, iisdemque ad hysteriam, qua detinebatur, passionem debellandam ex Medici consilio usa est. Sed ipsum inter usum, minus forsan dextrum, experta est inordinatum copiosum sanguinis ex utero fluxum & postea ad aliquot interdum hebdomades durantem. Inde virium debilitatem, appetitus defectum & languorem cum lurido faciei colore incurrit. Medicum igitur vocavit in consilium, qui pulvere Heurnii sanguinis profluvium composuit quidem, at ingens postea præcordiorum anxietas cum cardialgia infestavit, ipsam suffocationem minitans. Vnde ad hæc mala depulsanda multis variisque usa est remediis, quorum tamen nullum effectum edidit speratum. Sumsit quoque ex alio Medici suafu emeticum, quo multum viscidæ ac viridescens materiæ exturbatum, & nonnihil levaminis allatum. Nihilominus sanguis paulo post largius profluxit & ægram ut de malo funditus exstirpando effecit

esset follicita cœgit, id quod etiam fortunante DEO præstitum est his; pilulis nempe nostris balsamicis, quotidie ad aliquot grana, interposito pulvere ex antimonio martiali cachectico, nitro antimoniato & depurato, assumtis, usurpata subinde tinctura martis Zwölferi & potu cerevisiæ loco decocto ex radicibus & lignis temperato.

*Epicrisis.*

Mineralium aquarum usus non minus nimium fluentibus, quam suppressis ex utero fluxibus, opitulatur; sed prudentem & peritum desiderat Medicum. Nam morbus uterque, inveteratus præsertim, ab obstructione & sæctu vasorum uteri ducit haud raro natales, ea tantum cum differentia, quod in nimio profluvio obstaculum liberi progressus sit in vasis majoribus venosis, in deficiente vero in vasis minoribus, maxime arteriis. Minerales autem aquæ utique impedimentum hoc tollere valent, eaque propter præstant utrumque. Id vero tenendum: utendum esse iisdem non ipso sub fluxu, sed extra eum, ad arcendum recursum. Si secus sit, augetur uteri laxitas, augetur affluxus. Tum potius per balsamica roborantia interius & exterius utero remisso robur reddere, ac postea, ne repetat profluvium, minerales aquas ad eluendos meatus eodemque servandos apertos, in usum vocare convenit.

OBSERVATIO. IX.

Illustrissimi Consilarii uxor, quæ quadragesimum jam compleverat annum, habitus valde teneri ac gracilis, animique admodum mobilis & sensus exquisitissimi, aliquot abhinc annis per semestre fere spatium diuturno & fere assiduo ex utero fluore alternante cruento laboravit. Hinc primum Medicis loci usa, ab eorum medicatione effectum sensit nullum. Vnde contulit se ad virum quendam cele-

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

R

berri-

berrimum, qui brevi felicem ac certam opem spondens, pilulas suas ipsi commendavit, ut de iis quavis hebdomade ter vel quater sumeret, idque aliquamdiu. Sed inde etiam vix quicquam levaminis est experta. Demum meum petiit consilium, quo potum Selteranarum per mensem & ultra in cura cum debito regimine, interposito interdum laxante, suasi. Quod priusquam faceret, B. D. Brunneri iudicium exquisivit, qui meo pariter calculum adjecit consilio. Unde tanto majori fiducia ad usum hujus præsidii accessit; atque etiam ex eo tam salutarem percepit effectum, ut hæmorrhagia sensim remitteret, penitus tandem cessaret, ac ipsa ad pristinam perfectam sanitatem rediret.

*Epicrisis.*

Concinnatæ illæ ad mentem & methodum Becherianam balsamicæ pilulæ utique in affectibus ex utero, præsertim in ferofioribus, item puerperii tempore, debita sua non defraudandæ sunt laude. Sed quod Medicus pro lubitu iisdem & inordinatas ac nimias hæmorrhagias moderari ac sistere, & vicissim menses, si suppressi sunt, revocare possit, id non sine ratione inter fabellas reponendum. In nostra certe id docuit eventus. Fons autem Selteranus acres & tenues humores diluendo & temperando, eosque per diuresin efficaciter evacuando, sicque causam spasmos hæmorrhagiæ auctores suscitantem tollendo, non potuit non prodesse egregie.



CAPVT VI.  
DE  
HÆMORRHAGIA EX VRI-  
NARIIS VIIS.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

**V**enit hæc hæmorrhagia in scholis plerumque miçtus *Hæmorrhagia per urinarias vias*  
cruenti nomine, & est sanguinis per urinarias vias, cum, vel sine urina, siue ex renum, siue vesicæ *quid?*  
vafis, nimium ampliatis, ruptis, aut arrosis, emissio, pro circumstantiarum ratione plus vel minus periculi habens.

§. II.

Haud raro accidit, ut Medici in dignoscendo: utrum *Quomodo dignoscendum an sanguis miçtus?*  
sanguis cum urina miçtus sit, nec ne? eximie fallantur. Si quidem majori in copia, ut interdum contingit, ad libram & ultra, sanguis sincerus cum urina miçtus, vel pars aliqua cruoris sine urinæ connubio, prodit per urinarium meatum, res nullo eget discrimine. Si vero cruor urinæ fuerit admixtus parcius, tunc paulo curatori opus est scrutinio. Sæpe enim mingitur lotium coloris sanguinei, sæpe etiam deponit sedimentum non aliter ac sanguis solet, nullo tamen præsentente sanguine. Sæpius vicissim bruni, vel nigrescentis coloris urina emittitur, ut nulli suspicio sanguinis, qui tamen mixtus est, in sensus & mentem incurrat. Quare suggerenda utique sunt certa indicia, e quibus hoc tam multiplex discrimen perspicendum. Scilicet si rubedo urinæ sanguini æmula a particulis sulphureis, mixtura salium, præsertim alcalinæ indolis, exal-

tatis, proficiscitur, tunc quamprimum emissa fuit, clara & perspicua apparet, sedimentum vero incarnati & cinnabari coloris est; quod tamen, sufficienti calore adnoto, mox in supernatantem liquorem se recipit, ut clara rursus & perspicua ut antea appareat. Contra vero quum urina rubet a sanguine, tunc opaca & crassiuscula sine perspicuitate mingitur, sedimentum vero est grumosum, ex rubro nigricans, idque non dissolvitur, aut rursus ab urina absorbetur. Si etiam lotii rubedo est a sanguine, linteum per quod colatur, tingit rubore, quod non fit, quando est a salibus color tantum intensus.

## §. III.

Et unde veniat?

Quia plures urinæ secernendæ & excernendæ feruntur viæ; scire refert discrimen: unde profuxerit mictu redditus sanguis. Quod si itaque sanguis sincerus confertim, repente & sine dolore mingitur, ex renum substantia sanguineo vasculosa illum prodiisse recte jam iudicavit *Hippocrates Sect. IV. aph. 78.* Sed ubi parcior sanguinis quantitas, obscuri nigricantis coloris, cum vel sine materia purulenta, maxime si cum dolore & ardore in pube sub mictione, vel post eam redditur, tunc ex vesica læsa, aut exulcerata illum stillasse certum. Quod autem renalis sanguinis effluxus sine, & qui ex vesica venit cum exquisito dolore succedat, id diversitati structuræ tribuendum. Etenim renes carent exquisito sensu. Sed quando sanguis per nervosas acutissimæ sensationis vesicæ tunicas viam molitur; dolor non potest non oriri atrocissimus, nec mirum gravissima tum incidere symptomata, animi deliquia, spirationem difficilem, pulsum obscurum, parvum & frequentem nonnunquam, nauseam, animi anxietatem, & frigidum sudorem. De quo mictu etiam confertim meretur, *Hippocratis aphor. lib. IV. aph. LXXX. Si quis sanguinem unaque grumos sepe mingat ac stranguriam habeat, unaque dolor incidat in aqualiculum*

culum & in interfemineum, hinc vesicæ vicinæ partes laborant. Quando porro ex uretheribus, a calculo magno, vel aspero lætis, sanguinis quippiam cum urina miscetur, dolor circa lumbos & ilia acutus, difficilis & fabulosa mictio, aliaque calculi in uretheribus hærentis signa id manifestant. Propter læsa a calculo vesicæ ejusque tunicarum sanguinea vascula, si excernitur quippiam cruoris, non modo cum summo dolore & prævia obstructione quandoque urina prodit, sed & grumi interdum cum moleculis crassioribus fabulosis firmiter compacti una cum ea emittuntur, quod etiam interdum accidit, si calculus in rene firmiter impactus eum sauciat.

## §. IV.

Alia adhuc mictionis cruentæ species datur, cujus tamen raro mentio fit a scriptoribus medicis, quæ videlicet ex ipsis valis vesicæ, vel potius ipsius sphincteris contingit, quando nimium hiant & a sanguine distenta aperta fuerunt. De hac mictionis cruentæ specie notatu dignum est *Cælii Aureliani Lib. IV. tardar. passionum cap. IV.* effatum, ita habens: *solent, sicut in podice, vel feminarum sinu, aut matricis collo, etiam in vesica, hæmorrhoides generari, quæ fluorem sanguinis præstant, quibusdam intervallis variatum. Quod oportet apprehendere prudentem, cum non coacervata primo fuerit effusio, sed augmentis quibusdam promota, interjectis defectionibus, ac retento sanguine dolore circa pubem, siquidem aliquando inflata ac tumentes hæmorrhoides difficultatem vel abstinentiam faciunt mictus, dysuriam Grecis vocatam, vel ischuriam. Archigenes vero dicebat, ut statis periodis menses & hæmorrhoides, ita & certis vicissitudinibus interdum plethora se effundit per renes & vesicam. Cui merito addendum *Heurnii Comment. in aphorism. Hippocratis 78. de signis discriminis loci præceptum: sanguis qui a musculo vesicæ emingitur, non exacte**

*Alia species  
ex vesica e-  
jusque  
sphinctere.*

*permiscetur urinae, sed in fundo depositus grumescit, quin hic grumus, qui interdum circa urinam excidit, dolorem circa vesicæ musculum consilientem facit; a rene vero qui mingitur sanguis, & copiosus est, & urinae exacte miscetur, videturque tota urina consilientia nihil aliud esse, quam tenuis ac dilutus sanguis; mox tamen sedet liquidus minimeque concretus & rubicundus.*

## §. V.

*Differt a gonorrhœa sanguinolenta.*

Non autem confundi debet ipsa sanguinis mictio cum gonorrhœa, sive feminis fluxu sanguinolento. Non enim adeo est insolens, ut in iis, qui gonorrhœa laborant virulenta, ex glandulis prostaticis valde relaxatis, ob majorem lymphæ, vel feri affluxum, non modo feminalis liquor, sed & serum mucidum, arenulis etiam refertum, interdum quoque per intervalla plane sanguis ex hiantibus nimium, aut ab acrimonia materiæ effluentis arrosus vasorum osculis, per urethram, citra urinæ fluxum, emittatur.

## §. VI.

*A hæmorrhagia peni.*

Probe etiam a sanguinis mictu dignoscere oportet illum sanguinis fluxum, qui fit per membri virilis integumenta. Nos aliquot memoria tenemus exempla, ubi certis periodis in viris ex ipso pene fluxit sanguis per aliquot hebdomades purus, satis largiter, præcedente tensivo quodam in inguine ac femoribus dolore. Collegit etiam ejusmodi exempla *Stalpart van der Wiel, Cent. I. Obs. LXXX.* Sed tum sanguis non prodit urinæ mixtus, sed stillat seorsim guttatim, ex ramo vasorum hæmorrhoidalium exteriorum, qui ad pudenda excurrit.

## §. VII.

*Salutaris est quandoque.*

Dein tenendum discrimen mictionis cruentæ criticæ & salutaris, a minus tali & morbosa. Illa quippe fit

fit frequentissime per renes magna in copia, rarius & in minori quantitate per sphincterem vesicæ, citra dolorem & magnum incommodum, & redit etiam certis periodis. Contingit hoc maxime per translationem, sive quæ Græcis dicitur metastasin, excernendi sanguinis per menses, aut hæmorrhoides, iis vel cessantibus, vel obstructis, aut suppressis. Vidimus nos talem criticam mictionem liberaliorem in viris, sanguine abundantibus, sive plethoricis, juvenilibus, vel etiam senilibus ætatis, suppresso, vel etiam penitus cessante hæmorrhoidali fluxu, aut consuetam ommissa sanguinis missione, periculi tamen prorsus expertem. Vidimus quoque in feminis octogenariis, vegetis & laute adhuc viventibus, præsertim si cessantibus mensibus sanguinis missio vel fuerat neglecta, aut plane omissa.

### §. IIX.

Præterea non semel, sed aliquoties notavimus in senibus, deficiente fluxu hæmorrhoidali, item in viris ætatis consistentis, hæmorrhoidibus cæcis & tumentibus si afflicti fuerint, a motu corporis & animi fortiori, sanguinis portionem non exiguam, bruno colore instar decocti caffè tincti, citra urinæ difficultatem cum mictu prodisse; qui procul omni dubio ex vasis vesicæ sanguineis circa sphincterem ejus tumentibus & apertis profectus fuit. Venæ enim hæmorrhoidales externæ communicant cum vesica & ramos etiam ad eam spargunt; minime vero, ut nonnullorum fert opinio, de internis id putandum, quarum ramos ad vesicam excurrentes Anatomicus huc usque vidit nullus.

*Post suppressas hæmorrhoides.*

### §. IX.

Succedit vero hæc sanguinis cum mictu excretio, ex aliis sanguineis suppressis, hæmorrhoidalibus potissimum, per renes, dum videlicet sanguis accumulatus

*Quomodo succedat ex renibus.*

& per

& per arteriam mesaraicam inferiorem ad tunicas intestini recti adductus, ibi cum exitum non invenit, quasi regurgitat ad truncum arteriæ magnæ, sive potius majori copia ibi colligitur, & ad vasa renum arteriosa, quæ & copia, & magnitudine, venas emulgentes superant, delatus, orificia eorum nimis distendendo & aperiendo, ad tubulos urinarios, qui cum arteriolarum finibus connexi sunt, ex his in papillarum oras, in pelvim, inde tandem ad uretheres & velicam transit. Atque adeo in tali casu nec anastomosis, nec diæresis, nec *diapedesis*, tantopere ab autoribus decantata, locum obtinent.

## §. X.

*Quomodo ex  
vesica.*

Vesica tam etiam excretioni sanguinis obnoxia est, quia valde difficilis est, ob perpendiculararem & valde demissum ejus situm, sanguinis per venas ex ipsa regressus. Quo fit, ut sub hæmorrhoidibus externis tumentibus, vel internis obstructis, in plethoricis præsertim, accumulatus & ibi stagnans sanguis, præter naturam orificia vasorum capillarum ipsius velicæ, vel magis sphincteris, aperiat atque perumpat.

## §. XI.

*Causa potissima  
suppressa hæ-  
morrhoides.*

Maxime omnium fluxus hæmorrhoidalis suppressus, vel ex quacunque alia causa cessans, causam mictionis cruentæ, maxime illius, quæ fit per renes, subministrat. Notatu dignum hanc in rem est exemplum, cujus meminit *Hercules Saxonia lib. III. cap. IV.* nobilem Batavum, fluxu hæmorrhoidum suppresso laborentem, per quinque annos, ex intervallo, multum sanguinis sponte & subito ante urinam ex urethra emisisse. *Rosinckius* quoque *Dissert. anatom. Lib. V. cap. 26.* aliam historiam refert: *Illustris vir, scribit, hæmorrhoidali fluxui assuetus, eo suppresso, incidit in mictionem cruentam, multarum septimanarum spatium durantem, quæ evanuit hæmorrhoidibus*

bus apparentibus, levi fluxu & parco satis, ita, ut vix ani-  
terga tingeret. Neque minus *Reiselius* epistola LXIV. ca-  
sum memorabilem enarrat, de pastore quodam, ob hæ-  
morrhoidum a triennio suppressionem, magnam sanguinis  
crassi & sinceri, sine urinarum aquis, cum impetu proma-  
nantem & matulam replentem quantitatem, excerpente,  
qui tamen per totam vitam nihil sanguinis e vena mise-  
rat. Cum vero hic eundem paroxysmum, ter stato cir-  
cuito, expertus fuisset, fecesierunt tandem naturales &  
limpidæ urinæ. Postquam autem Medici consilio vino u-  
sus fuerat paulo largius, & diebus aliquot continuatis pi-  
lulis ex aloë, succo cichorii imprægnata & extracto tro-  
chiscorum alhandal, hæmorrhoides ei fluxerunt & malum  
cessavit.

## §. XII.

Vtut vero omnis motus corporis fortior in pletho-  
ricis facile ad hæmorrhagicas excretiones suscitandas an-  
sam præbet; speciatim tamen ad mictionem cruentam nul-  
la ipsius species majorem viam habet equitatione. Posse-  
mus ejus exempla plura afferre, quæ etiam passim apud  
auctores reperiunda. Sic *Riverius* *Centur. II. obs. 13.* me-  
morat de quinquagenario, qui quoties equitationi peregrina-  
tionis causa sese commisit, urinas sanguinolentas reddi-  
dit. *Hollerius* quoque in *Aphorism. 78. Sect. IV.* Hippocrat.  
inquit: *Sunt nonnulli, qui si durius equeitent, aut sese exer-  
ceant immoderatus, ex calefactis renibus, sanguinem mejunt.*  
Et paulo post: *arbitramur, ait, sanguinolentam urinam &  
turbidam reddi ab hoc Reverendissimo Episcopo propter dila-  
tationem factam tum in cavitatibus renum, tum in vasis u-  
rinaris, propter intensam caliditatem, a motu violento pri-  
mo generatam, dum curru, salebroso itinere concuteretur,  
præcipue circa dorsi regionem: deinde succedente ingenti ca-  
lore, dum cum veste pellicea sub sole ardente montem ascen-*  
(*Hoffm. Syst. T. IV. l. II.*)

*Motus dein  
corporis for-  
tior maxime  
equitatio.*

deret. Ex his igitur omnibus tantus calor circa partes renum fuit excitatus, ut ob nimiam dilatationem, urina sanguinolenta excreta fuerit. Et inde est, quod nunc quoque quotiescunque fatigatur & corpus exercet, in idem symptoma incidat, turbide scilicet sanguinolentæ urine. Ratio vero, quare equitatio, cujus alias in præcavendis & etiam sanandis chronicis affectionibus magna vis & efficacia est, ad hæmorrhagiam renum & vesicæ plurimum disponat, inde petenda venit, quod propter compressionem venarum in femoribus, in perinæo etiam & ano, sanguinis recursus multum retardetur. Hinc copia sanguinis major fit & incrementum in arteriis, motusque sanguinis in superioribus partibus augetur & intensior fit præsertim circa lumbos, per motum succulorum. Sic factò citatori sanguinis affluxu, emulgentes tandem arteriæ quam facile apriuntur. Recte enim scribit *Malpighius tractatu de renibus: In nostro corpore, præter pulmones, non alia est pars, quæ exundantis sanguinis injuriis magis subjiciatur, quam renes.*

## §. XIII.

*Calculus in  
rene delite-  
scens.*

Deinceps sanguinæ mictionis, sed magis priori infestæ & periculosæ, causam non infrequenter calculus intra renem delitescens subministrat. Multa enim hujus succurrunt exempla, & tale quoque habet *Horstius Lib. IV. Observ. 37.* ubi sine omni lumborum dolore, calculosi, præsertim qui sanguine plus justo abundant & corpus vehementer motu exercent, sanguineam emittunt urinam. Quomodo vero hoc fiat, vero videtur simillimum, quod calculus mole major ac figura asper, sine dolore quidem intra renes diu delitescere possit, nihilominus haud levem compagi renum vasculosæ labem suo affricu ac compressione inducat, eorum quoque functionem naturalem lædat & sic ansam erumpendi sanguini præbeat. Scilicet quando calculus mole & pondere suo ramos venæ emulgentis



gentis comprimit, liberiolem sanguinis transitum per hos impediendo, efficit, ut per arteriolas emulgentes adductus, nimia copia & impetu earum tenues & capillares ramulos, qui ultimo terminantur in tubulos urinarios, valde distendat & tandem viam sibi faciat in eos, qui secundum naturam tantum urinam vehunt, eosdemque subcat ac in urinam transeat. Id quod longe adhuc magis fit, quando in dispositione ad calculum, varii generis remedia, quæ urinam & calculum pellunt, commendantur & applicantur, ut quidem communis & pessima est consuetudo, præsertim si calidiora fuerint, ex terebinthina, succino, vel junipero parata. Fit etiam tali in casu, ut calculus in renalibus tubulis incarceratus, arrosione & excoriatione dilacerando minima renum vascula, sive siphunculos, exulcerationem efficiat. Qua facta, pus cum sanguine per uretheres in vesicam instillat, & sic mictum valde dolorificum, exeunte puris & sanguinis corrupti cum urina portione, producit. Id quod tamen etiam quandoque fieri potest, quanquam rarius, ab uretheris per calculum exulceratione.

## §. XIV.

Mictionis quoque cruentæ, copiosæ & valde ancipitis species est, quando ex vesica, ab acriori præsertim ibi stagnante copioso sanguine, exulcerata, mucosa valde, ex parte purulenta & cruenta materia in ejusdem cavitatem descendit. Tum enim cum intenso ardore, intolerando dolore & difficultate urina redditur, simulque tremores & convulsivæ artuum, cum frigore & tremore stipatæ motiones, sese jungunt. Vidimus id aliquoties in gonorrhœa desperata & inveterata laborantibus, acri simul & corrosiva materia e genitalibus profluente ac partes vicinas arrodente. Quæ labes interna ubi adest, ac renum, vel vesicæ substantia simul corrupta est, & purulenta ac

*A vesica arrosione & ulcere.*

putrida materia copiose secedit, urinæ exeunt fufuracæ, & parvæ carunculæ, aut corpora, capillos, vei vermiculos æmulantia, in urina conspiciuntur, quæ a vesica nequam possunt abscedere. Hæc enim resolvi nequit in ejusmodi filamenta. Sed a contenta mucosa, vel in renibus, vel in vesica, materia, concrefcunt in ejusmodi figuram & consistentiam.

## §. XV.

*A violentia  
externa.*

Accedit aliud cruentæ mictionis genus, a causa videlicet externa, contusione, lapsu in terram, elevatione onerum & percussione productum. Hoc quidem in vita civili & praxi sæpius occurrit, causam tamen ipsius reddere non tam promptum ac obvium est. Quod si enim vaforum in renibus ruptio, vel continui solutio, causa foret, non tam subito, uti tamen fit, per venæsectionem & sanguinem dissolventia posset sanari. Nos potius modum ita concipiendum esse censemus, quod a contusione & contorsione vaforum, imprimis sanguineorum, & ibi stagnante sanguine, ejus circulatio per has partes læsas impediatur; hinc crescere impetum & copiam sanguinis in vasis internis; atque hæc nimium inde, præsertim in plethoricis, distenta, ut sanguis locum mutet ac effluat, facere. Tale quid enim commode maxime fit in renibus, si ibi facta fuit percussio. Vnde sunt inter exempla, ubi etiam a subluxatione vertebrarum, cruenta insequuta fuit mictio. Quin sicuti ex tibia amputata dysenteriam *Hildanus Centur. II. Obs. 10.* sic etiam & nos observavimus, ex osse tibie fracto, urinam cruentam redditam fuisse. Ut adeo facile concipiendum sit, a contusione venarum & sanguine sic stagnante alicubi, fieri posse ejusdem per urethram stillicidium.

## §. XVI.

*A torminibus  
& acri-  
bus.*

A torminibus atrocibus ventris, item a sumtis acrioribus purgantibus, nec non a diureticis acrioribus, ut cantharidibus, urinam reddi posse cruentam, experientia est

est confirmatum. Debetur autem hoc symptoma spasticis venarum stricturis, quibus liber sanguinis circulus intercipitur. Vnde ex facili jamjam ratio reddenda, quare morbillis, & variolis inprimis malignis, funestus ejusmodi affectus interdum associetur. Prostant quidem observationes apud auctores, quod a vesicatoriis quæ habent cantharides, externe applicatis, cruenta fuerit mictio exorta; interim nos fatemur candide, a nobis nunquam tale quid visum vel observatum esse, ut haud injuria hanc operationem in dubium vocare liceat, ac forsân longe ab alia causa in morbo sub applicatione vesicatoriorum hæc cruenta urina excreta fuisse possit.

### §. XVII.

Omnis vero cruentus mictus est periculi non expers. *Mictus cruentus periculosus.* Etenim licet etiam in principio salutaris & criticus, a palindrome facta ob mensium vel hæmorrhoidum suppressionem, visus fuerit; tamen quia non modo facile revertitur & vires exhaurit, sed & si error accidit, vel in diætâ, aut si imprudenter stipticis tractatur, inflammatio ac corruptio facile ipsi renibus, vel vesicæ induci potest, utique periculum alit. Incidit præterea & hoc frequentissime, quod grumus quidam sanguinis ex renibus descendens, in ea parte, ubi urether ductu obliquo inseritur vesicæ, impactus, valde infestam & difficulter sanabilem inducat ischuriam. Quandoque etiam congrumatur in vesicæ cavo sanguis, & sphincteri firmiter inhærens, implacabilem cum urinæ suppressione præbet dolorem, id quod etiam accidit, quando vasa sphincteris sanguinea, non secus ac hæmorrhoides cœcæ, sanguine crasso admodumurgent.

### §. XIX.

Ex periculosissimis mictus sanguinolenti specibus est, quæ ex rene, vel vesica profundius læsa & ulcerata *Periculosissimus cum puris mictu.*

ta venit, & junctum habet cum acerbo dolore puris mixtum. Interim tamen cavendum ne mucosum & glutinosum quod in urina subcruenta subinde conspicitur sedimentum, pro pure habeatur, quod supernatare magis solet. Sedimenti enim huius sæpe tanta est copia, ut, si a renum exulceratione esset, jam centies absumti ipsi fuissent. Est potius mucositas, quæ ex nimis relaxata glandulosa vesicæ & urethræ tunica, aut ex prostaticis læsibus extillat & urinæ permiscetur.

### CURATIO.

#### §. I.

*Venesectio  
utilissima si  
a sanguinis  
abundantia.*

**P**erspectis sic paulo penitius variis excretionis per urinam cruentæ causis & sedibus, prudentis nunc est Medici, tum ad avertendas præservative, tum ad tollendas in cura differentes has causas iudicium in propinandis convenientibus remediis paulo exactius adhibere. Igitur, quando ex nimia sanguinis redundantia oritur, vel metuentus est affectus, sanguinis missione nihil tutius & præstabilius est, hac tamen observata cautela, ut ipso in paroxysmo in partibus superioribus, brachio videlicet, sanguis detrahatur, & ejus mittendi copia ex virium & habitus corporis ratione æstimetur. Quodsi vero a consueto hæmorrhoidum fluxu suppresso, insolita hæc evacuatio ortum traxerit, ad præservationem tutius est venam pedis aperire. Idem tenendum est, quando in colica spasmodica & vehementibus ventris torminibus, ut interdum fit, urina cruenta mingitur, ob sanguinem stagnantem & congestum circa intestinorum tunicas, exitumque per venas hæmorrhoidales non invenientem. Quin potius, quia hic affectus per certas etiam periodos reverti solet, tempestitiva venæsectione ut ipsi occurramus, eo magis est necessarium.

#### §. II.

## §. II.

Si a vehementi, cum, vel etiam sine plethora, organica sanguinis ebullitione & expansione, qualis subinde a fortiori corporis, vel etiam animi commotione, vini & calidorum sanguinem nimis moventium remediorum abusu accidere solet, malum hoc ortum suum habet, præter sanguinis per venam sectam subtractionem, nitrosi & intestinum elasticum motum sanguinis refrenantibus, sive refrigerantibus, nihil certius & præstabilius. Hoc nomine depuratum nitrum, vel artificiale, ex spiritu nitri & sale tartari confectum, cum terreis & absorbentibus mixtum, vel in forma pulveris, vel etiam potui inditum, plurimum commendamus. Cui pro vehiculo in hisce casibus serum lactis dulce, & acidulum, aqua decocta hordeacea, & sola aqua pura fontana, vel ad dimidiam partem cum Selterana, aut Tönsteinensi mixta, decoctum cornu cervi & scorzonæ, optime inserviunt, vel etiam cerevisiæ tenuiores, quibus tincturæ rosarum, florum bellidis, cum spiritu vitrioli, minime vero salis, cujus acrimonia volatilis pulmonibus & renibus infesta est, paratæ, sunt sufficienti quantitate instillandæ.

*Danda refrigerantia.*

## §. III.

Quum alvi adstrictio, seu tardior fecum secessio, plurimum ad ingenerandum, imo ad fovendum & sustentandum hoc malum habeat momenti, partim quod oriundis inde flatibus & spasms intestinorum æqualis sanguinis circulus & distributio impediatur, & ad unam, præsertim debiliorem partem, solito plus sanguis feratur, partim etiam, quod multæ impuræ, acres, biliosæ ex prima regione particulae ad sanguinis & humorum massam adducantur; hinc, si quid aliud, ad illud avertendum ejusque recidivam præscindendam, certe alvi laxitas & subductio admodum proficua est ac necessaria. Id vero minime purgantibus, seu

*Alvus servanda aperta.*

seu acrioribus stimulantibus, vel salibus copiose assumtis, multo minus aloëticis, & pilulis quas etiam refracta dosi aloë ingreditur præstandum. His enim exacerbatur malum certissime. Lenientibus potius laxantibus & quæ simul roborante gaudent virtute, id exsequendum, inter quæ, ut in omni immodica & præternaturali sanguinis excretionem, rhabarbarina, imprimis cum passulis mixta, uti sunt passulæ Corinthiæ, solutione rhabarbari per blandam inspissationem laxativæ redditæ, vel pulvis rhabarbari cum cremore tartari remixtus, nec non clysteres emollientes, ita etiam hæc primas tenent.

## §. IV.

*Vasa nimium laxata adducenda.*

Ad vasa vero nimium in renibus diducta & aperta roboranda & leniter adstringenda, vel etiam, si eorum substantia læsa fuerit, consolidanda, decocta, vel infusa, ex lenioribus vulnerariis & leniter constringentibus, uti sunt agrimonia, hederæ terrestris, equisetum, herba millefolii cum summitatibus, virga aurea, radix consolidæ majoris, cum melle Prussico, renibus mirum amico, quodammodo dulcificata, opem ferunt laudatissimam; quæ decocta pro re nata etiam misceri possunt cum lacte. Neque minus egregii ad demulcendum & consolidandum usus erit lac amygdalinum, præsertim si bolus Armena cum ipso ceu vehiculo sumatur.

## §. V.

*Renibus aut vesicæ excoratis danda acrimoniam temperantia.*

Si renum, uretherum, vel vesicæ, arrosio & excoratio præsens est, ut sæpius fit in continuo & diutius cum doloribus vexante malo, ad humorum acrimoniam contemperandam, præcipua medentis debet esse directæ intentio, eaque neglecta, nullum doloris levamen, nulla etiam partis fauciata & læsæ consolidatio & restitutio speranda, aut obtinenda. Hunc autem in finem nobilis est virtus si-rupi dialthææ Fernellii, item decocti Foresti, nec non ejus, quod

quod *Mysficthus* contra mictum cruentum laudat. Facit huc quoque infusum, quod præter jam dictas herbas vulnerarias, corticem radice acaciæ, gummi ceraforum habet; nec non, pulvis ex radice altheæ, glycyrrhizæ, spermate ceti, seminibus quatuor frigidis, papaveris albi, lycopodii & croco, cum s. q. sacchari canti conditus.

### §. VI.

Ad dysuriam, immo ischuriam, quæ frequens & periculosum, renalis vel etiam vesicalis hæmorrhagiæ symptomata esse solet, dum sanguinei grumi uretheris principium, ubi inseritur vesicæ, vel ipsum sphincterem vesicæ obstruunt, non certe efficacius & promptius auxilium, quam aqua pura calida copiose hausta, & exterius balneum applicatum, prostat. Tum quoque præstat aquam tepidam syringa in urethram & vesicam injicere, quo acris humor diluatur & grumuli hi dissolvantur. Atque etiam ipse *Hippocrates l. c.* eadem hæc remedia commendat, lavacrum nempe aquæ calidæ & tepefactoria ad locum affectum apposita. Quod si vero ob grumos sanguineos in ipsa vesica, seu sphinctere ejus obvios, spasmus oriatur, ut inde totalis & pernicialis ischuria inducatur, interne emulsionem ex seminibus quatuor frigidis, cum lapidibus cancrorum & antimonio diaphoretico, item pulverem ex spermate ceti, lapidibus cancrorum & nitro; externe vero vesicam repletam decocto florum emollientium ex lacte abdomini applicatam, nec non alvi apertionem, cum manna, vel clystere emolliente & oleoso, usus deprehendimus longe præstantissimi.

*Grumi sanguini dissolvendi.*

### §. VII.

Præter hæc autem omnia ad renum & vesicæ vitia detergenda, inveterata etiam sananda, nihil unquam aquis medicatis temperatioribus, ut sunt Selteranæ, Antonianæ, Wildungenses, efficacius, tanto certius si cum lacte, inprimis

*Optimum acidule temperata.*

(*Hoffm. Syst. T. IV. P. II.*)

T

mis

mis asinino, fuerint remixtæ. Id enim docent non modo saluberrima ipsarum elementa, sed potissimum multiplex de hoc effectu experientia, de quo omnes, qui de viribus medicatarum aquarum experti scripserunt, testimonium ferunt consensu unanimitatis.

## §. IIX.

*Egregium quoque lac ejusque serum.*

Neque minus egregia virtus & adversus hunc morbum præsidium est in lacte, nec non lactis sero. Hæc enim jam olim suo tempore, in urinæ mictione cruentæ, magno fecit *Hippocrates lib. de internis affectionibus §. 17.* Si, inquit, *urina prodit veluti a bubulis carnibus assatis succus, ægrotus pro temporis opportunitate serum & lac bibat; serum quidem ad purgationem, lactis autem potum faciat in tempore, per quinquaginta aut quadraginta dies; hæc si feceris, morbum in melius vertes.* Lac quoque ovillum vel caprillum laudat *Riverius Obs. XIII. Centur. 17.* nec non *Gatinarias* atque *Forestus*, qui hoc solo remedio sanguinis mictum sæpe se curasse gloriatur, ita tamen, ut unicuique dosi, boli Armenæ drachmam unam permiscuerit. Id quod etiam in graviore sanguinis mictu utique convenit, in leviori autem minus faciendum censet idem *Riverius*.

## CAUTELE CLINICÆ.

## §. I.

*Venæsectionis cautela.*

**D**E venæsectione, in qua præcipuum tam ad curationem quam præservationem, si malum a criticis hæmorrhagiis suppressis oritur, repositum est momentum, hæc adhuc tenenda: quod sanguinis missio in principio sit instituenda largior. Sic enim non modo evacuantis, sed & divertentis remedii vicem gerit. Quando vero sanguinis mictus suas servat periodos, duabus vel tribus ante accessionem horis



horis, vena pertundenda & prout corporis conditio fert, sanguis emittendus.

## §. II.

*Hippocrates l. c.* in mictione sanguinea ab ulcerato *In vini potu.*  
rene, vel vesica, vinum album, mellei coloris jucundissimum, probe temperatum, bibendum peritissime suadet. Nam vina nimium spirituosas, aut acido abundantia, ut Rhenanum, minime ubi nimia & dolorifica adest sanguinis mictio, conferunt, sed potius vina dulcia, ut *Hispanicum*, *Canariense*, *Hungaricum præstant*, dum ventriculi digestioni & simul vesicæ afflictæ favent.

## §. III.

Quum porro multum interfit, quale potus genus *In potu ordinario.*  
in usum ducat renum & vesicæ vitio laborans; tenendum omnino: ab omnibus cerevisiis crassioribus & acidis abstinentum esse, potum eligendum copiosum, ex cerevisia tenui, quippe quæ medicamenti aquosi instar, acre & arenosum eluit ac diluit. Testis hanc in rem gravis est *Sydenham*, qui eandem ceu saluberrimam commendat *Libr. de mictu* cruento a calculo renibus impacto pag. 705. adeo, ut ipse, quoties curru vehi debuerit, non prius rhedam ingressus sit, quam haustum cerevisiæ tenuis paulo liberaliorem ingesserit, eundemque pariter iterare ante regressum domum versus, si forte alicubi diutius fuerit commoratus. Et hoc pacto semper sibi a mictu cruento satis præcautum esse, asserit. Observandum tamen; cerevisiam bene coctam esse debere & fermentatam.

## §. IV.

Vtut motus & exercitatio corporis conveniens magnum fit, tam ad præcavendas, quam persanandas chronicas passiones præsidium, attamen in excretionibus sanguinis, & præsertim quæ sunt urinarias per vias, res longe aliter est comparata. Etenim vix aliud, motu corporis

citatori, præfertim equitatione, ad propagandum hoc malum magis valet, quin solam loquelam paulo elatiorem & longius continuatam, in mictione dolorifica & cruenta, quæ per vesicam læsam fit, vidimus damnosam. Jam dudum etiam id notatum fuit ab antiquissimo Medicinæ nostræ parente *l. c. p. 16.* perhibente: *si quis sanguinem cum urina mittit, & corpus quietum habet, citius sanabitur, si vero laboraverit, dolores multo graviores obtinebit.* Neque minus *Sydenham* in *opp. p. 700.* suo exemplo rem optime decidit. Nam quoties permultum itineris pedibus confecit, vel in curru per platearum pavimenta vectus est, quantumlibet tardo equorum gressu, toties mictum reddidit cum sanguine permixtum, quoties vero per viam regiam lapidibus non stratam, licet perquam longissime, curru vectus est, tale quid ipsi accidit nunquam. De somno etiam peritissime refert, quod ipsi curæ fuerit, ut lectum citius peteret, quo eo magis concoctio recte perficeretur, sicut ex adverso nocturnæ lucubrationes eam imminuant.

## §. V.

*Quæ fugienda.*

Inter ea vero demum, quæ in medicatione hujus mali vitanda, nihil certe esse potest infestius, quam si cruenta hæc mictio, sive ex renibus, sive ex vesica fiat, sive critica, sive symptomatica sit, remediis adstringentibus, fluxum nimis impetuose sistentibus, ut communis fere & detestabilis medentium error est, excipiatur. Hoc enim factum, a grumis intra vasa retentis inflammationes fiunt, exulcerationes & putredines. Sicuti enim hæmoptysis iisdem his remediis tractata, quam facile in inflammationem & phthisim, vel pulmonum exulcerationem, ita etiam mictus cruentus in inflammationem, exulcerationem & putredinem abit. Nihilominus tamen, si excretio sanguinea effusissima fuerit, cum summa virium jactura, mix-

mixturam, qua *Sylvius* feliciter in cruento mictu usus est, ex aquæ plantaginis unciis duabus, portulacæ, cinnamomi, aceti destillati ana uncia una semis, coralliorum rubrorum præparatorum, lapidum câncrorum, terræ sigillatæ ana scrupulo uno, laudani liquidi granis tribus, sirupi coralliorum Quercetani, vel de symphito Fernelii, q. s. ad gratum saporem, experientia invenimus olim comprobata.

## §. VI.

Externorum quoque non inutilis est ad lumbarem regionem applicatio. Hoc nomine venit emplastrum spermatæ ranarum, quando cum alumine vel saccharo saturni & pauxillo camphoræ miscetur. Vel meretur etiam commendari albumen ovi cum alumine conquassatum & subfrigide regioni pubis, appositum, sub forma epithematis. Nam blanda refrigerante & adstringente vi, hæc sanguinis impetum quodammodo refrenant.

*Externa adhibenda.*

## §. VII.

Qui ejusmodi malo subinde conflctantur, vel ad illud inclinant, providam omnino & diætæ & vitæ regiminis curam habeant necesse est. In victu quam maxime a vini potu, ab omnibus aromatibus, præferim allio & cepis, radicibus aperientibus, ut petroselinis, pastinacæ, Selleri, asparagi, prorsus abstineant, neque somnum in dorso capiant, atque nimis calidis pannis, seu pellibus illud suffulciant. Vitandus etiam est nimius potus calidus infusi Thee, vel aliarum herbarum, sed potius frigidus, vel subfrigidus concedi debet. Decoctum potissimum cerasorum exsiccatorum in pisana, non sine euphoria, sæpius pro potu tumendum commendavimus.

*Ad arcedam recidivam servanda.*

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

*Mictus cru-  
entus exple-  
thora.*

Femina illustrissima LII. annorum, sanguineo-cho-  
lerici temperamenti, ab incunte fere ætate catharris, tus-  
si, cephalægiis, vere præsertim & autumnò, fuit obno-  
xia. Menses semper largiter fluxerunt, qui nunc a bien-  
nio penitus cessarunt. Ex quo tempore doloribus ex  
calculò sæpius conflictata, subinde quoque intensi spas-  
mi, tensiones & dolores occuparunt abdomen, cum al-  
vi frictura & urina aquosa copiose secedente. Nunc sæ-  
pius in extremitatibus manuum & pedum dolores per-  
sentit satis exquisitos, tunc maxime, quando dolores ex  
calculò conquiescunt. Nam his præsentibus protinus ar-  
tuum dolores evanescent. Anni vero spatium ferme est  
elapsum, ex quo mictu cruento, sine omni dolore lum-  
borum vel artuum fuit afflicta, qui potissimum sub motu  
corporis, qualicunquæ etiam recrudescit. Originem hu-  
jus profluvii derivandum esse arbitratur ex nimio lithon-  
tripticorum a Medicis exhibitorum usu; quotiescunquæ  
ad cruentam mictionem comprimendam utitur remediis,  
protinus se pejus habet, & de tensivo hypochondrii fini-  
stri dolore, de nausea, de flatibus, capitisque dolore con-  
queritur. Contra hæc vitia tollenda aliquoties secta est  
pedis vena, quam in brachio minus belle potuit ferre;  
invalescentibus inde mox symptomatibus. Frequentavit  
acidulas Selteranas, thermas Embenses, sed frustraneo ef-  
fectu. Exegit a me salutare consilium, imperavi, ut singu-  
lis binis mensibus, sanguinis missionem sive per scarifi-  
cationem, sive per incisionem venæ in pede admittat,  
secundo, ut loco potus ordinarii utatur sequenti de-  
cocto: Recipe santali rubri, radicis scorzonæræ, ana un-  
ciam,

ciam, cremoris tartari drachmas duas, sacchari Canariensis unciam, coque in mensuris duabus aquæ communis per horæ dimidium, in fine addantur guttulæ duæ vel tres olei de Cedro, cum saccharo subactæ. Infusum quoque theiforme ordinavi ex summitatibus millefolii, floribus papaveris rhœados, hyperici, herba veronicæ, pilosellæ & semine foeniculi adornandum; & ad singulas lunæ phases, ad alvum laxandam assumere jussi decoctum rhabarbarino-mannatum, & circa proximum ver denuo curam fontis Selterani per integros duos menses, cum tripla lactis asinini parte remixti adhibere: Aliquot menses post, relatum mihi est ex Holsatia, insignissimum mali levamen ab hac cura fuisse expertam feminam illustrissimam.

#### *Epicriss.*

Sanguineam mictionem infestare quam maxime feminas plethoricas, post cessantem menstruam purgationem, neglecta sanguinis missione, sub victu præsertim lauto & motu corporis concitatori, multis exemplis in praxi confirmatum habemus. Nihil vero ad calculi generationem & mictum cruentum proritandum, si dolores jam adsunt lumborum, magis valere, quam inconsulto & temere, calculum quæ pellunt propinare, etiam nobis compertum est. Optandum itaque foret, ut omnia lithontriptica, quæ rarissime optatum habent usum, e praxi Medica ejicerentur, præsertim si acriora & calidiora fuerint; neque enim ante affectum nephriticum, neque in eo, neque post eum, utilitatem quandam habent. Denique quam circumspectam, immodicæ omnes sanguinis profusiones, tractandi methodum exposculent per adstringentia, etiam nostra historia docere poterit, quum represso sanguinis fluxu, mox sæva internas abdominis par-

partes incesferunt symptomata. Venæ in brachio apertio, ubi jam plurimum sanguinis per inferiora profluxerit, non semper tuta & utilis, quia largius extracto sanguine partes vitales, cor & cerebrum, eo si deferuntur, cum tota functionum œconomia defaectantur. Fons Scleranus cum afinino nuptus lacte, in omnibus renum vitiis & doloribus ac spasms nervosarum partium scorbuticis, est præsidium omnibus aliis longe superius.

## OBSERVATIO II.

*Ex repulsa  
scabie cru-  
entur mi-  
ctus.*

Vir sexaginta annorum, olim hæmorrhoidum fluxu circa æquinoctia obnoxius, per annum iis caruerat & pruriginosa scabie in toto corpore, præsertim circa anum, fuerat vexatus. Ad hanc tollendam variis usus est medicamentis sanguinem purificantibus, ut tinctura antimonii, tinctura sulphuris tartarifata, quam cum decocto temperato ultra mensem assumsit. Externe, unguento ex balsamo sulphuris, cum oleo amygdalarum dulcium & saccharo saturni parato, frequentius cutem inunxit. Quibus remediis adhibitis, feliciter quidem molestum cutis malum evanuit, sed præter omnem opinionem, quum urinam redderet, apparuit illa crassa, sanguineo colore tincta, secessitque mox in fundum subnigricans eror. Sic reddebatur aliquoties lotium, semper fere sine incommodo, sed quando alvum exonerabat, sub illo nisu, immani fere dolore cruciatus fuit, cum magna stranguria. Venæsectione in pede singulis mensibus instituta, exhibitis simul infusis ex manna, rhabarbaro, passulis & nitro, laxantibus, ac decocto ex avena, radice cichorii, floribus papaveris rhoeados, summitatibus millefolii, successive malum discessit.

*Epicrifs.*

Notatu in hoc casu perquam dignum est, quod  
a re-

a retropulsa scabie sanguis cum mictu prodierit. Sed dubio omni procul id factum esse arbitror, quod materia serosa, tenuis, caustica, renum & vesicæ valis se insinuavit & acrimonia tenues eorum surculos fauciat, non aliter ac id a cantharidibus intro sumtis subinde obtingere solet. Notabile etiam hoc est, quod exiguus dolor iucrit, quia sanguis ex renibus promanavit, quando urina copiose emissa fuit, gravior autem factus sub alvi depositione, quia sub vehementi nisu falsus sanguis & acris sine dubio ex vesicæ vasculis expressus dolorem auxit.

## OBSERVATIO III.

Accersitus ante aliquot annos ad Quæstorem, virum *Mictio cruenta venesectione curata.* quinquagenarium floridi, sanguinei & carnosus habitus, qui semper sanus ac vegetus, nunquam etiam dolore ex calculo vexatus, vel hæmorrhoidum fluxu affectus, & qui nec sanguinis missionem per totam vitam, nisi bis, vel ter admiserat; is mane quum surgeret, emisit præter omnem expectationem, sine magna alteratione, urinam cruentam. Ego quum advenirem, fluxus jam per duos dies durarat, sedimentum erat valde turbidum, crassum, subnigricans. In patina uncias aliquot hujus urinæ probe subactæ super prunas ardentes curavi incoquendas & vix dimidia parte exhalata, crassamentum instar albuminis ovi coagulatum, nigricantis tamen coloris, remansit, non secus ac sanguis quando in cochleari argenteo supra candelam incoquitur. Inquisivi in hujus fluxus, insolentis plane, causam, nullam tamen aliam afferre potuit, quam quod liberalius potasset vinum in urbe vicina & post nocte mense mayo valde frigida, mane per tria miliaria equo concitatus vectus sit. Altero enim die post, hoc symptoma fuit sequutum. Quare quum pulsus adhuc satis magnus & citatior esset, venesectionem in manu, & loco cerevisiæ, quam ordinario bibebat

bebat valde saturatam, decoctum avenaceum, ex avena, radice scorzonerae, cichorii, floribus papaveris rheados, nitro & melle paratum, item pulverem præcipitantem cum liquoris anodyni aliquot guttis assumendum; infusum quoque theiforme ex herba veronicae, agrimoniae, polygoni, summitatibus millefolii, floribus papaveris rheados semine foeniculi sæpius hauriendum suasi, & præcepi, ut a vino abstineret & singulis anni quadrantibus venæsectionem admitteret. Quo factò, non ulterius mictionem cruentam est expertus.

*Epicrisis.*

Non semel sed sæpius observavi copiosi & sinceri sanguinis mictum ex improvise simul & semel factam & per intervalla ex levi causa recurrentem sine ullo apparente signo vel vestigio calculi renalis ante & post illum fluxum, idque in corporibus sanguine temperato valde diffluentibus; nullum dubium est quin in plethoricis, præsertim post equitationis motum, factò concitatiore sanguinis ad renes affluxu & impeditiore ejus per venas refluxu, extremitates arteriolarum emulgentium, quæ principium canaliculorum hydragogorum constituunt, nimis dilatatae & disruptæ, cum effuderint in canaliculosam & papillosam renum substantiam. Tali in casu quies, aquæ frigida potus, abstinencia ab omnibus spirituosis, venæsectio, omnium optima sunt præsidia.

OBSERVATIO IV.

*Mictio cruenta cum dolore ischiadico curata.*

Laboravit ante aliquot annos vir consularis vicinæ celeberrimæ urbis quinquagenarius, lautæ & vinosæ diætæ deditus, tranquillè insuper vitæ generis, dolore gravativo lumborum, cujus causam consulti Medici judicabant esse calculum renalem. Quidam tincturam *Amelungii* lythonthripticam, alii baccas juniperi quinque singulis diebus mane devorandas



randas suaserunt; sed nihil inde levaminis consecutus est, ut potius dolores invaluerint, ipsum lateris dextri femur in consensum trahentes. Commendatus ipsi fuit pulvis specificus antinephriticus, cujus basis millepedes & sal succini volatile erant, quem circa singulas lunæ phases assumpsit, urinæ quidem fluxus liberalior inde redditus, sed per mensem usurpato hoc pulvere, observavit quum urinam redderet, eam sanguinolentam, ita ut interdum plus, interdum minus cruoris haberet. Medicus ordinarius a specifico hoc ut penitus abstineret suavit, & medicamenta ad fluxum sanguinis restringendum dedit, unde mictio restincta quidem, sed non multo post ardor in osse sacro ingens cum difficultate magna feces egerendi fuit subsequutus, dolore mox totum femur, qui ad pedem usque se protendebat, occupante. Hic postea venæsectione in pede afflicto admissa satis larga, & decocto temperante usurpato superius a nobis descripto, convaluit.

#### *Epicriffs.*

Ex hac constat historia, aliisque innumeris comprobati exemplis potest, pernitiā admodum eorum, quæ urinam & calculum valide pellendi pollent facultate, usum esse in plethoricis & quando de doloribus lumborum conqueruntur. Optandum certe foret, ut acriorum & nimis calidorum diureticorum, quæ sale subtili caustico vesicatorio agunt, ut sunt quæ ex insectis prodeunt medicamina, non secus ac acriora & valentiora purgantia penitus in praxi & usu medico exularent; quippe natura in excretionibus blande vult duci, non vi cogi; fortiora enim diuretica nunquam non teneram & vasculosam renum substantiam lædunt, calculosque, si non adsunt, ingenerant, vel si adsunt fortiter expellunt, vasisque faucibus inde cruorem educunt aut inflammationes & exulcerationes contumaces & exitiales relinquunt. Novi a crebriori pulveris millepedum in asthma-

te humoralis usu corporis atrophiam & funestam renum exulcerationem cum febre hæctica successisse. Si quis autem ejusmodi causticis, cujus generis sunt cantharides, arnearum, vermium majalium & millepedum species, ut in gonorrhœa virulenta non nunquam accidit, uti velit, suorum ut nunquam sine miscela nitri & camphoræ, quæ omnium optima eorum sunt corrigentia, ea adhibeat.

## OBSERVATIO. V.

*De rara  
mictus cru-  
enti specie  
ex vesica  
ejusque  
sp. in ceteris  
valis.*

Ineunte anno noctu colica prehendebatur vehementi sexagenarius vir, qualem jam ante novem etiam menses circiter fuerat perpessus, cui nunc accessit mingendi difficultas. Post aliquot dies remisit quidem colicus dolor, sed frequentior ad matulam stimulus fuit perpetuus, quin quandoque sine causa conspicua, mirum fuit exacerbatus. Interjecto aliquo tempore accedit tertium mictus sanguinis, qui quandoque per octo & quatuordecim dies succedit, quibusque elapsis urina iterum quidem tantisper inclarescit, sine tamen ægroti levamine. Atque hic mictus cruentus citius aut serius impetit, quo magis vel minus corpus motu exagitavit. Sic miser jam septem anni quadrantes sub perpetuis vicissitudinibus affligitur, nec unquam penitus cessavit dolor, licet interea variæ adhibitæ sint medicationes, inter quæ etiam bis repetitus Egranarum potus. Post emissum in pede sanguinem & appositam ano hirudines, datisque subinde per epicrasin laxantibus, sincerus sanguis cum lotio non amplius profluxit, sed postquam refrixerat urina, dimisit crassum subrubicundum sedimentum, tandemque plane moleculæ sanguinis congrumati exciderunt intra aliquot dies vel viginti, quarum nonnullæ magnitudinem digiti fere auricularis æquabant & quasi in carnem videbantur mutata. Post aliquot dies ægrum incessit colica nephritica, & lapillos binos miliares elidebat, atque elapsis

elapsis quatuordecim diebus eodem modo. Ex eo urina aliquamdiu mansit pellucida, neque etiam quicquam ex ipsa ad fundum secessit, sed illud crebrioris mictus malum mansit, ita ut singula hora dimidia, quin quadrante, matulam poscere cogeretur, cum ardore in ano, tenesmo & spasmo circa glandem, ac pungente, ardente, scindente tam exquisito in glande dolore, ut rigida penis subsequeretur tensio. Interim urina nunquam plane fuit suppressa, alvus autem plerumque officii obliviscitur & flatibus tumet, appetitus quoque vacillat cum ructibus, succussatorium motum ferre nequit æger & circa lunæ phases tam notabile doloris percipit incrementum ut plane non sese movere ipsi sit licitum. Somnus propter crebram urinæ emissionem interruptus. Viris mediocri adhuc sunt firmitudine. In osse sacro & dorso dolor non sentitur; sed in pubis regione exterius quandoque pruritus, interius pressorius & tractorius dolor versus dextrum latus, quasi ibi præternaturale quid consisteret, qui sensus, motu, tussi, sternutatione exacerbatur. Urina interdum tanta vehementia exitum molitur, ut vel involuntarie erumpat; vicissim nonnunquam talis in membro est sensatio ac si exstillaret urina, quod tamen non fit; post aliquas vero sanguinolenti mictus inducias, rediit tandem illa eadem vehementia. Quare meum postularunt consilium, qui quidem candide edixi periculo non vacare ejusmodi malum, inveteratum maxime & in senili corpore, ne tamen ex neglectu ejus corruptio & sphacelus lethalis partibus affectis accedat, utique omni cura esse providendum. Hunc in finem suasi, ut quotannis minimum ter, vena in brachio pertunderetur; dein ut æger a vini ac cerevisiæ potu abstineat, ac ordinarium habeat decoctum ex radice chinæ, sassaparillæ, ligno santalo rubro & citrino, nec non radice glycyrrhizæ, & stomachi causa unicum vini Burgundiaci aut similis vitrum bibat.

bat. Tum videndum, ut alvus semper sit aperta, idque ope maxime passularum rhabarbarinarum; aloetica vero & acria purgantia cum cura esse vitanda. Exterius nihil fore conducibilius aqua sclopetaria, triplicatis liætis pubis & perinæ regioni noctu maxime adnota. Sic me spem fovere haud dubiam, fore, ut æger exinde levamen obtineat exoptatum.

#### *Epicripsis.*

Venit redditus a nostro mictu sanguis, non ut communiter fit, ex renum vicio, aut vasorum emulgentium aperture, sed potius ex ramo venæ hæmorrhoidalis externæ hypogastricæ, quæ in viris præsertim, ad vesicam maximeque ipsius cervicem complures furculos spargit, testantibus Anatomicis oculatissimis, inprimis *Baubino*. Est itaque mictus cruenti genus oppido rarum, non tamen defuit inter observata medica ejus exempla. Sic *Hæchläterus*, in *observ. Dec. I. schol. in cas. II. fundit sapius*, ait, *hæmorrhoids externa sanguinem in vesicam, ut absque vicio renum mingatur, quod in nobili quodam licuit videre*. Ejusdem indolis & nostro perquam similis casus relatus legitur in *M. N. C. Dec. I. Ann. II. Obs. XXIII*. Quod autem ex hoc fonte venerit sanguis, testatum faciunt pathemata. Nullus enim in lumbis & renibus adest dolor, sed continuus ad mingendum stimulus, cum doloribus in ano, pube & perinæo multis & variis. Quod si itaque sanguis, sub vitæ præsertim sedentaria, accumulatur & circa hæc loca stagnat, vasorum in cervicæ vesicæ orificia tandem dehiscunt, & sanguinem in vesicæ cavum fundunt, tumque multum sanguinis illabitur. Quod si vero per tunicas aliquid tantum mora transfudat, sensim coagulatur, & cum vesicæ mucositate miscetur, concresecunt inde ejusmodi moleculæ sanguinis conglutinati quasi membrana vestitæ, quæ postea excernuntur. Atque idem etiam factum esse habet alle-

allegata ex M. N. C. observatio, conceptis sic verbis: *tandem cum maximo cruciatu & ardore vehementi in ima pube & circa virgam, varios magnos, ac oblongos sanguinis grumos, instar hepatis lucii piscis, mingendo ejaculabatur.*

## OBSERVATIO VI.

Ante duodecim circiter annos, vir generosissimus, aulæ Cellensis minister, meam opem ac consilium requisivit. Is jam septuagesimum & sextum annum complevit, constitutionis, per omnem ætatem, validæ & robustæ, ut nunquam fere agrotaverit; lautiori quidem gaudebat victu, ita tamen, ut in poculis & venere modum servaverit. Solitus erat longo abhinc tempore, sub cœlo sereno corpus equitatione exercere, idque, cum paulo fecisset validius, mane urinam, quæ antea semper erat naturalis, bruno & subatro colore tinctam prodiisse observavit, aliquot sanguinis grumis urinalis vasis fundo adherentibus, & quotiescunque equitatione vel alio fortiori motu paulo validius corpus agitarer, idem expertus est; quamdiu vero corpus permansit quietum, urina & colore & consistentia naturali erat, nihilque vitii habebat. Per aliquot jam menses hoc insolito accedente affectu, de nulla corporis lassitudine, de nulla circa pubis vel lumborum regionem molestia, de nulla dysuria conquerebatur, nullo unquam calculi vestigio apparente, neque ullas unquam molestias ex hæmorrhoidibus percepit: interim bene appetebat, dormiebat. Venæsectionem per totam vitam rarissime admisit. Delectatus multum cibus qui grata acrimonia linguam feriunt, germanice vom hohen Gout. Medici ejus loci peritissimi de morbi causa & effectu nihil certi decernere poterant, & medicamentis, quæ nihil proficiebant exhibitis, per litteras petiit meam opem & consilium. Judicavi mali originem & causam esse plethoram, quæ etiam seni-

*Mictio sub-  
atra cruen-  
ta instar  
coffe, sana-  
ta.*

senibus bene appetentibus & lautius victitantibus familiaris esse solet, præsertim si a sanguinis missione, quæ in florida senectute longe utilissima deprehenditur, prorsus abstineant. Suasi itaque singulis mensibus venæsectionem in brachio, parca tamen manu, ad uncias tres vel quatuor administrandam, & ut loco potus ordinarii decoctum ex radice chinæ, scorzonæræ, rasura cornu cervi, santalo rubro & aniso stellato biberet; subinde quoque pulverem ex lapidibus cancerorum, rhabarbaro & saccharo assumeret, ab omnibus acribus & spirituosus abstineret, corpusque in quiete servaret. Quorum remediorum energia ita adjunctus est, ut generosus ejus gener, exactis aliquot septimanis rescripserit, illum immunem hoc malo fuisse red-ditum. Post duos vero annos, marasmo eum extinctum esse, mihi fuit relatum.

#### *Epicriss.*

Binos, quoad omnes propemodum circumstantias, similes casus, olim in praxi mea observavi. Ante viginti annos generosus cameræ consiliarius octuagenarius mihi aperuit, se ultra decem fere annos, urinam per intervalla, sanguineo colore tinctam grumis interdum prodeuntibus ex ipsa urethra reddidisse, citra ullum tamen incommodum sive sanitatis offensam. Nullam potuit mali hujus causam assignare, nisi quod per multos annos, vinum quod in vinea sua rubrum, sive Rosacer fuit natum, in frequentissimo & quotidiano fere usu habuerit. Monui ut abstineret ab hoc, sed respuebat hoc consilium, eo quod jam per viginti annos, hoc vino fuerit usus. Secura vero postea est crebrior cruoris mictio, quam lenta excepit febris cum marasmo. Ante aliquot lustra in femina septuaginta & aliquot annorum vegetæ etiam constitutionis similem urinæ colorem observavi per certa tamen intervalla apparentem. Colorem urinæ bruno nigricantem in senili ætate quam maxi-

me familiarem cruditatibus acidis, sanguini permixtis, dum facile omnia alimenta in eorum ventriculo coacefcunt, tribuendum esse existimo, quæ humorum acida acrimonia plurimorum senilium morborum matrix ad vasorum sanguineorum in renibus referenda orificia etiam multum conferre videtur.

## OBSERVATIO VII.

Hebræus LX. annorum ab aliquot jam annis doloribus ex calculo valde excruciatuſ, tandem ingentis magnitudinis unum cum cruenta excrevit urina, poſtea immani dolore in regione pubis corripitur, urina penitus ſuppreſſa, alvoque ita obſtipata, ut nec ſtatuſ nec quicquam excrementi inde prodiret, quæ per quatuor dieſ ſymptomata perſiſterunt, tormentiſ ita adauctiſ, ut nec quicquam ſomni capere, neque in uno loco quiete conſiſtere potuerit. Ad urinam eliciendam catheter ſed ſine effectu fuit applicatuſ, quum vix aliquot guttulæ urinaſ profluxerint; hinc non ſine ratione iudicavimus, uretheres ubi veſicam ingrediuntur a grumis ſanguiniſ eſſe obſtructoſ, quare pubiſ regioni veſicam ſpeciebuſ emollientibuſ in lacte coctiſ repletam applicari juſſimus; ingentem quoque infuſi herbaſ veronicaſ, urticaſ mortuaſ & radiciſ glyzyrrhicaſ quantitatem quotidie cibere debuit; præterea clyſtereſ oleoſi emollienteſ in anum injecti plureſ, & nil levaminis inde fuit conſecutuſ, auctuſ potiuſ ab urina ſuppreſſa fuit dolor in abdomine & lumbiſ cum extremorum refrigeratione mortique viciniſ in continuo ſopore jacebat æger: quando paululum ſe recolligebat de ſummiſ querebatur anxietatibuſ quæ reſpirationem demere videbantur. Dedi ad alvum, quæ erat ſtriçtiſſima, laxandam ſequentem mixturam: recipe mannaſ electæ unciâſ duaſ, ſolve leni calore in aquæ ſlorum acaciaſ unciâſ ſex, addè olei amygdalarum dulcium unciam ſemis, nitrî purificati grana XII. eſſentiaſ corticum aurantiorum drachmam ſemis, qua duâbuſ vicibuſ aſſumta, at-

*Iſchuria ex  
miſtu cru-  
ento, poſtione  
mannata  
ſanata.*

que intra quatuor horas repetita; habuit inde octo sedes, quibus copiosa materia stercorea rejecta & simul tanta urinæ profluxit copia, ut aliquot repleverit matulas, quæ vero primum prodiit, instar loturæ carniæ erat. Horum remediõrum efficacia ex orci pene faucibus ereptus miser, qui postea adhibitis idoneis stomachicis, roborantibus, bono vitæ regimine accedente, pristinam valetudinem recuperavit.

*Epicrisis.*

Extra dubium est a sanguinis grumis obstructum fuisse introitum uretheris in vesicam, qui transversim fit per ejus membranas; id vero mirum est, per alterum vacuum, urinam in vesicam non descendisse, quod a spasmodica vesicæ constrictione factum credibile est, quia etiam vicinum intestinum rectum per consensum arctissime fuit occlusum. Perquam notabilis etiam est singularis effectus decocti manati in hoc casu, quod una cum clysteribus & cataplasmatibus emollientibus, spasmo harum partium relaxato, urinæ liberum iter & fluxum conciliaverit. Neque semel sed iterum a nobis observatum est, quæ alvum blanda virtute solvendi valent, in morbis vesicæ commodum etiam præstare solatium.



CAPVT VII.  
DE  
HÆMORRHAGIA CEREBRI.

THESES ET OBSERVATIONES  
PATHOLOGICÆ.

§. I.

**H**æmorrhagiæ cerebri appellatione, nos fortem & pernitialem illam apoplexiam sanguineam comprehendimus, quæ ab effusione cruoris in cerebro ex ruptis ibi, citra violentiam externam, vasculis, oritur, & subito functiones animales & vitales quoque pessumdat atque extinguit.

*Quid intelligatur per hæmorrhagiam cerebri.*

§. II.

Hæmorrhagiam cerebri existere revera, ejusdemque proximam causam esse rupturam vasorum in eo, luculenter monstrant sectiones anatomicæ in defunctis institutæ. His enim in comperto est; sanguinem modo inter cranium & duram matrem, modo inter hanc & piam, frequentius hanc inter & cerebrum, frequentissime in hujus anfractus & ventriculorum meditullium, quandoque in basin ipsius, interdum minori, interdum etiam satis magna copia, effundi. His quoque constat: ipsa sanguifera vasa per cerebri membranas & corticem discurrentia, sanguine nunc liquido, nunc concreto turgida & veluti aneurismatica nunc etiam rupta conspici. Possunt hanc in rem legi historiae apoplecticorum dissectorum a clarissimo *Wepfero* consignatæ.

*Hanc demonstrans defunctorum sectiones.*

*Cerebrum eiusque vasa ad sanguinis emissionem valde disposita.*

## §. III.

Pars igitur primario affecta est cerebrum, quod ad concipiendam sanguinis stagnationem & inde oriundam hæmorrhagiam admodum dispositum. Etenim insignis sanguinis quantitas, & minimum, teste *Malpighio*, tertia pars, illius qui ex ventriculo cordis sinistro in universum corpus eiicitur, eo per quatuor capaces fatis arterias adducitur. Dein arteriosa hæc sanguinem advehentia vasa tortuosum admodum ubique, & maxime in pia matre, servant tractum. Tum, quod maximum, ipsæ hæc arteriæ, postquam subierunt cranium, deposita exteriori tendinea, potissimo motus systaltici instrumento, tunica, tenuiores longe sunt, quam in reliquo corpore, & quasi venas referunt. Ne dicam, adeo demum gracilesce hæc vasa, ut sanguinis per ipsarum angustias in venulas socias transitus, sensus plane subterfugiat. Quæ omnia faciunt utique, ut sanguis heic tardius circumeat, facile etiam subsistat, aditu in venas expedito facile intercludatur, novique accessu cumulatus continuo, alveos canalium admodum dilatet & ad consequutura plura mala ansam præbeat.

## §. IV.

*Ruptio fit in minimis piæ meningis & cerebri arteriolaris.*

Inprimis præsentem jam eiusmodi dispositionem, facilis postea in rupturam & effluxum est transitus, tum videlicet, ubi accesserint causæ, quæ sanguinem majori copia & cum impetu ad caput congerunt, ejusdem in ipso stagnationem invitant ac liberum per venas recursum valide sufflamant. Sic enim demum fit, ut vasa non modo cruore turgeant, sed & ab appulso jugiter novo nimium facta, dehiscant, rumpantur & sanguinem effundant. Id quod maxime in piæ meningis nec non corticalis cerebri substantiæ vasculis, æque ac iis, quæ choroideos plexus constituunt, contingere, cadaverum sectione constat.

## §. V.

## §. V.

Per effusum in cerebro cruorem non modo subtilissimi liquidi, quod motum, robur & sensum præstat partibus, secretio & distributio per nervos impeditur, sed & totus circularis sanguinis per cerebrum motus turbatur & interceptitur; ubi animales æque ac vitales functiones elanguescunt & tandem penitus extinguuntur. Quæ omnia sic omnino contingere, testatum faciunt pathemata illa truculenta, quibus hæc hæmorrhagia slipatur, & e quibus, ceu dignosticis signis, etiam cognoscenda. Nimirum qui eam incurrunt in terram concidunt subito, omni mentis vi ac cogitatione, sensu quoque ac motu privantur omni, cuncta membra sunt languida & flaccida, lingua obmutescit, palpebræ suspensæ & os hians comparent, deglutitio sublata, & alvus, & vesica retinenda excrementa haud raro sponte dimittunt. Atque hæc omnia læsam cerebri functionem & elanguescens inde musculorum robur produnt luculenter.

*Functiones animales & vitales inde leduntur & tandem extinguuntur*

## §. VI.

Difficili autem & intercepto sanguinis per capitis interiora com meatui tribuenda reliqua quæ observantur phœnomena. Quod scilicet genæ rubicundo admodum & florido colore suffundantur, facies tumeat, vasa per faciem & maxime tempora discurrentia, turgeant, rupta in ore, naribus ac auribus sanguinem interdum, maxime post mortem, fundant, quin accedente putredine, caput in miram distendatur magnitudinem; quod a sanguinis per carotides internas aditu denegato, & capropter in externas facto impetu, merito derivandum. Quod oculi distendantur, promineant, rigidi & quasi vitrei compareant ac lacrimas uberius fundant, id lymphæ a sanguine stagnante copiosius secedenti in acceptis ferendum. Quod cor valide pulset, arteriarum quoque pulsus in principio magnus, postea languidus

*Hæmorrhagiæ cerebri effectus atque symptomata.*

das ac rarus sit, quod spiritus sit difficilis cum stertore & rhoncho, id sanguinis pulmones obruentis moli, eorundemque eapropter intercepto æquali reciproco motui, aërem rite nec expellenti, nec admittenti, imputandum. Quod demum vomitus & convulsiones cum dentium stridore variæ accedant, non aliunde quam a sanguine in duræ matris vasis hærente eandemque ad spasmum sollicitante, deducendum.

## §. VII.

*Signa antecedentia.*

Iam sicuti omnis omnino hæmorrhagia supponit ac præviã habet sanguinis, in illa ubi succedit parte, nimiam ad rupturam usque congestionem; ita quod eadem in hac, quæ in cerebro fit effusione, præsto sit, est utique certum. Evincunt enim id omnes, quæ morbum hunc antecedunt ac prænunciant passiones, quas inter præcipuæ, capitis cum vertigine temulentia, ejusdemque præcipue in occipite, dolor pressorius & gravativus, fornicationis sensus in artubus, visus modo per caligines, modo coruscationes, turbatio, oculorum humiditas & intumescencia, aurium susurrus atque tinnitus, memoriæ & ingenii aliqualis hebetudo, somnus profundus, incubo & insomniis stipatus, venarum jugularium turgescencia ac faciei præter consuetudinem rubore suffusio.

## §. IIX.

*Incessus difficultas.*

Quemadmodum porro ad inducendam sanguinis in certa parte congestionem, præter ejusdem abundantiam, tum ipsius validior per spasmum in aliis partibus eo suscitatus appulsus, tum etiam partis congestionem admittens quædam debilitas, concurrunt; ita, quin eadem hæc ad gignendam eam, quæ in cerebri vasis colligitur congestionem, conferant, neutiquam dubitandum. Huc enim redit omnis vis & efficacia illarum causarum, quas ad ingn-

gnendum hunc morbum, ceu antecedentes & procatarcticas conferre, ratio docet, experientia confirmat.

## §. IX.

Vt de sanguinis plenitudine primum dicamus, propter eam omnino accidit, quod hæmorrhagia hæc frequentissime incidat in ætatem virilem, & juxta Hippocratis aph. 57. scđ. 6. ab anno quadragesimo usque ad sexagesimum, ubi confecto corporis augmento, succi in valis plus justo non modo accumuluntur, sed & densiores fiunt. Hinc porro fit, quod qui temperamenti sic dicti sunt sanguinei, nec non obesi, cum iis, qui lautam, otiosam & sedentariam vitam sectantur somnoque indulgent, pernitiali hæmorrhagiæ huic admodum sint obnoxii. Idem accidere iis, qui propter suppressas, aut imminutas spontaneas hæmorrhagias, nec non omittas diu fuetas antea artificiales subtractiones, nimiam sanguinis copiam colligunt & coarcent, uberius testantur Medicorum observata. De neglecta sanguinis missione testes sunt *Alta Medic. Vratisslav. MDCCII. de narium hæmorrhagia suppressa, Hildanus Cent. III. Obs. XI. de hæmorrhoidibus retentis Hippocrates, Amatus & Zacutus Lusitani*, & qui primo loco ponendus fuisse, *Lancisus, de subit. morib. de mensibus & lochiis cohibitis cum Fontano Alta Nat. Curios. passim; de vicaria etiam mensium per os & nares vacuatione Hildanus Cent. III. Observ. XII.*

*Plethorici maxime & ubi sanguinis solennes excretiones deficiunt huic malo obnoxii sunt.*

## §. X.

Tanto vero magis tantoque certius hæc sanguinis redundantia ad inferendum quod diximus damnum fit effi-  
cax, si accesserit altera illa causa, spasmus nempe in aliis externis remotisque a capite corporis partibus. Hujus enim tam infesta est operatio, ut non tantum sanguinis progressui in ea, quam detinet parte, fibras stringendo & vasa coarctando, obicem ponat, verum etiam eundem ur-  
geat,

*Spasmi in remotis partibus multum ad genesis hujus hæmorrhagiæ conferunt.*

geat, ut aliorum cum impetu ruat, ibi vasa oppleat, diducat tandemque perumpat. Spasmodum autem in hæmorrhagiis ferme omnibus, atque etiam in hac, præsto esse, testatur juncta magnitudini pulsus durities, strictionem nervosarum in arteriis tunicarum prodens. Testatur quoque antecedens extremorum refrigeratio, nec non ille, quem quidam in artubus sentiunt, formicationis sensus. Atque etiam hanc ob causam fieri censendum est, quod experientia teste, hanc hæmorrhagiam sæpe incurrant, qui spasmodis, in abdomine maxime, aliquamdiu fuerunt detenti, qui scilicet colicis passionibus, præsertim spasmodicis, hypochondriaco malo, doloribus ex calculo vesicæ item cystidis fellæ nec non diuturna alvi strictione laborarunt.

## §. XI.

*Affectus animi frequentes & potentes sunt hujus mali cause.*

Ex quo jam ulterius concludendum, omnia quæ spasmodum inducere apta, in numerum causarum hujus mali esse referenda. Conspicuum hoc nomine maxime est animi affectuum effectus, iræ imprimis ac terroris, quæ proxime in nervosas partes agunt, easdemque in anomalos spasticos motus adducendo, inæqualem quoque faciunt sanguinis circuitum, atque malum hoc sæpius accersunt; uti inter alios *Hildanus*, *Schenckius* ac *Forestus* fidem faciunt. Idem efficere valet venereum cæstrum, quo motuum æquilibrio sublato, adeo in quibusdam exagitatam fuisse sanguinem, ut ipso in actu occubuerint attoniti, ex *Henrici ab Heer Observ. XIII. Bartholino* & nostra de morbis ex insensitiva venere oriundis, dissertatione, constat uberius. Neque tantum impensior animi, verum etiam corporis commotio, ad sanguinem versus caput urgendum multum facit. Nos inter alia novimus a mica panis asperæ arteriæ illapsa, vehementissimam concitatam fuisse tussim, quam excepit hæmorrhagia in cerebro, lethali cum eventu.

## §. XII.

## §. XII.

Magna quoque ad inducendum hoc malum vis est materiæ illi acri, corruptæ & veneni tantum non naturam habenti, quæ a succorum vitalium connubio, salutari admodum consilio segregata, ad corporis ambitum propellitur, quando, vel sponte iterum recedit, aut per injurias externas repellitur; quippe quæ nervosis internis membranis illapsa, spasticas atroces suscitatur stricuras, per quas sanguis utique etiam agitur cum impetu ad caput ibidemque congeritur. Sic ex ulcerum manantium & fonticulorum coalitu id factum esse, auctor est *Wepferus*; ex coryzæ, pedum sudoris catarrhaliumque affectuum suppressione, nec non retrocedente scabie, *Ephemerides naturæ curiosorum*; ex arthritide & podagra emanante vid. *Med. System. rat. tom. III. p. 139.* nec non *Wepferus*. Haud dissimilem pernicialem effectum in internis nervosis partibus edunt adstringentia, præpostere, imprimis in hæmorrhagiis nimis data, de quo notabile exemplum a nobis observatum & quod pluribus expositum in dissertatione *Altorfii* habita, de viro apoplexia ex inconsulta hæmorrhoidum suppressione extincto, cujus auctor est *Clarissimus Scultzius*.

*Excretiones que in partibus externis fiunt repropulsa sæpius causam præbent huius divi affectus.*

## §. XIII.

Merito præterea in numerum causarum hujus mali venit ipse aer, cujus constitutionem infalubrem & præternaturalem, epidemicum prorsus fecisse hunc morbum, *Lommius* potissimum, *Baglivus* & *Lancisius* affirmant. Maxime omnium vero generationi ejusdem favet frigus, quod fibras cutaneas stringendo vasaque in ambitu coarctando, ad interiora ipsumque caput urget ac pellit humores. Vnde *Hippocrates* jam *Sect. III. aph. 23.* hiemalibus morbis annumeravit apoplecticum. Et *Piso* notavit: quod, quando circa solstitium hibernum boreas, corpora valde comprimens & mercurium capropter in barometro

*Malum quandoque fit epidemicum a subita & insolita aeris mutatione.*

furfum urgens ventus, repente insurgit, dispositos admodum infestare soleat attonitus morbus. Neque minus ad producendum hoc malum multum facit subita aëris mutatio. Nos certe crebrius observavimus, quod, si diuturnam aëris intemperiem frigido-humidam, vento diutius ex occidente & zephyro spirante, subito ventus frigidus valde ex borea excipit; aut etiam intemperiem aëris calidam & humidam cito sequitur algida & constringens atmosphæræ constitutio; facilis admodum in hunc morbum dispositis fit lapsus. Quo etiam fundamento nititur illa *Amati Lusitani Cent. I. curat. XXXVI.* observatio, qua admissio liberius corpori ex balneo fervido æstuanti frigido aëre, apoplexiam accessisse memorat.

## §. XIV.

*Hunc morbum ut plurimum antecedit imbecillitas corporis.*

Accedit causa, inter præcipuas numeranda, vasorum scilicet & membranarum cerebri imbecillitas, sive imminuta potentia motrix systaltica. Sine hac enim nec abundantia, nec appulsus sanguinis, ad excludendum hoc malum sufficiunt; at ubi adest, membranæ sanguinem appulsam minus vegete protrudunt, vasa eidem cedunt, lentus fit circuitus, stagnatio, factus tandemque ruptura. Est autem hæc debilitas quandoque nativa & a parentibus accepta, qua fit, ut certis familiis, fatalis atque funestus sit hic morbus, uti exemplis *Hoferus*, *Forestus*, atque *Senertus* confirmarunt. Alia demum accedit; quod patet in senibus, in quibus, quia partium omnium labascit robur, non mirum est, id etiam contingere in capite, ipsosque capropter frequentius pati hos manes.

## §. XV.

*Ad quam disponit inordinatum vitæ genus.*

Inter causas, quæ vasa ac membranas cerebri tonno privant debito, potissima utique est, ingluvies, intemperantia atque ebrietas, ex cerevisiis lupulatis, vino, maxime sulphuris fumo infecto, nec non vini spiritu. Horum



rum enim ea indoles, ut sanguinem exagitent, expandant, eoque simul ipsa vasa per quæ decurrit, distendant. Quod ubi accidit crebro, manet illa distensio, systaltica vis infringitur & ad concipiendam morbosam stagnationem sternitur via. Vnde merito hinc causam repetit *Henricus ab Heer*, quod septentrionalibus populis adeo frequens sit hic morbus, ac uti *Lancisus* observavit, nemo fere sobriæ vitæ addictus eodem corripiatur. Nec dispar ratio eorum, quæ capiti stuporem conciliant, opiatorum, absinthii, lupuli, nicotianæ, croci, carbonum vivorum, multi & cerevisiæ fermentantis vaporum, quibus dum succi & canales plus iusto rarefiunt ac distenduntur, impeditus utique fit progressus.

## §. XVI.

Non minoris momenti ad funestam in cerebro hæmorrhagiam proritandam facit habitus corporis cachecticus cum dolore gravativo capitis junctus, sub quo fibrillæ cerebri medullares & nervosæ flaccidæ & nimis lubricæ evadunt, systaltica & oscillatoria sua virtute privata. Quæ cerebri dispositio quod non modo ad hemiplexiam sed & ad fortem & sanguineam apoplexiam multum conferat, nobis compluribus est compertum exemplis. Observavimus etiam asthmaticos, præsertim quando truculentum hoc malum a polyposi coagulibus intra cordis ventriculos, vel vasa pulmonalia hærentibus fovetur. Observatum quoque frequentius est, non modo grumosas, sed & polyposas massas, sinibus cerebri, præsertim longitudinali, ac venis jugularibus internis inhærentes, lethalem sanguinis in cerebro effusionem produxisse.

*Status cachecticus & polyposæ concretiones.*

## §. XVII.

Dein hic qui a sanguinis effluxu in cerebro oritur attonitus morbus, probe discernendus ab illo, qui fit a seri ibidem secessu, & quem consequitur hemiplexia & paraly-

*Apoplexia sanguinea distinguenda ab ea quæ*

*fit a feri ef-  
fusione in-  
tra cere-  
brum.*

sis totius lateris, ac vita quidem servatur, sed admodum mi-  
sera. Hæc enim fit, quando quidem sanguis nimia copia  
cum impetu congeritur ad caput, non tamen vasa perrumpit,  
sed propter diurnam tantum stagnationem serum  
per poros secedit, ac descendens vel ad cerebri basin, vel  
ad spinalis medullæ alterutrum latus, eidemque incumbens,  
liquidi subtilioris activi tam secretionem, quam influxum  
in nervos, intercipit, eoque partes in latere alterutro sensu  
privat ac motu. Ut prætereamus conspicuam illam diffe-  
rentiam, quæ affectus inter soporosos & hunc quem deli-  
neavimus intercedit, dum illi sensum non simul ac semel ac-  
cedunt, neque sensus & motus abolitionem, sed tantum sub  
somnia obnubilationem junctam habent.

§. XIIX.

*Quæ hæ-  
morrhagia  
cerebri sit  
periculosis-  
sima.*

Quod ceterum Hippocrates de apoplexia *Sect. II.*  
*aph. XXXI.* consignavit prognosticon, id utique veritati  
respondet egregie: *vehementiorem*, scilicet qualis est quæ  
a sanguine effuso, *plane non*, *debiliorem* autem, sive quam  
sanguis stagnans & serum secedens gignunt, *difficulter sol-  
vi*. Nisi enim post venæsectionem & congrua adhibita  
auxilia intra XXIV. horas sequatur levamen & sympto-  
mata remittant, spes salutis decollavit, & ex observatione  
*Aureliani* tertius dies longissimus moriendi terminus. Is-  
que funestus eventus metuendus tanto certius, si senes in-  
vasit plethoricos morbus, ubi jam vires fractæ & cerebrum  
debile; si inebriationem summam, gravemque animi affe-  
ctum iram & terrorem excipit; aut etiam si alii antea  
perpeffo morbo supervenit. Mortem autem instare con-  
cludendum: si stertor magis magisque ingravescit cum res-  
pirationis difficultate; si cor palpitatur vehementius arte-  
riarumque pulsatio admodum magna, dura simulatque in-  
æqualis; si, ubi paulisper ad se redit attonitus, aliena ta-  
men est mens; si convulsivi motus unius lateris ipsiusque  
pecto-

pectoris accedunt, frigidus præsertim in superioribus sudor hæret guttatim, ipsa exspiratio frigida est, & urina, & alvi stercore sponte elabuntur.

*THESES THERAPEUTICÆ CVM  
CAPTELIS.*

§. I.

**Q**Uum adeo præceps & periculosum sit hoc malum, cito utique ac tempestive succurrendum, ubi adhuc salutis spes, ac æger in loco temperato & lucido ita collocandus, ut cervice non nimis declivis ac supinus, neque etiam plane erectus cubet, pedesque inprimis, vel plumis, vel integumentis, a frigore defendendi ac fovendi. Ipsa autem curatio respondeat causis. Inter quas quia præcipua antecedens ipsum effluxum sanguinis redundantis in cerebri vasis congestio eminens, cum imminuta motrice vasorum ibi & membranarum potentia, eo quam maxime medicatio dirigenda: tum ut sanguinis motus & impetus a capite divertatur; tum etiam ut partibus, ibi a robore defectis illud reddatur, ad redigendum iterum in motum, qui subsistit, sanguinem.

*Curatio  
quomodo in-  
stituenda.*

§. II.

Ad exsequendum primum, ab omni ævo ceu efficax æstimatum, & ab ipsa natura comprobatum remedium est in sanguinis missione, mox in principio mali, sine mora instituta. Huic merito primas in medicatione detulit cum *Nymanno Dodoneus observ. medic. cap. II. exercit. pract. p. 385* memorabili exemplo vetulæ LXXII. annorum, per eam ab apoplexia liberata, confirmat. Quin ipsam naturam hanc monstrare viam, ex *Lancisii* observatione patet, qua senem fere septuagenarium apoplexiæ prodromis

*Principem  
locum tenet  
Venæsectio.*

affectum, effusissima narium, ad duodecim libras hæmorrhagia, sanatum esse memorat.

§. III.

In commodis  
locis.

Quo vero pacto sanguis sit subtrahendus? non omnes eodem modo definiunt. Nonnulli, ac inter hos potissimum *Cuthervood*, in libello Anglice edito, arteriotomiam omnibus aliis sanguinem mittendi modis anteponendam esse rationibus & exemplis docet. Cui sententiæ calculum adjecerunt Germani quidam Medici, inter quos etiam *Loevv* ab *Erlsfeld* in *Medic. pract.* Nec improbandum videtur consilium, ac dolendum modo, nostris in oris, ob Chirurgorum ineptitudinem ac remedii novitatem, illud adhibere non esse integrum. Plurimi venæsectionem suadent; sed quo in loco secanda sit vena, iterum in diversum abeunt. Alii venas in brachio, alii in fronte, naribus, nec non sub lingua incidere jubent. *Morgagni* venarum occipitalium incisionem eximie collaudat *Advers. anat. VI. p. 108.* quia hæ venæ intra cranium cum utroque laterali sinu communicant, eaque propter instituta ipsarum sectione, sanguis, quem in sinus convectoræ erant, avertitur, atque hinc reliqui sanguinis, qui per eosdem sinus progreditur, copia minuitur aliquantum, motus autem non sine emolumento augetur. Quia vero harum venarum trunci profundius siti & nonnunquam in plures minoresque ramos divisi repèriuntur, cucurbitulas & crebras atque incisiones anteferendas putat. Quo quidem modo jam *Zacutus Lusitanus Med. Princ. hist. lib. 1. hist. XXXIII.* bis apoplecticos se sanasse refert. Ab exercitatissimis tamen & numero plurimis Medicis *Severino*, *Lanciso*, *Freindio*, a nobis in *Medic. ration. system. tom. III. p. 608.* venarum jugularium incisio laudatur, quia cerebro valde vicina & quam optime spatium libertatemque fluendi facit sanguini cerebro impactò ibique copiosius congesto.

§. IV.

## §. IV.

In sanguinis missione tenenda hæc. Instituatur quam potest fieri cito, priusquam ad atoniam usque dilatata arteriola & a sanguine effuso cerebrum inundatum. Foramen insigatur satis amplum, ut sanguis citiori & liberaliori flumine efferatur, quia lentus effluxus juvat nihil. Adornetur in loco parti affectæ proximo, brachio scilicet vel jugularibus. Quantitas sanguinis emittendi, ex vaporum plenitudine, pulsus viriumque habitudine determinetur, semper tamen sit larga. Si corpus plethoricum, temperamentum sanguineum, morbus a sanguinis evacuatione impedita ortus, iteretur sanguinis subtractio, quin repetatur, quum *Dionis* perhibeat, septies demum incisam venam profuisse. Sed primum celebretur in pede, postea in brachio, seu collo, ne, si secus sit, dato in parte superiore exitu, ex inferioribus & corporis ambitu ad caput major invitetur affluxus.

*Cautela circa sanguinis missionem tenenda.*

## §. V.

Præter venæsectionem, ad divertendum sanguinis a capite affluxum, præstans virtus eorum, quæ alvum irri- tant fortius, non tamen drasticorum illorum cathartico- rum, quæ veneni quippiam recondunt, sed quæ indolis innoxia, nerveas tantum intestinorum tunicas extimulant efficaciter & ad motum sollicitant, qualia sunt salia, gemmæ scilicet, Sedlicense & ammoniacum. Hæc indenda paulo liberaliori dosi clysmatibus, ac præterea addendæ species, quibus status discutiendi & roborandi virtus inest, cujus indolis ruta, salvia, majorana, satireja, thymus, serpillum, flores lavendulæ, liliorum convallium, chamomillæ Romanæ, item semina carvi & anethi, unacum oleis expressis, rutaceo, chamæmalino ac laurino. Et sic confecta enemata non nimia copia, sed crebro, injicienda, ne iterum

*Clysterum in hoc malo usus.*

iterum elabantur, & quidem ministerio syringæ, quo eo altius penetrent ac pervadant.

§. VI.

Externorum  
excitantium.

Quæ vero nervosas robore exutas partes roborant & ad motum exstimulant eoque humoris subsistentis discussionem promovent, exterius partim, partim interiorius admovenda. Exterius præstans virtus volatiliū urinosorum, mixtorum cum cephalicis; inter quæ palmam fert in liquida forma salis ammoniaci cum calce viva paratus spiritus, rutæ & majoranæ, vel lavendulæ oleo imprægnatus; in sicca forma sal volatile salis ammoniaci siccum, iisdem oleis irroratum. Quæ vel naribus ad odorem admota, vel pluma ad interiora narium admissa, vel etiam per calamum scriptorium insufflata, excitant efficaciter. Eundem in finem locis exquisitioris sensus, maximeque pedum plantis, admoveri solent ea, quæ doloris quendam sensum ibi excitant, sicque universum nervosarum partium systema ad contractionem sollicitant. Quo nomine notæ sunt frictions asperiores cum pannis aut excutia institutæ, nec non urticationes; nota quoque vesicatoria ipsaque cauteria actualia, quorum novum & a *Lanciso* approbatum adhibendi modum, evulgavit *Dominicus Mistibelli* in tractatu Italia lingua de apoplexia edito.

§. VII.

Cautissime  
interne dan-  
da sunt spi-  
rituosa.

Interiorius autem si deglutiendi facultas superest, aut reddita, nequiquam danda spirituosæ, aut volatilia; quippe quæ sanguinem, jam tum æstuantem, magis commovent ac rarefaciunt, eaque propter a *Piscarnio* de *circul. sangu.* merito rejiciuntur. Sed propinanda ea, quæ analepticam, excitantem & simul discutientem virtutem possident; inter quæ spectata virtus diaphoreticorum fixorum, cum cinnabari, succino & nitro, quæ in pulveris forma cum aquis congruis, vel melius adhuc in potionem redacta porrigi possunt.

possunt. Nobis quidem frequentioris & probati usus mixtura hæc: recipe aquæ liliorum convallium cum vino, aceti destillati ana uncias duas, spiritus cornu cervi succinati drachmam, antimonii diaphoretici, cinnabaris, lapidum cancrorum ana drachmam semis, sirupi corticum aurantium drachmas duas. M. Cui nonnunquam, ad levem quendam stimulum nerveis stomachi fibrillis cum omnibus reliquis consentientibus inferendum, tantillum tartari emetici adjicere solemus, ne tamen vomitum moveat.

## §. IIX.

Sed quia hæc cerebri hæmorrhagia non tantum oppido periculosa, verum etiam, licet curata fuerit, facile repetit; haud postrema medentis cura eo utique dirigenda, quo ejusdem tam accessum, quam recursum, arceat. Jam recte utique cum *Martiano & Ballonio*, sensit *Casp. Hoffmannus*, lib. III. *instit. med.* apoplecticos, quotquot sint, esse plethoricos. Ideo, ut sanguinis redundantia minuatur, danda est opera quam maxime. Hunc autem in finem nunquam non utilis sanguinis missio, maximeque illa, quæ circa æquinoctiale institui solet tempus, quo solennes fere esse solent sanguinis & humorum commotiones, naturæque conatus ad eliminandum id, quod est in corpore superfluum. Saluti eapropter etiam est, vel ipsius *Hippocratis* testimonio, hæmorrhoidum fluxus, maxime iis, qui eundem antea jam experti. Sed eundem sine damno provocare & promovere, est utique artis. Nos ad obtinendum hoc, præter frictiones in ano & admissos fatus, maxime proficuum censemus hirudinum applicationem. Quibus utiliter adjungitur usus elixirii balsamici, ex aloë correctæ, croco, myrrha & succino, cum menstruo lixivioso aquoso, non spirituoso parati, nec non pilularum balsamicarum circumspecte datarum. Quæ tamen hæmorrhoides

*Ad arce-*  
*dum hoc ma-*  
*lum utilis-*  
*ma V. S. æ-*  
*quinoctia-*  
*lis.*

*Fluxus hæ-*  
*morrhoida-*  
*lis, in dispo-*  
*sitis, promo-*  
*tio.*

movent, minime adhibenda, si nulla ad fluxum adest dispositio, sed tum demum, quando emanere, aut parcius fluere incipit, alias, præfente plethora, plus nocent.

## §. IX.

*Alvus sol-  
venda blandioribus.*

Dein ad vindicandum ab incurfu hujus mali corpus, maximum utique est præsidium in debito alvi secessu. Etenim generalis fere canon est practicus: neminem facile capitis morbos incurrere, cui officium rite facit alvus. Interim tamen alvina hæc excretio neutiquam proritanda, validioribus drastringis, quæ nerveas intestinorum tunicas impetuosiùs aggrediendo, spasmos suscitant in iis, & inæqualem sanguinis circuitum inducunt. Blandioribus potius & naturæ amicis hoc expediendum. Inter quæ commendabilia maxime rhabarbarina cum salinis abstergentibus, nec non pilulæ polychrestæ ac clysteres.

## §. X.

*Cautemercantulum cum  
balsamis &  
aquis apoplecticiis.*

Quæ præterea a quibusdam commendantur aquæ & balsama sic dicta apoplectica, tam interne usurpanda, quam exterius temporibus, naribus ac nuchæ inungenda, ad curationem æque ac præfervationem hujus mali, nostra quidem sententia, in iis, quibus metus hæmorrhagiæ cerebri, plethoricis, sanguineis, virilis ætatis personis, sunt potius perquam nociva. De quo grave est testimonium Dodonæi Stirp. hist. lib. VI. ita habens: *Vbi humorum copia adest, præsertim sanguini permixtorum, non tutus hujus (stillatitii lavendulæ liquoris) usus est, sicuti neque compositionis, quæ ex stillatitio vino, in quo huiusmodi herbe, flores, seminave & aromata macerata sunt, conficitur, quam plerique temere & indifferenter exhibent. Nam calidorum huiusmodi caput implentium usu, & morbus intenditur, & æger in periculum inducitur.* Tutiora longe infusa theiformia cum aqua, ex herbis cephalicis, melissa maxime, betonica, salvia, cum cardamomo minori condita, quæ frequen-



quentius sorbillata, sanguinis motum æqualem servant atque ipsi etiam cerebro nervisque conducunt.

## §. XI.

Nulla vero ab omnibus erit expectanda incolumitas, nisi simul accesserit exactum in vita victuque moderamen. Potissimum autem ad præservationem momentum fert quies cum abstinence, quo *Celsus* magnos morbos curari perhibet. Quare vitanda ciborum repletio immodica eorumque varietas; vitanda vina dulcia potentia, omniaque inebriantia, valida corporis exercitia, maxime post cibum. Neque is qui malum hoc metuit post cœnam statim eat cubitum; neque etiam capite nimis declivi cubet. Si aër ita comparatus, ut genesi hujus mali sit ac commodus, corpus ei non committendum, sed pedes maxime a frigore defendendi, quandoque etiam pediluvio tepido immittendi, & in conclavi temperate calido manendum. Motus subinde instituendus est placidus, animus liber servandus atque tranquillus, somnus nec nimis longus, nec nimis brevis sit. Verbo vitentur omnia, quæ supra in causarum procatarticticarum numerum relata leguntur.

*Sed exacta victus ratio tenenda.*

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

Comes illustrissimus, fere quinquagenarius, sanguine succique plenus, aliquot ante annos affectus fuerat aliquoties paralyfi, levioere tamen, cum loquendi difficultate. Inde petiit vicinas ditioni suæ Carolinas, iisdemque usus est tam interius, quam exterius. Sed quum inconsulto id fecisset Medico, neque sanguinis missione, neque alvi purgatione, corpus prius rite præparasset, accidit, quum

*Balnei calidi Carolinarum usus valde suspectus.*

in balneum nimis adhuc calens descenderet, ut subito sensuum tam internorum, quam externorum usu privaretur omni, sequuta mox respiratio valde citata, cum convulsivo quodam pectus attollente motu, arteriæ pulsarunt valide cum quadam duritie & facies intense rubuit. Secta fuit vena, admotum quoque naribus sternutatorium, quo vehementior pectoris concussio cum summo stertore induceta. Latus sinistrum totum omnis motus ac sensus fuit expers, manus tamen in eo convulsa perpetuo agitata. Mens plane non sibi constitit & intra quinque horas excepit mors. Post quam ingens sanguinis ac feri sanguinolenti copia, per viginti quatuor & longius horas, e naribus manavit.

*Epicrisis.*

Si ullus thermalium aquarum ad balneum usus circumspeditionem poscit ac prudentiam, certe est Carolina-rum. Harum enim ea indoles, ut terreo calcareo, nec non martiali quo pollent principio, corporis superficiem constringant valide & sanguinem ac humores ad interiora agant. Atque hinc est quod œdematosos pedum tumores abigant cito, ac ubi corpus spasms obnoxium est simulque vasa sanguine turgent, graves passionis, cordis palpitationem vehementem, capitis dolorem acutum, cum virium dejectione & artuum debilitate inducere, quin febrem continuam æque ac intermittentem accendere valent. Ea vero propter etiam non mirandum, quod in illustrissima hac persona, sanguine redundante & præsentem jam in capite ad humorum itagnationem dispositione, usu inconsulto, sanguis cum impetu fuerit congestus ad caput, ac tam in ipsius interioribus, quam exterioribus vasa rupta, lethali cum eventu. Id enim luculenter arguit sanguinolentum illud largum post mortem narium profluvium, quod factam in cerebro hæmorrhagiam semper pro-

dit,

dit. Quod autem sternutatorio admoto increvit spiritus cum stertore difficultas, id utique monet medentes, ut in apoplexia sanguinea parcum eorum quæ sternutamenta movent & circumspèctum, sedato prius sanguinis ad caput impetu, habeant usum, ne sanguis majori cum vehementia ad locum cui stimulus impressus ruat mortemque acceleret.

## OBSERVATIO. II.

Femina generosa, quinquagesimum ætatis annum agens, constitutionis sanguineæ & texturæ admodum teneræ ac mollis, copiosum semper experta fuerat sanguinis per menses fluxum. Sed quum is quadragesimo nono anno ob ætatis rationem retineretur, ipsa de anxietate & angustia præcordiorum, inflatione in latere abdominis sinistro, gravitate & flacciditate artuum, vertiginoso capitis ac gravativo dolore, cum somno inquieto & interrupto, graviter cœpit conqueri, licet vultum rubicundum admodum exhiberet. Accedente tandem hieme, adeo exacerbata fuerunt hæc omnia, ut Medici auxilium implorare cogeretur, qui ad discutiendos flatus salia dedit volatilia oleosa, itemque carminativas essentias, ac præterea porrexit purgantem pulverem, ex resinæ jalappæ scrupulo dimidio ac tartari vitriolati granis sex. Quo quum sexies non sine acerbis torminibus fuisset purgata, insequenti nocte insultu correpta est apoplectico, pulsu tamen & respiratione adhuc integra. Secta fuit vena protinus & injectus clyster acris; quibus ad se quidem rediit attonita, sed superfuit aponia magnaue capitis debilitas. Hæc ut tolleret & recidivam arceret morbi artifex, obtulit denuo purgantem cum aqua liliorum convallium pulverem, ex resinæ jalappæ granis XII. & vitriolati tartari granis X. Quo assumpto, elapsa vix hora, rediit apoplexia & miseram brevi tempore tradidit morti.

*Ex purgante  
acriori re  
cidiva le-  
thalis.*

*Epicrisis.*

Inclinant utique in sanguineam apoplexiam sanguineæ feminæ desinente mensium fluxu, eaque propter venæsectione opus habent quam maxime, ne accedentibus aliis causis, in actum erumpat dispositio. Ad quod si quicquam aliud efficax, est certe usus purgantium validiorum ac tormina inducentium. Quæ inter merito numeranda funestis multis effectibus insanata jalappæ resina in pulvere data; quippe quæ deglutita in stomacho facile coit ac plicis nerveæ intestinorum tunicæ adhærescens, spasmos citet ac oppido dolorosas tensiones, quibus utique sanguis urgetur ad superiora, ibidemque effectus edit exitiales. Quo magis patet, graviter peccasse medicantem, qui accedente post oblatum hoc purgans apoplexia leviore, hac remittente, idem obtulit iterum in tanta copia, eoque recidivam induxit graviolem simulatque lethalem. Ac licet haud adeo incongrua videri possit noxios humores ad inferiora deducendi intentio, clementioribus tamen laxantibus, vel etiam clysteribus id fuisset perficiendum, non iis, quæ intestinis spasmos, ex torminibus cognoscendos, inducunt, eoque sanguinem ad caput urgendo, ut ibi perumpat & lethum inferat, faciunt.

## OBSERVATIO III.

*Apoplexia  
levior, in  
graviolem  
& lethalem  
mutata.*

Theologus celeberrimi nominis, quinquagesimum nondum ingressus annum, floridæ & sanguineæ constitutionis ac vividi ingenii, sanus semper ac vegetus; ob peculiâres quosdam ejus famæ ac existimationis infestos casus, in impensam animi perturbationem cum anxio dolore & mœrore conjectus, & valde inquietus sub parco etiam fœmine, ad levandum animum & supprimendam melancholiam, poculis vini, quæ alias etiam amabat, paulo largius se subinde invitabat. Procedente inde tempore

re ciborum amittebat appetentiam, & vacillante digestionē perpetuis fere vexabatur ructibus sine ullo ex alvo constipata prodeunte flatu; labascere incipiebant vires, ingenti quoque præcordiorum dolore & angustia premebatur, mœstus simul mentem fatigantibus cogitationibus, repentine & inopinato cum omnium sensuum amissione cecidit in terram, pulsū tamen & respiratione manente salva; collectis vero intra bihorium, post remedia idonea data, paululum viribus, ad se rediit, sed inde de genuum imbecillitate, de torpore & languore dextri lateris, nec non de debilitate memoriæ anxias instituebat querelas. Proprio suasu petiit Carolinas, non modo ut affectum depulsaret hypochondriacum sed itinere & conversatione mœstas abundas animo excuteret afflictiones. Quum ego jam præsens essem, enixe meum etiam quæsivisti consilium, suavi sed moderatius biberet temperatorem illum fontem vulgo Mühsen-Brunnen, quo per viginti dies insigni cum euphoria utebatur. In reditu vero quum celebrem pertransiret urbem, invitatus ab amicis, lautisque conviviis exceptus nimium indulgit genio & vini potui. Sub nocturno frigido cœlo in patriam reversus, de spirandi angustia & anxietatibus conquestus sum sit diaphoreticos quosdam pulveres, a quorum usu purpura rubra in universo fere corpore comparere coepit, conquerenti simul de immani capitis dolore suavit Medicus in consilium vocatus venæsectionem in pede. Explorans meum de hoc remedio sententiam, prorsus eam dissuasi ob metum recursus purpuræ ad interiora. Medico nihilominus magnum periculum ex neglectu venæsectionis prædicente, admisit eam, quæ in pede satis largiter celebrabatur. Non ita multo post præcordialis anxietas majora sumit incrementa sub extremorum refrigeratione, & purpura disparente improvise vehemens insultus sequebatur apoplecticus cum omnium sensuum amissione, cum stertore, pulsū valido & inæquali, facie existente tumida & rubicunda. Quo gravi affectu intra octo horas

horas Vir magnæ doctrinæ & ingenii in meliorem vitam transferebatur.

*Epicripsis.*

Plura in hac història sunt memoratu digna quæ in usum pathologico therapeuticum animadverti possunt; ac primum, quod in homine sanguinei temperamentis, quando mœrori diuturno & gravi adjungitur prava diætæ ratio, inque primis immoderatio vini usus, systema nervorum ita infirmari possit, ut pathemata formaliter hypochondriaca progignantur, quæ non facile alias in ejusmodi temperamentum incidunt. Notandum quoque est, quod ob diuturnas mentis fatigationes & labores cum mœrore diutius infestante conjunctos, tam imbecille reddi possit cerebrum nervorumque systema, ut ad insultus apoplecticos evadat dispositum. Insuper nostro in ægro primus insultus fuit levissimus, a solo impetuosiori sanguine ex imo ventre ad caput per spasmos obortus, qui venæsectione, stagnantem in vasis cerebri sanguinem resolvente & divertente, brevi potuisset submoveri. Quia vero nullus affectus facilius recurrit, quam apoplecticus, præsertim si non accurata & exquisita vivendi ratione, idoneisque remediis avertatur; factum hinc est, ut post usum Carolinarum, quæ magnum quidem hypochondriacorum præsidium sunt, minus vero morbis capitis favent, non observata accuratiori diætâ, gravior dein insultus subsecutus fuerit & quidem in nostro ægro lethalis, dubio procul, quod a larga venæsectione purpuracea materia ad interiora violentia majori conversâ, spasmos suscitavit, quibus sanguis impetuosius adactus ad caput, tandem intus vasa diruperit. Cæterum de apoplexiæ aliis causis, speciebus, & observationibus huc pertinentibus, in Parte III. *de morbis ex atonia ortis*, fusius, volente DEO, agemus.

SECTIO II.  
DE  
**DOLORIBVS ET SPASMIS**  
VARII GENERIS INTERNIS ET EXTERNIS  
NEC NON  
ARTHRITICIS ET RHEV-  
MATICIS.

DOI ORIBVS ET SPASMIS

VARII GENERIS INTERNIS ET EXTERNIS

ARTHITICIS ET RHEV-  
MATICIS



CAPVT I.  
DE  
DOLORE CEPHALICO.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

**D**olor cephalicus est valde molesta in membranis capitis nervosis a variis causis distractis fuscitata sensatio, quæ pro differenti gradu & loco varia & gravia sæpius post se trahit symptomata. *Definitio.*

§. II.

Dolor diversa in capite occupat loca, cujus rei *Sedes dolorum.* nulla alia subest ratio, quam quod diversis intra & extra cranium nervosis membranis illud instructum sit. Extra cranium occurrit tenuis sed satis valida & exquisitæ sensationis membrana, quæ immediate id cingit, & a carotide externa plures accipit in anteriori, media & posteriori parte arteriolas; ramulos vero nervorum e vertebra colli & pari septimo cerebri. Cohæret autem pericranium cum musculis cranio vicinis ac per futuras cum duræ matris exteriori lamina: in qua membrana frequentiore *in pericranio.* certe doloris cephalici sedem reponimus; quod inter alia, idonea ad leniendum gravem dolorem externe applicata remedia, sub forma emplastri vel epithematis, item ex fonte chirurgico, scarificationes, setacea, cauteria inusta

*in cute.* & vesicatoria, clare satis atque perspicue demonstrant. Neque tamen excludere hic volumus ipsam quæ caput tegit cutem, præsertim interiorem ejus partem vicinam pericranio, a qua etiam separari potest, & quam plura sanguifera percurrunt vasa, tunc præcipue doloris sedem constituentem, ubi is magis solet esse obtusus, gravativus & pressorius, cum in pericranio magis sit acutus.

## §. III.

*in dura matre.*

Neque immunis a doloribus est interior, quæ cerebrum cingit membrana, sic dicta dura mater, quæ ex fibris valde tendinosi & nervosi contexta atque ex duplici lamina conflata est, & a quinto & septimo nervorum pari ramos accipit; arterioli vero tribus donata: prima oritur a carotide interna, quæ ad anteriorem duræ matris partem abit, secunda, a carotide externa, quæ per foramen proprium intrat cranium & ad mediam partem vergit, tertia, a vertebralis internæ ramo externo, quæ per foramen jugularis internæ ingreditur cranium & ad posteriorem duræ matris partem spectat. Rarior quidem ibi dolorum sedes, sed multo periculiosior: nam si sanguis in ejus vasis diu stagnat, vel copia aut acrimonia eorum vim motricem valde lædit, quam facile graviorem morbum capit; atque in acutis phrenitidem vel convulsionem, præsertim si dolor sit pulsatorius; in chronicis morbis paralyfin, hemiplexiam, nec non affectus soporosos post se trahit.

## §. IV.

*Reliquæ membranae sedem non constituunt.*

Reliquæ tenues illæ membranæ quæ cerebrum immediate involvunt, utpote pia mater atque arachnoides, quæ posterior tamen potius externa piæ matris membrana videtur, cellulosum interstitium efformans per quod vasa repunt, nostra quidem sententia minime molestæ sensationis sedem constituere videntur, eo quod careant fibris sensibilibus nervosis elasticis, atque etiam nervulorum ramulis ibi non conspiciendis. Denique membrana valde exilis

*ratio.*

*Sed tamen*

exilis & tenuis quæ ex tunica pituitaria nascitur & sinus *membrana pituitaria.* offis frontis investit, non raro præbet acutissimi doloris domicilium.

## §. V.

Ingens doloris in capite, ratione loci quem occupat, item ratione vehementiæ ac diurnitatis discrimen est, quo inde etiam diversa ab auctoribus ipsi imposita sunt nomina. Nam si levior est, & modo partem capitis afficit, dicitur cephalgia; si diurnior & gravior, ac totum caput occupat, cephalææ nomen accipit, quam GALENVS ita optime describit: *pr. 3. tr. 2. cap. 35. cephalæa est dolor totius capitis diurnus ægreque solubilis, qui a parva occasione vehementes habet exacerbationes, adeo, ut neque strepitum, neque vocem violentam, neque luminis splendorem, neque motum tolerare possit patiens, sed tranquillitatem & obscurum cubiculum quærat, idque ob doloris vehementiam; quippe alii se malleo percuti arbitrantur, alii caput contundi distendique sentiunt, ac paucis ad oculorum radices dolor extenditur: quo in dolore totam capitis membranam vehementer affectam esse non dubitamus.*

## §. VI.

Sæpius fit, ut unum tantum latus dolor obfideat, altero salvo & sine dolore; tunc græce hemicrania vocatur. Interdum etiam in certo tantum verticis loco circumscripto fixus hæret, ita ut vix magnitudine grossum vel imperialem æquet, mulieribus & quidem hysteriis familiaris; qui clavi nomine insignitur. Quandoque dolor frontem & loca supercilia acutissimus obfidet: alius solum synciput, alius occiput, alius verticem prope futuram, alius tempora magis occupat. Neque una eademque solet esse sensatio: nam alius acutus, pungitivus, lancinans dolor est, alius contusivus, gravativus & pressorius, alius rursus constrictorius, quidam æstuosus & inflammans, alius frigidus est, qualis in mulieribus potissimum verticem

ferire solet, ut quasi se glaciem gelidam in ipso gestare conquerantur.

§. VII.

*Causa generalis.*

In genere omnis doloris cephalici causam, a liberiori & æquabili sanguinis per vasa sanguifera, quibus cutis capitis, pericranium, ipsaque dura mater instructa sunt, progressivo & circulari motu impedito, tanquam a fonte derivamus. Nullus certe Medicorum exactius, & secundum leges mechanicas, genesis doloris hujus demonstravit, ipso HIPPOCRATE, qui *lib. de status* §. 13. ita rem perbelle exprimit: *sanguinis, inquit, transiens in capite magna angustia coarctatur, cujus abundantia ac conclusio dolorem excitat. Sanguis enim ipsa natura calidus existens, vi coactus, per angustam viam transire celerrime non potest, cum multa impedimento sint obstacula & oppilationes; quapropter etiam pulsus circa tempora.* Qui sane locus, Hippocrati non penitus incognitum fuisse sanguinis progressivum motum ex arteriis in venas, satis abunde declarat: obstacula enim quæ liberio rem transitum denegant vocat oppilationes, quæ in vasis revehenti bus, quia carent impulsu, unde tardior & lentior motus, consistunt. Id quod etiam dissectiones ex gravi cephalæa mortuorum confirmare videntur: nam teste BONE TO, WEPFERO, PECHLINO aliisque, sinus cerebri, jugulares etiam internæ & externæ venæ, sanguine mucoso crasso, imo pseudopolypis subinde infarctæ fuerunt repertæ: quod etiam nos in malo epileptico demortuis aliquoties observavimus. Si enim major sanguinis copia ad caput fertur, quam ipsæ venæ eadem celeritate reducere possunt, vasa arteriosa, & inter hæc maxime minima & capillaria, a congesto sanguine valde distenduntur & ipsæ membranæ insigniter tenduntur; qua ratione tristis illa sensatio excitatur.

§. VIII.

## §. VIII.

Notandum vero hoc loco est, quod pro conditione, intemperie vel vitio sanguinis, si vel nimia copia peccat, vel nimis spissus & glutinosus, vel sero valde acri refertus est, alia etiam atque alia inde doloris species enascatur. Nam quando is impetuose & nimia copia in membranas irruiat, quod præcipue de plethoricis & ubi consuetudine per nares fluxio supprimitur, nec non de adolescentibus valet, dolor totum caput occupare solet; quod tunc calet, tumet, dolet, rubet, vasa turgescunt, fortiter pulsant, præsertim circa iugulum & tempora, nares aridæ & siccæ sunt, fauces ardor & litis occupat. Talem dolorem veteres a causa calida suscitari dixerunt.

*Pro conditione sanguinis variæ doloris species enascuntur.*

## §. IX.

Vbi sanguis in vasis capitis collectus multo scæteret & mucido sero, vel ex obstructa aut suppressa, quod sæpius accidit, coryza aut gravedine, dolor in capite oboritur, tunc magis gravativus, obtusus, pressorius, maxime in antica parte atque in fronte esse solet, quandoque etiam caput instar ponderis grave est, ut vix in altum possit elevari. Non raro evenit, ut in ipsius capitis cute, in vertice præsertim, tumores quibus digiti imprimi possunt exsurgant, pulsu interea languido, facieque livida existente. Quod inde a longo jam tempore CELSVS notavit, *lib. IV. cap. 2.* ita differens: *præter hæc invenitur genus doloris, quod potest longum esse, ubi humor cutim inflat, eaque intumescit & prementi digito cedit.* Veteres hujusmodi dolorem a causa frigida deduxerunt.

*Quando dolor gravativus, obtusus & pressorius?*

## §. X.

Deterior doloris & magis pernicis species est, qui accidit lue Venerea valde affectis, cum materia serosa, acris, caustica firmius pericranio insidet & interdum ipsum cranium cariosum reddens difficillime remedijs cedit atque sanescit. Ejusdem generis esse solet is dolor,

*Qualis a lue Venerea?*

*a materia  
salina?*

dolor, qui a materia salino-causticæ indolis ad habitum corporis propulsa & postea retrocedente nascitur; uti id in arthritide, podagra, scabie, erysipelate capitis, gutta rosacea laborantibus, sæpius in praxi observavimus. In variolis & morbillis, antequam peccans materia naturæ robore ad extimam cutem propellitur, vel, quod pejus, si repellitur, atrox sæpe cum febre aut delirio, vel in infantibus cum epilepsia, dolor caput torquet; quo casu, ubi materia exigua caustica dolorem efficit, præternaturalis & vehemens membranarum potius strictura, quam earundem distensio, quæ a copia feri & sanguinis magis fit, locum habet.

*Symptoma-  
ta doloris a-  
cutissimi.*

§. XI.  
Sæpius in capite dolor est acutissimus, fere intolera-  
bilis, fixus & diutius affligens, qualis totius corporis &  
animi vires pessundat, somnum tollit, concoctionem impe-  
dit, nauseam & ciborum fastidium parit, & alios sæpe gra-  
vissimos capitis & nervorum morbos, ut sunt: vertigo, o-  
culorum caligo & suffusio, cœcitas, aurium tinnitus, con-  
vulsio, epilepsia, post se trahit, atque etiam reliquas ner-  
vosas corporis partes in consensum trahendo, vomitum,  
alvi stricturam, extremorum refrigerationem, faciemque  
moribundo similem efficit. Id quod a veteribus quoque a-  
nimadversum videmus. CELSVS enim *lib. IV. cap. 2.*  
scribit: *cephalæ notæ sunt: horror validus, nervorum re-  
solutio, oculorum caligo, mentis alienatio, vomitus, vocis  
suppressio, corporis refrigeratio, animæ defectio.*

*A quibus  
causis pro-  
ducatur?*

§. XII.  
Ad genesin doloris cephalici quod attinet, confi-  
deratione etiam digna est nativa vel a parentibus tracta  
nervosarum capitis partium imbecillitas; pars enim quo  
debilior, id est vi tonica & elastica sua naturali valde pri-  
vata, eo facilius & promptius humorem alienum admittit,  
recipit ac retinet, atque inde stagnatio, partiumque ner-  
vosa-

vofarum afflictio contingit. Novimus sæpius cephalalgiam hæreditariam, a parentibus debili capitis constitutione præditis acceptam; vidimus etiam a diuturno animi mœrore, a præpoftera Venere, a nimis lucubrationibus & mentis fatigationibus, item a nimis crebra sanguinis miffione, vel effrenibus hæmorrhagiis caput ita debilitatum fuiffe, ut graves inde dolores, nec non alii, qui vehementer caput infefant morbi, exorti fuerint.

## §. XIII.

Neque ex classe caufarum, quæ vocantur remotæ, excludi debet frigus, quod uti omnibus nervosis partibus, fi jam dolore premuntur, infefum eft, & liberam tranfpirationem per cutim impedit: ita maxime nocet, fi capiti denudato admittitur, vel fi id non fatis contra nocturnum frigus fuerit munitum, vel etiam, fi a longo fermone vel motu corporis nimio, aut a fole, aut ab ira, vel ab ingeftis largius potibus fpirituofis & inebriantibus incalcfcens pluviofo coelo, nocturno præfertim, repente exponitur.

*Caufa remota quoque frigus.*

## §. XIV.

Memorandum id quoque eft, cephalalgiam sæpius tantummodo effe fymptoma, quod morbo demum accedit. Ita frequentius febribus continuis, intermittentibus quoque, & inter has maxime quartanæ jungitur: atque vix quicquam in praxi crebrius occurrit, quam quod menfibus inordinate procedentibus vel imminetibus, caput doleat graviffime; fpafmicæ videlicet dum ex imo ventre ftricturæ, in caput fuum effectum exerunt. Digestionis vitio & affectu fic dicto hypochondriaco laborantibus frequenter affociatur: nam fi prima regio vitioforum humorum colluvie fcætet, & inde oboriuntur fpafmi ac flatus, humores ad caput plus jufto urgent, nimia eorum congregio, vaforum diftentiones, a quibus tunicarum nervofarum læfio fit, parit. Conftat etiam hemicranix caufam,

*Cephalalgia fymptomatica.*

*it. hemicrania.*

a stomachi vitio frequentius oriri, dum hoc non bene coquente, multæ generantur cruditates, quæ cum succo ciborum chyloso permixtæ, per thoracicum ductum ad cor adductæ, ac protinus ad caput delatæ, antequam per congrua corporis emunctoria expurgatæ fuerint, dolores periodicos efficiunt; qui absoluta digestionem ut plurimum invadunt.

## §. XV.

*Puerilis ætas, quare cephalalgia obnoxia?*

Observamus porro ætatem puerilem valde doloribus esse obnoxiam, tum quod in hac ætate minus exacta servatur diætæ & ventriculus cibis dulcibus, fructibus horæis, placentis ac lacticiis oneratur; tum quod etiam vermes, quibus gignendis pueri peropportuni sunt, causam hujus mali præbent, dum putres & corrupti humores ad caput cum chylo delati, membranæ motricibus elasticis tonum & robur naturale auferunt. Sciendum quoque est, non semper & continenter dolorem hunc cruciare, sed dilucida sua ac definita interdum habere intervalla, ut magno ægrorum solatio subinde remittat, & ad notabile etiam tempus ægros deferat, qui certis tamen postea horis, diebus, imo mensibus & annis revertitur: certo tunc indicio, causam magis in remotis partibus, maxime omnium in ventriculo ac visceribus imi ventris hæere; quorum vitio sanguinis liber progressus per universum corpus, maxime per caput, ubi impeditur, dolor excitatur: quod imprimis in viris, qui fluxui hæmorrhoidali sunt vel fuerunt obnoxii, vel malo hypochondriaco affecti, observavimus.

*Interdum remittit dolor.*

## §. XVI.

*Prognosis.*

Neque semper sine periculo cephalalgia est: nam si causa doloris magis intra cranium inque membranæ cerebri consistit, sique dolor vehemens & assiduus cum febre excruciat & somnum pene omnem adimit, phrenitidem non raro prænunciat; si vero subito in hypochondriacis vel in melancholiam pronis, præsertim graviore animi



nimi affectu præcedente oritur, & somnum atque appetentiam aufert, ac cum auditus difficultate vasorumque interna pulsatione jungitur, hæc vero cuncta sine febre fiunt, furorem præfagit. Ubi vero subitum & peracutum in capite dolorem aurium tinnitus, difficilis incessus, genuum imbecillitas, & impeditus tardusque sermo sequitur, signum est futuri morbi attoniti vel etiam hemiplexiæ; qui tamen magis in opposito latere quam in affecto excruciat, dum hoc percipiendo dolori non amplius par est. Neque prætermittendum esse censeo, quod in adolescentibus & junioribus, frequentiores cephalalgia, futura arthritidis vel podagræ indicium præbeant.

## INDICATIONES CURATORIÆ.

## §. I.

Quod attinet ad curationem hujus mali, cum variae *Indicationes quatuor.* ejus sint causæ, probe eæ debent discerni, quia eisdem removendis, omnis medendi ratio superstructa esse debet. In genere tamen omnes scopi hunc morbum curandi, frequentibus absolvuntur indicationibus. Primo sanguis & humores impetuose ad caput congesti si fuerint, partim ad loca ignobiliora derivandi, partim idoneis remediis discutendi sunt. Secundo stricturne membranarum capitis spasticæ, quarum causa plerumque est acris caustica materia, relaxandæ sunt, ut liberius fluida, quorum cursus per has impeditus fuit, nunc progredi possint. Tertio causa materialis vitiosa, peccans intemperie, temperanda & per convenientia emunctoria placide subducenda. Tandem ad avertendas recidivas, capiti & toti nervorum systemati idoneis remediis præsertim accurato diætæ & vitæ regimine robor conciliandum.

## §. II.

Si causa doloris est nimius ex inferioribus locis ad *Quando V. Si conseruat.* caput per spasmos appulsus & irruens sanguis, non facile præ-

præsentius auxilium quam in ejus missione positum erit, quæ in locis non procul a parte affecta, melioris derivationis causa instituenda est, videlicet sub lingua aut in fronte, vel venæ iugularis externæ incisione, aut hirudinum pone aures applicatione: hac tamen adhibita observatione, ut si corpus nimis turgeat sanguine, primo vena circa pedum talos pertundatur, postea sequente vel secundo die vena circa caput aperiri potest. Consultum quoque judicamus, ante sanguinis detractionem, alvum sordibus deplere, quod commode & insigni cum levamine clysteribus fieri potest domesticis, vel etiam per infusum mannatum & rhabarbarinum, adjecto sale quodam aperitivo, ut cremore tartari, vel sale Sedlizeni.

## §. III.

*Quibus or-  
gasmus se-  
dandus.*

Ad compescendum vero nimium sanguinis abundantis & ebullientis orgasmum, mixturam blandi diaphoreticæ & temperantem, ex aqua florum tilia, liliorum convallium, sambuci, cerasorum nigrorum, antimonio diaphoretico, nitro purificato, cornu cervi usto, cinnabari & syrupo papaveris albi compositam, dare expedit. Externe vero epithema discutiens & temperans fronti & capiti cum linteo duplicato est applicandum, cujus formula hæc esse potest: Recipe aceti rosacei, rutacei ana unciam & dimidiam, spiritus rosarum drachmas duas in quo camphoræ grana sex soluta, nitri purificati scrupulos duos, olei ligni Rhodii guttas quindecim: vel sequens emulsio cum fructu usurpari poterit. Recipe nucleorum Persicorum, amygdalarum amararum ana unciam dimidiam, feminis papaveris albi drachmas duas, aquæ rosarum, florum sambuci, cerasorum nigrorum ana uncias duas. Fiat emulsio: adde nitri drachmam dimidiam, camphoræ in oleo amygdalarum dulcium solutæ grana quinque M. D.

## §. IV.

## §. IV.

Alia vero medendi ratione opus est, si a feri visceri & vitiosi intra vel extra cranii membranarum vasa stagnantis copia, dolor cum torpore & gravitate sæpe valde diuturnus innascitur, ubi nec sanguinis missiones, nec leniora laxantia quicquam efficaciter præstare possunt, sed tum dare convenit paulo valentiora, quæ crassos glutinosos humores dissolvendi & simul per alvum expellendi facultate pollent. Id quod utrumque egregie præstant, quæ sequuntur pilulæ: *Recipe gummi ammoniaci depurati, sagapeni, myrrhæ electæ, aloës rosatæ, extracti hellebori nigri, resinæ jalappæ, mercurii dulcis, cinnabaris præparatæ ana drachmam dimidiam, extracti croci, pulveris castorei, salis succini ana grana XV. M. F. Pil. ex scrupulo numero XII. quorum sex vesperi, & sex postero die mane sumi possunt; quo tempore etiam ab omni cibo abstinendum & tenuia tantum iuscula ægro præbenda sunt: tribus vero diebus exactis, idem repeti potest remedium. Vacuata sic sufficienter vitiosi feri copia, medicina utendum est tonica roborante & simul diuretica; quo sine ego multoties mixturam, quæ ex tincturæ antimonii acris partibus quatuor, essentiæ succini & spiritus bezoardici Bussii, vel tartari & liquoris nostri anodynii mineralis, singulorum partibus duabus erat composita, summo cum fructu expertus sum; cujus usus, dosim bis vel ter de die sumendo, per septimanam & ultra continuari potest. Nam quæ fibras torpidas roborando earum vim motricem elasticam excitant, simulque urinæ fluxum promovent, ea in hac cephalalgia specie, quæ ab extravasato sero intra cutim & cranium, vel etiam in ipso cerebro oritur, valde proficua observavimus. Præter hæc autem cum CELSO, laborem & exercitationem usque ad sudorem, vehementem fricationem, & cibos ac potiones quæ urinam movent, in tali doloris genere commendamus.*

*Quid faciendum si a sero viscido dolor oritur.*

## §. V.

*Adhibenda  
externa  
prioribus in  
cassum ad-  
hibitis.*

Si his in usum vocatis dolor non discutitur, con-  
fugiendum etiam ad externa, inter quæ vesicatoria virtutis  
sunt expertissimæ, quia pernicioso stagnanti humori exitum  
concedunt. Nos in usu habemus emplastrum meli-  
loti, cujus uncia cum drachma cantharidum misceatur, ad-  
jectis granis aliquot camphoræ. Hoc magnitudine tha-  
leri nuchæ applicari, & postea renovando illud, per lon-  
gum tempus continuari potest; quod sine ullo incommo-  
do insignem serosi humoris copiam fundit. In malo gra-  
viori autem & ubi a sero sub cute capitis stagnante, tu-  
mor visu, nec non ex dolore tactu cognoscitur, B. WEP-  
FERVS toti raso capiti emplastrum vesicatorium, instar cu-  
cuphæ imposuit, cujus effectus hic fuit, ut sine abortis ve-  
sicis magnam seri visceri subtraxerit copiam: quod reme-  
dii genus jam tum ab ipso RIVERIO, vide *ejus observat.*  
in pertinaci capitis dolore, summo cum fructu usurpatum  
fuisse animadvertimus.

## §. VI.

*In dolore fi-  
xo quid con-  
ferat.*

Interdum fit, ut præter consuetudinem intensus do-  
lor, certum duntaxat locum occupet, a materia fixius &  
paulo profundius membranis inhærente, oriundus; quo  
casu Medicus Gallus cum prudentia doctus & in observa-  
tione curiosus CHENEAV, vide *ejus observationes*, mi-  
raculosum plane herbæ ranunculi pratensis impositæ vesi-  
cantem effectum, non satis prædicare potest: de cujus  
herbæ specie scribit, quod foliis anemonæ assimuletur, &  
masticata linguam mordeat quam maxime; hujus folia in  
mortario marmoreo contusa, & simul emplastro perfora-  
to apposito, parti applicare jubet. Videtur hæc herba  
autem haud dissimilem cum moxa possidere effectum, quæ  
etiam in ejusmodi dolore a Medicorum peritissimis magno-  
pere æstimatur. Ego rebus sic stantibus, felici aliquoties  
cum successu, rasæ prius quam occupavit dolor parti, sic-  
cum

cum sal volatile falis ammoniaci, cum æquali parte pulveris sinapi mixtum imponi iussi, eo quod paulo fortio- rem discuffionem, tam profunde inhærens vitiofus humor requirat.

## §. VII.

Vbi vero dolor a suppressa coryza, sive a muco, intra narium concamerationes & sinus, detento oritur, expedit crebro, sal quod vocatur Anglicanum, & nihil aliud est, quam sal volatile siccum falis ammoniaci, cum oleo cephalico, ut lavendulæ vel majoranæ exaltatum, naribus adinovere, vel etiam errhinum pulverem leniter sternutationem moventem, qui ex herba majoranæ, betonicæ, maro vero, floribus benzoës & pulvere caryophyllorum concinnatur, ad interiora narium admittere.

*Quid in gravativo.*

## §. VIII.

Quod si vero causa chronici & immanis doloris, in valde corrupti feri & sanguinis massa, ut fit in lue Gallica & scorbutica, fundamentum suum habet, tunc utique necessarium est, congruis & specificis remediis hisce morbis sanandis accommodatis causam morbi aggredi; quo faciunt quam maxime lignorum decocta cum antimonio crudo, si prius humores corrupti per alvum probe, per ejusmodi quas jam supra dedimus pilulas, exclusi fuerint. Multum etiam tunc ex diateticis confert abstinentia sive inedia per unum vel alterum diem, nec non labor & exercitatio corporis ad sudorem usque. Vitale quoque est, in pertinaci tali morbo, ab impuro qui nascitur sero, per medicinam, sudorem provocare: cui scopo egregie sequens pulvis satisfacit. Recipe cinnabaris nativæ præparatæ, cerussæ antimonii sive bezoardici mineralis, falis volatilissimarum vel cornu cervi, nitri purificati, singulorum grana X. camphoræ granum dimidium, pro dosi, desuper bibendo decoctum sanguinem purificans.

*Quomodo tractandus qui fit a sero & sanguine corrupto.*

## §. IX.

## §. IX.

*Quid in hemi-  
crania  
proficiat.*

Hemicrania & præsertim periodica, causam latentem ut plurimum prima in regione habet, quando ventriculus cum annexo duodeno, vitiosa humorum colluvie refertus est, quam lenioribus tunc emeticis evacuare proficit: alvum quoque ducere & per inferiora fordes expurgare, noxiumque humorem a capite derivare, interdum valde est necessarium; id quod optime, per pilulas polychrestas balsamicas, fieri potest. Postea elixiria stomachica, tonum ventriculi & intestinorum roborantia, sunt subjungenda. Si vero ab inordinato mensium vel hæmorrhoidum fluxu, causa doloris nascitur, remediis quæ salutares excretiones in justum & convenientem ordinem redigunt, prudenter est utendum.

CAUTELÆ ET OBSERVATIONES  
CLINICÆ.

## §. I.

*Quomodo &  
quando do-  
lor lenien-  
dur.*

Absoluta sic doloris cephalici cura, quasdam necessarias adhuc cautelas & observationes ad eam spectantes subicere haud erit inutile. Quodocunque dirus & acutus dolor, præsertim qui consistit in syncipite & sinibus frontalibus, tanta vi pollet, ut vires mirum in modum frangendo, vitæ discrimen minetur, ablatio causæ morbi minime erit prius expectanda, sed agro potius primo omnium levamen quoddam afferendum est; eo quod viribus amissis, Medicus frustra semper laboret. Quin imo ipsa doloris acerbitas sæpe tanta est, ut graviora symptomata, vigiliam assiduam, animi deliquia, febrem, inflammationem mentisque alienationem accersere possit. Erunt ergo tum remedia interna, tum externa, ad dolorem levandum primario dirigenda. Ego vero ex internis, primas utique partes massæ pilularum Wildegansii, quando cum cinnabari nativa miscetur, nec non pilulis Starckii de-  
ferre

ferre soleo. Prius vero semper ante usum anodynorum enemate venter subducendus est. Inter externa nec tutius, nec virtute præstantius invenimus remedium, quam linimentum spissius ex sequentibus ingredientibus, sub tali forma paratum. Sumitur nempe olei nucis moschatae expressi uncia dimidia, resinæ styracis, resinæ corticis thymiamatis æquali pondere drachma, extracti croci, balsami Peruviani, utriusque drachma dimidia, olei ligni Rhodii guttæ XII. M. linimentum fiat spissius, quod corio inductum, magnitudine imperialis, temporibus applicetur. Sedato doloris impetu per interne & externe adhibita anodyna, lene catharticum propinare juvat: postea ad alia, causam morbi penitus pro ejus conditione & natura per congrua remedia removendi, Medicus confugere debet. Quando dolor acutissimus vixque tolerabilis, cavernis narium, sinusque osseis capitis diutius infixus hæret, qui ab exigua sanguinis vel humoris extravasati quantitate, sub membrana hos sinus tegente, producitur, sedare non modo, per jam dicta remedia, doloris atrociam convenit, sed & laborandum est, ut sanguinis appulsus, sub quo dolor augetur, minuatur; quod commodissime more Ægyptiacorum Medicorum scarificatione facta in naribus, fieri potest, vel compendiosiori modo, si straminis paulo durioris portio valide & subito naribus intrudatur, ut sanguinis inde sequatur profluvium.

## §. II.

Si vero sub membrana pericranii extravasatus, mordax & acris humor inclusus, os incipit cariosum reddere, tum omnibus aliis in casum applicatis ad incisionem accedendum est, quæ uti in paronychia ex simili fere causa orta, ita hic mirabile ferme adfert auxilium. Si vero jam caries ad diploën ipsamque lamellam inferiorem cranii penetraverit, unicum auxilium in trepanatione provide erit reponendum.

(Hoffm. Syst. T. IV, P. II.)

Cc

§. III.

*Si dolor ab humore extravasato, vel in sinus frontis hæret*

*vel sub membrana pericranii.*

## §. III.

*Cura enemate incipienda.*

Porro in genere sciendum est, in omni, a quacunque etiam causa proficiscatur, dolore cephalico, initium curationis ab injectione enematis, item a venæsectione, si plethora id exigit, faciendum esse, ita tamen ut alui apertio huic præcedat. Postea de aliorum congruorum remedium tam interiorum quam exteriorum usu erit decernendum. Sæpius plethora soluta, ad meliorem derivationem causæ peccantis a parte affecta, frontis venam aperire expedit. Et tunc Clarissimi HEVRNII monitum, quod *notis in aph. 68. HIPPOCRATIS, Sect. V.* insinuat, dignum utique observatione est. Suadet nempe, *ante sectionem, ut vinculum collo injiciatur, quo intumescat hæc vena, que oblique erit secanda, cavendo diligenter ne ledatur tunica pericranii.*

## §. IV.

*Arteriotomia.*

Arteriotomiam in temporibus celebrandam, præsentaneam & pene mirandam, ceteris omnibus inaniter adhibitis, sæpius opem ferre & lenimen, probatissimorum Medicorum fide constat. Neque ego, quanquam nunquam hoc remedio usus sum, detrahere illi quicquam volo. Ita vero de hoc existimo, quod si sanguis ex ramo venæ jugularis externo aperto extrahatur, longe melius retardatum circularem sanguinis motum in capite restitui, humoremque subsistentem vel extravasatum, a quo pendet dolor, feliciter dimoveri & excludi posse; dum videlicet sanguis arteriosus, majori ut antea celeritate in spatium venæ ab extractione sanguinis evacuatum fertur. Si vero, ex consilio & deliberatione Medicorum, temporalis vena pertundi debet, tunc optime hæc operatio juxta aurem prope articulationem mandibulæ, ubi periculo vacat, celebranda erit.

## §. V.



## §. V.

In omni dolore, ubi vires non ferunt sanguinis de- *Pediluvia.*  
 tractionem, neque ejus satis est, pediluvia, quæ nunquam  
 non in hoc affectu utilia, modo sint temperatiora, ad di-  
 vertendum sanguinis & humorum motum ad partes infer-  
 nas, cum fructu adhiberi possunt; neque pedum frictio-  
 nes paulo asperiores cum pannis sunt improbandæ; nec ru-  
 beficientia, ut taleoli raphani rusticani cum sale mixti pe-  
 dibus imponendi, usu suo destituuntur.

## §. VI.

Circa epithemata actu frigida tenendum hoc est, *Cautela cir-*  
 quod cum summa circumspectione applicanda sint. Pro- *ca epithe-*  
 stant enim exempla nobis etiam cognita eorum, qui in *mata.*  
 febribus præsertim exanthematicis, variolis, morbillis, pur-  
 pura, ubi natura per extremam cutim peccantem materiam  
 sub specie halituum non sine fructu excludere nititur, per  
 crebrius in dolore capitis applicata frigidiora epithemata,  
 in cœcitate ad dies vitæ durantem, in epiphoras quo-  
 que ac suffusiones oculorum sunt præcipitati. Neque  
 etiam semper confert in hoc dolore profligando, plu-  
 ribus & variis topicis uti, quorum applicatio interdum  
 plus periculi habet, plus etiam prudentiæ a Medico desi-  
 derat, quam internorum usus. Neque omnia, omnibus  
 æque salutariter conveniunt: nam quæ alius ferre potest,  
 ea alteri incommodant.

## §. VII.

In ipso paroxysmo ad atrocem dolorem mulcendum, *In paroxys-*  
 non una sed pluribus vicibus, insignem efficaciam a liquore *mo.*  
 nostro anodyno minerali, aliquot guttulis ejus, saccharo in  
 pulverem redacto instillatis & in os sumtis, experti sumus.  
 Extra paroxysmum ad roborandum caput, vel etiam ut *extra sum.*  
 illud a recursum mali vindicetur, balsamo nostro analepti-  
 co quod vitale audit, si vel exterius temporibus aut ver-  
 tici applicetur, aut naribus modeste hauriatur, vel ejus ali-  
 quot

quot guttulæ saccharo instillatæ cum infuso Theiformi sumantur, peculiare plane, non sine ratione & experientia, virtutes & laudes tribuimus.

## §. VIII.

Quandocumque nimium ebulliens & variis de causis in motum concitatiorem actus sanguis, doloris originem præbet, neutiquam purgantia vel evacuantia, sed potius refrigerantia & temperantia locum inveniunt: quo ego nomine plurimum solius aquæ frigidæ potui atque nitrosi tribuere soleo. Et certe in hac re non est de nihilo, eximium nostri HIPPOCRATIS monitum, qui *libr. de ratione victus in morb. acutis*, sic scribit: *Animadvertere oportet in iis quibus caput, vel ob exercitationes vel cursus, vel iter, venationem, vel alium quendam intempestivum laborem dolet; horum quidem nullos purgaveris.* Vult enim præclarus Senex, ubi ex calore vel sanguinis fervore oboriatur dolor, purgantibus uti nos non debere.

## §. IX.

Sæpe fit, ut melancholiæ hypochondriacæ cephalæa conjungatur cum digestionem depravata, macie corporis, timore & vultus colore vitiato: quo in casu venarum sectio, balnea aquæ dulcis, conveniens motus corporis, aquarum medicarum prudens usus, iuscula medicata præsertim quæ fiunt cum succo cichorei, serum lactis caprini chalybeatum, nec non cichoreatum ceteris omnibus palmam facile dubiam reddunt.

## METHODVS PRAESERVATORIA.

Vti in omnibus capitis affectibus, ita etiam in dolore ejus hanc vivendi rationem suadet MERCVRIALIS *Consultat. Tom. I. p. 140. Consult. 107.* cujus integrum textum methodi præservatoriæ loco hic inferere minime tædet. *Ærem, enim inquit, inclementem & insuetum quantum fieri potest aut vites aut integumentis & cubiculis*

*In orgasmo sanguinis non evacuandum.*

*Cephalæa hypochondriacorum.*

lis arceas, somno moderate utaris, nec unquam nisi duabus post cibum horis: capite semper elevato dormias: corpus & animum ita exercere oportet ne alterum ab altero labore vel otio vincatur. Neve cura nimia, nimiaque cogitationes & studia calorem nativum hebetent. Alvum præ ceteris lubricam, nisi ita sit, quantum fieri potest serves; siquidem nihil est quod perinde caput afficiat & subinde vertiginosis affectibus occasionem præbeat, ac feces in intestinis diu retentæ. Jam vero repletiones & crapulæ, quas interdum istarum plagarum habitatores, etiam si peregrini sint, committere coguntur maxime omnium tibi inimicæ sint: & idcirco eas ac vinorum generosorum assiduos potus fugias necesse est. Cibi omnes crassi, pingues, flatulenti, cujusmodi legumina & olera, pisces ac fercula multis aromatis conferta, qualibus gens germana uti solet, nisi a te vitentur, ne mala tua in dies au- geantur metuendum est.

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

Studiosus viginti & aliquot annorum gracilis & te-  
 nioris habitus, a studiosorum intemperantia & nimis lu-  
 cubrationibus, dispositionem sibi contraxit hypochondri-  
 acam, cum digestionem ciborum vitiata, alvi strictura, spas-  
 mis, flatulentis, subinde etiam capitis dolore junctam. In-  
 vitatus ab amicis in convivium, magna & insolita vini Rhe-  
 nani sed sulphuris fumo valde infecti copia se replevit, &  
 ebrius factus. Ex hoc tempore gravi & continuo capi-  
 tis dolore correptus fuit, qui tamen sinistrum maxime la-  
 tus occupabat, ejusque anticam cum primis partem, fron-  
 tem, oculum, aurem & dentes ejusdem lateris vehe-  
 menter interdum stringebat ac obtundebat. Sub notabili  
 vero tempestatis mutatione vel sub profundiori paulo  
 mentis meditatione adeo crescebat, ut vires, somnum,

appetentiamque prorsus fere adimeret. Suaserunt Medici crebras venæ sectiones, alvus sæpius polychrestis pilulis subducta, & cephalica tam interne quam externe, neque minus stomachica adhibita, sed citra optatum successum. Ego potius, cum consilium a me peteret, dissuali ulteriorem sanguinis missionem & medicamentorum frequentem usum. Pediluvia vero & pedum frictiones cum pannis asperis, neque minus caput crebrius perfricandum commendavi, atque ut illud & pedes in æquabili & temperato calore ac transpiratione contineret, maneq̃ quotidie in lecto infusum Theiforme ex herba melissæ, salviæ, veronicæ & semine fœniculi assumeret, blandum sudorem expectando, auctor fui. Pro potu ordinario, loco cereviæ, decoctum ordinavi ex speciebus temperatis. Deinceps balsamo nostro liquido vitali sæpe inunctæ, ubi dolor nimis urgebat, nares, nucha, tempora. Quorum remediorum ope inigne levamen æger expertus est.

*Epicrifs.*

Dici vix potest, quam inimicum nervosis capitis partibus sit vinum sulphuratum. Et sicut vinum præsertim potens & generosum, inque specie vina dulciora ad capitis morbos: ita multo magis quodvis infesto sulphuris vapore refertum vel adulteratum disponit. Sulphuris enim particulæ dum altius se se insinuant membranarum poris in strituras eas adigunt. Vinum vero rarefaciendo sanguinem nimiam fibrarum nervosarum & vasorum efficit expansionem & distractionem: unde dolor oritur. Quod si vero semel & iterum solidis nervosis partibus induc̃ta fuerit ingens infirmitas & earum vis motrix elastica naturalis læsa, affectiones quæ inde prodeunt præternaturales, ex facili causa, in iisdem partibus recurrunt. Deinceps observari quoque velim, in nulla corporis parte nervosas & sensu præditas membranas facilius lædi quam in capite, eo quod liberiori aëris

aëris accessui sunt expositæ. Quantam autem vim subitæ aëris & tempestatum mutationes, præsertim quæ ab uno extremo ad alterum vergunt, in mutando & lædendo nervosarum partium tono & elatere habeant; id dolores, spasmi, convulsiones & aliæ partium nervosarum præternaturales affectiones, quæ inde ingravescent, ostendunt luculentissime. Liquor noster balsamicus ex sinceris non adulteratis & temperatis oleis cephalicis confectus, infirmitati nervosarum partium, exterius præsertim si applicetur, mirifice opitulatur; nisi corpus admodum plethoricum sit, & natura prorsus a suaveolentibus abhorreat.

## OBSERVATIO II.

Persona quædam splendida annum iam ætatis quadragesimum & tertium agens, validæ a natura constitutionis, a prima statim adolescentia largiori vini potui assuetæ, cui etiam in hunc usque diem nimium indulget, sub tempestate valde ventosa, humida & frigida, per aliquot septimanas venationibus incumbens, non modo defluxione acri, salsa, dolorifica & ardente in utroque oculo, sed & gravi & pertinaci cephalalgia cum cutis capitis tumore iuncta corripitur. In consilium & ego quoque accitus, fontem Selteranum vino intermiscendum & vesicatorium nostræ methodo præparatum nuchæ applicandum suasi; acidulæ quoque Egranæ cum decenti regimine fuerunt usurpatæ. Et dolor inde valde mitescebat. Balsamo vero vitæ cum inungeretur caput, materia ichorosa, qualis ex ulceribus prodit, copiose effluxit: cucupha quoque ex speciebus balsamicis & cephalicis temperatis ad roborandum caput gestata fuit. Qua ratione atrox ille dolor penitus sublatus est.

*Cephalalgia  
pertinax,  
cum oculo-  
rum arden-  
te & dolori-  
fica defluxi-  
one iuncta,  
in Persona  
dieta vino-  
se dedita  
curata.*

*Epicrisis.*

In genere hoc attendi velim, eos qui pocula amant  
& fere

& fere quotidie se immergunt vino, ex transpiratione, qua diffari debent partes nimis calidæ & sulphureæ, per auram frigidiorē admissam cohibita, graves in capitis morbos & dolores frequentius incurrere, quia in nullo corporis loco immediate & proxime magis quam in capite, præsertim si illud non satis tegumentis munitum sit, tonus vasorum & tunicarum nervearum a vento frigido penetrante læditur. Vesicatoria rite & paulo diutius applicata, ubi materia in partibus capitis externis vitiosa relidet, eximiam solent opem etiam in acribus falsis & calidis oculorum defluxionibus præstare. Ceterum in ejusmodi morbis, qui a discrasia calida & sulphurea sanguinis, qualis ab exsuperante vini potu & cuticulæ perspiratione prohibita nascitur, aquea diluentia, acidulæ, imo aqua simplex loco potus ordinarii magno & efficaci sunt præsidio.

## OBSERVATIO III.

*Immanis cephalalgia cum auditus difficultate & tinnitu, ex neglecta V. S. sanguinis missione & hydroposia curata.*

Juvenis spongiosi habitus & sanguineæ complexionis, a longo hinc tempore narium hæmorrhagiis obnoxius, ob paulo validiora corporis exercitia nimiumque veneris usum & potum largiorem, frequentiores & largiores eas passus est: ad quas minuendas & compescendas ter singulis annis admisit in pede venæsectionem. Postea vero eam consueto tempore semel omisit vel potius neglexit. Hinc immani corripitur cephalalgia cum auditus difficultate & tinnitu, caput totum rubore intumescit. Venæsectio instituitur in pede & multum sanguinis extrahitur. Mitigatur inde quidem dolor; neque tamen sedem suam penitus relinquere voluit, donec stramine paulo duriori naribus intruso largius sanguinis ex iis stillicidium fuerit procuratum. Inde dolores mitigati fuerunt mirum in modum. Sed cum a supra memoratis causis ex facili dolores recurrerent, nec sola venæsectio iis abigendis sufficeret; & quietam vitam & hydroposiam nec non serum lactis acidula-

tum

tum frequentius bibendum commendavi, interpolato quandoque pulverum nitroforum usu. Quibus ex toto integram valetudinem consecutus est.

*Epicriffs.*

A sola plethora in junioribus nares crebrius fundere sanguinem, sique hoc non accidit, capitis aegritudines inque primis cephalalgias sequi, per crebram experientiam certissimum est. Quos morbos si natura non sponte per narium hæmorrhagias solvit, Medicus id arte præstare debet evacuando sanguinem ex venis non procul a capite distitis, incisione venarum jugularium externarum vel quæ sub lingua positæ sunt; meliori vero adhuc successu per scarificationem in naribus vel apertionem venæ idoneo instrumento factam, non neglecta tamen sed probe observata hac cautela, quod videlicet, si nimia adsit sanguinis exundantia, consultius sit, in distito loco a parte affecta sanguinis missionem prius instituere, & postea non procul a morbosa parte; quia dato exitu sanguis ex partibus inferioribus spasmo subinde affectis sæpius cum impetu in læsam partem ruit, non sine gravioris mali metu. In tali cephalalgia specie topica, volatilia & suaveolentia calidiora fugienda esse censemus: sed præstat epithematibus paulo frigidioribus sanguinem ebullientem reprimere, quod tamen etiam adhibita prudentia fieri debet, præmissa videlicet venæ sectione, pediluviiis, & alvi segnis per clysteres decenti subductione.

OBSERVATIO IV.

Vir quinquagenarius sacerdotali munere fungens studiis & meditationibus nimium indulgens, ex prava inde sequuta digestionem & ventriculi infirmitate, crebrius catarrhosis defluxionibus, odontalgiiis & cephalalgiiis obnoxius fit: quæ tamen pathemata, cum plane abstineret a

(*Hoffm. Syst. T. IV. P. II.*)

Dd

pran-

*Rheumatica cephalalgia, in Sacerdote hypochondriaco, Carolinis curata.*

prandio, sumta tantum coena multum decreverunt. Postea vero dolores a capite usque ad colli & thoracis dextrum latus valde molesti exproccati sunt, diutius perseverantes. Quibus removendis varia a variis præscripta sunt remedium genera, atque inter hæc interne essentia & elixiria cephalica, pulveres cinnabarini, fonticulus quoque nuchæ & brachio dextro inustus, celebrata venæ sectio, externe affectæ partes oleis penetrantibus inunctæ: sed sine levamine. Scripsit ad me historiam, adjiciens, quod nares tenacem albicantem mucum sed exili in copia fundant, & sensum se ponderosi saxi in sinistra capitis parte percipere: caput vix sine dolore inclinari vel verti posse, ita ut linguæ etiam usus valde difficilis sit; colli quoque glandulas comparere tumidas. Addidit quod ante biennium febris tertiana ipsum corripuerit, quæ, postquam materia largiter e pectore excreta fuit, levamen quoddam attulit. Mentionem quoque fecit doloris circa ventriculi regionem atque inflationis in hypochondriis. Dedi consilium ut thermas Carolinas adiret & secundum præscriptum a me regimen per mentem & ultra iis uteretur: injunxi demum accuratum vitæ institutum cum motu corporis sufficiente & animi quiete; suaserque fui, ut præmissis frictionibus in nucha & cervice cucurbitulas cum scarificatione apponendas curaret. Et inde eum melius se habuisse cognovi.

*Epicriffs.*

Non simplex cephalalgia hic affectus sed potius rheumatismus, qui totum caput & vicinas partes occupat, meretur appellari: eo quod humor vitiosus non unam partem occupet, sed per porosam substantiam serpendo, in vicinas nerveas partes, eas lancinando & vellicando delabatur. Causam sine omni dubio discrasia feri scorbutica, ex depravata ventriculi digestionem & hypochondriorum vitio nata subministravit. Originem primam vero dedit nimia studio-



diorum cum profundis mentis meditationibus intemperies, juncta cum lucubrationibus: quæ quantam vim, ventriculorum & intestina infirmandi & totum corpus morbidum reddendi habeant, experientia satis apertum ac manifestum est. In tali statu morbi particularia ut ita loquar remedia seu symptomatibus dicata nihil proficiunt, sed, si salus & sanitas speranda est, non ab aliis nisi ab iis, quæ vitiis fluidorum & solidorum amovendis sufficiunt, cujus generis sunt fontes medicati calidi vel frigidi cum regimine diætetico usurpati, peti debent.

## OBSERVATIO. V.

Femina nobilioris generis septuaginta jam septem annos transgressa sanguinis plena, contumaci a quinquagesimo circiter anno, quo menstrualis fluxus valedixit, hemicephalæa affligebatur. Ex quo tempore, multa licet atque varia ad sedandos & abigendos hos dolores continuo adhibuerit remedia & frequentiores in brachio pariter ac pede venæ sectiones instituerit; nullum tamen ex his percepit levamentum. Donec tandem sanguis ex narium venulis ad uncias circiter VI. ope pennulæ intrusæ, in eo nimirum latere ubi dolor consistebat, fuerit evocatus. Neque ullum aliud præter aquam frigidam simplicem in usum est vocatum, ita ut non modo externe in duplicato linteocapiti sæpius admota, sed etiam interne ad tres quotidie mensuras triduum sumpta fuerit. Et sic diu exoptatum, quæ DEI erat gratia, passionis valde dolorificæ persensit levamen. Qua de re simplici hac potione semper loco cerevisiæ est usæ, hausto tantum inter prandendum uno exiguo vini cyatho.

*Hemicrania sanguinis evocatione e naribus & aqua frigida curata.*

*Epicrifs.*

Aquam simplicem frigidam puram tamen, tum interno, tum externo usu, in multis & gravibus affectibus valde

conducibile & efficacissimum remedium præbere, perpau-  
cis quidem cognitum & credibile videtur. Nihilominus  
& experientia & rationis & auctoritatis quoque multo-  
rum veterum Medicorum suffragio id ipsum est probatissi-  
mum. Egimus ex instituto in peculiari dissertatione *de*  
*salubritate potus frigidi*, paulo prolixius: ubi evidentibus  
argumentis tam aquæ quam frigoris quoque in ea contenti e-  
ximias in morbis debellandis vires abunde demonstravi-  
mus: nam magna inest vis frigoris elasticam fibrarum &  
vasorum corporis nostri vim firmandi, roborandi & vir-  
tutem expansivam interni liquidi calidi coercendi, quo vis  
vasorum a nimia expansione valde debilitata ad statum re-  
deat naturalem, & sanguinis ac fluidorum motus liber &  
æquabilis restituitur. Et sicut potus sufficiens aquæ sim-  
plicis & frigida, firmando tonum solidorum, humores fluxi-  
les reddendo & salinas sulphureas partes diluendo ac e-  
vehendo, multorum affectuum causam præscindit; ita ex-  
terne frigore suo etiam succurrit iis morbis, qui a nimio va-  
sorum infarctu & expansione originem suam ducunt. Ni-  
hilominus quotidianus aquæ potus non omnibus naturis  
convenit, sed ejus præscriptum prudentiam medentis re-  
quirit.

## OBSERVATIO VI.

*Dolor fixus  
in vertice  
capitis ex  
ira & su-  
peringesto  
cibo, aqua  
frigida sub-  
latus.*

Vir erat Hebræus circiter quadragenarius strictio-  
ris corporis habitus, qui ab iracundia & superingesto cibo  
contraxerat dolorem in vertice capitis fixum, spatium oc-  
cupans magnitudine imperialis, sensus hujus doloris qui-  
dem non adeo erat acutus, vibratorius, lancinatorius aut  
pulsatorius, uti alias in cephalalgia esse solet, sed magis  
pressorius & gravativus sub cranio; neque erat perpetuus,  
sed subinde maxime circa vesperam & noctem ingravescens.  
Nihilominus tamen adeo graviter inde luebat,  
ut appetitus concideret, somnus abesset, vires mirifice de-  
ficerent, pulsus inordinatus, modo celer, modo rarus & lan-  
guidus

gvidus micaret, ipse quoque animus abjectus esset & sub paroxysmo quandoque plane turbaretur. Pugnatum fuerat adversus hunc dolorem tum a me tum ab aliis strenue & efficacissimis aliis remediis. Sed licet quandoque inde remittere per aliquot dies videretur, levi tamen accedente occasione ex ira aut aliis externis injuriis iterum vehementia recrudescerebatur priori similis. Exactis inter hæc duobus circiter mensibus in consilium simul vocatus est civitatis hujus Medicus natione Gallus, ingeniosa curandi tentamina subinde non infeliciter adornans. Is purgato prius per aquam Sedlicensem corpore, dedit consilium, ut æger mane & post meridiem biberet dimidiam aquæ fontanæ frigidæ mensuram in lecto. Inde primum quidem factum refrigerium & symptomata visa exacerbata, sed elapsa hora pulsuum magnitudo increvit & sudor erupit largissimus cum doloris levamine. Hinc per septem dies potum continuare præcepit, tam felici successu, ut successive dolor evanesceret omnis. Ac licet elapsis aliquot hebdomadibus, post iram dolor hic repeteret, eodem tamen remedio per triduum usurpato iterum feliciter est discussus, & æger sanus jam est ac vegetus.

*Epicrisis.*

Sedem hujus atrocis doloris in eo loco ubi conjunctio est futurarum, coronariæ nempe & sagittalis, qui in infantibus fontanellæ nomine venit, reponendam esse iudico: nam ibi est pericranii cum dura matre arcta connexio; & proinde etiam dolor qui externe in illo loco extitit, in consensum trahendo duram cerebri membranam majorem symptomatum exacerbationem, virium prostrationem, animique turbationem neque minus pulsuum inordinationem effecit. Causam ego mali esse bilem vitiosam ab ira commotam in flexura duodeni stagnantem & corruptam credidi, cujus vis ebulliens & acrimonia mire a fri-

gidæ potu coercetur & reprimitur. Siquidem ego sæpius in praxi mea, ex vehementi ira mox ante cibum sumtum, gravem cephalæam animadverti, quam aliis nihil proficientibus, feliciter a feri lactis aciduli potu quotidie ad mensuram sumti a me discussam memini. Secutæ inde fuerunt sæpe sex alvi de die dejectiones, & sic expurgata biliosorum humorum sentina, desiderata convalescentia secuta est.

## OBSERVATIO. VII.

*Cephalæa  
ex quartana  
cort.  
china pro-  
fligata, Ca-  
rolinis dis-  
cussa.*

Civis hujus urbis annorum quinquaginta febre per novem menses laboravit quartana, quæ tribus corticis chinæ dosibus sumtis præter expectationem evanuit: sed in ejus locum gravissima cephalæa, quæ mire torfit hominem, vires atterendo successit: dolor erat continuus & valde gravativus qui maxime incrementa sumsit peractis quatuor vel quinque horis a digestionem, conjuncti simul erant dolor, tumor, imbecillitas manuum cum insigni corporis debilitate. Postquam in cassum multa fuerant usurpata, venit ad me auxilium meum rogitans. In similibus casibus essentia nostræ tonicæ usum paulo protractiorem subinde convenientissimum expertus sum: quoniam præter vim roborantem, serum vitiosum, tum per vias urinarias, tum per insensibilem transpirationem eliciendi efficaciam possidet insignem. Sed suasi thermarum Carolinarum usum, corpore prius, per salia deterfiva, aperientia, interpositis nostris pilulis balsamicis probe præparato: & sanatio successit auspicato.

*Epicriffs.*

Quartanæ familiarissimum esse cephalicum dolorem symptoma satis constat. Causam hujus rei inde deducendam esse arbitror, quod in hac febre quam maxime humor corruptus, tenacis, fixioris acidæ potissimum indolis duodeno & valvulis tenuium inhaerens, simili charactere præterlabentem chylum inficiat, qui postea ad minima & capilla-

pillaria membranarum capitis vasa delatus, liberiori fluidorum motui obicem ponens earum distensionem dolorificam causari potest. Id vero non modo in capitis sed & aliarum nervosarum partium minimis vasculis evenit. Quamdiu motus febrilis durat, tam diu vasorum obstructio & humorum stagnatio nequam incrementum capit, propter celeriore[m] sanguinis per solidas partes trajectionem. Quandocumque vero motus febriles corpori salutare[m] supprimuntur, non mirum est, majores fieri infarctus & obstructions vasculorum, indeque dolores artuum, capitis, tumoresque oedematofos sequi, qui non meliori & tutiore ratione, quam laudatis jam tempe[st]ive adhibitis remediis possunt expugnari. Ejusmodi in casibus, ubi neque locus neque tempus vel occasio est utendi aquis mineralibus, curam haud infeliciter cum decoctis blande diaphoreticis lignosis & pulveribus ex cinnabari, sale volatili, cornu cervi, vel etiam regulo antimonii medicinali & sale absinthii compositis, non omissis ex manna & rhabarbaro per infusionem paratis laxantibus, bono cum DEO peregi. Atque insignis quoque & expertæ virtutis, usum essentia[rum] nostræ roborantis, cujus mentio supra §. 4. p. 197. fit, reperi.

## OBSERVATIO. IIX.

Femina tenerioris & sanguineo-cholericæ constitutionis annum quæ jam trigessimum complevit, vitæ nimirum quietæ & inordinatæ diætæ indulgens, minus ordinatas nec sufficientes per annum & ultra habuit menstruales purgationes. Exinde de dolore in capite tensivo, gravativo, lancinante diu conqueritur, qui primum totum occupavit caput, nunc vero ad sinistrum latus declinat, ubi bregma, tempora, mandibulam, dentes, aurem, labia ejusdem lateris pungitivo & urente dolore infestat, ad brachium interdum pertingens; frequens intercurrit horripilatio cum pulsu inæquali, duro & celeri. Ab hisce incommodis sequen-

*Cephalalgia  
rheumatica  
ex mensium  
anomalia.*

sequentibus liberata est. Primo singulis diebus pediluvia convenientia fuerunt ordinata: dein venæsectio in pede post menses inordinate & parcius fluentes: tum quotidie infusum loco Théæ mane copiose haustum, quod ex verberna, melissa, summitatibus millefolii, semine fœniculi, cubebis, floribus chamomillæ vulgaris constabat. Pilulæ nostræ balsamicæ cum extracti croci & mercurii dulcis portione remixtæ, alternis diebus circa lecti ingressum, pariori dosi assumptæ fuerunt. Tandem externe balsamum nostrum vitæ sine ambra cum spiritus vini camphorati æqualibus partibus mixtum locis affectis dolentibus inunctum fuit; iniuncto accuratiori vitæ regimine, motu corporis & ut frigida atque acida vitaret, nec non digestionem vacillanti cum cibis sumendo elixirio nostro stomachico, quod in notis ad Poterium describitur, succurreret. Et ita per DEI gratiam ad valetudinem exoptatam pervenit.

*Epicripsis.*

Quando in gravi capitis dolore etiam vicinæ nervosæ partes in consortium trahuntur, cephalalgia rheumatica oritur, quæ a sero acri vellicante, ob interceptum per venas obstructas sanguinis circuitum, secedente ac extra vasa posito, & per poros & loculos ad membranas delato originem suam sumit. Et tales rheumaticæ affectiones ab impuro sero frequentissime in sexu sequiori, ob lunaris tributi minus rectum statum eveniunt. Neque melior ac certior iis medendi ratio suppetit, ac si Medicus operam & studium in ordinem redigendo uterinam excretionem per convenientia remedia adhibet. Nihilominus tamen semper, si talis casus occurrit, ventriculi simul ejusque digestionis habenda est ratio, ut bene temperatus chylus ad sanguinis & humorum massam accedat, qui ejus intemperatam crasin sensim paulatimque, successu temporis corrigere valeat. Quod vero dolor sæpius unum tantum capitis

pitius & vicinarum partium latus petat, ex anatomicis repetenda erit ratio: quandoquidem constat, sicut cerebrum in duo hemisphæria divisum; ita etiam in dextro & sinistro latere distinctos ramos arteriarum, venarum, nervorumque extare & communicationem inter se habere, ut licet lætio fiat & circulatio non recte procedat quoad vasa in uno latere, salvus tamen & integer motus sanguinis circularis in altero hemisphærio persistat.

## OBSERVATIO. IX.

Nobilis adolescens qui vix ætatis annum decimum octavum attigit, excitati alias & prompti in studia ingenii, postquam sanguinis e naribus stillicidium cui frequentius obnoxius fuit, nescio ex qua causa, præter quod crebro venationibus sub cælo frigidiori interfuerat, emanferit, insignem in capite aliquot jam menses torporem & obtusum ac gravativum dolorem, qui ad oculorum radices pertingit, perensit. Periiit omnis animi & corporis vigor, ciborum appetentia, placidusque somnus. Facies erat pallida cum extremorum frigore & lassitudine. Opem a me & ipse & mater ejus efflagitarunt quàm sollicitè. Celebrata in pede fuit venæ sectio, & quia aliquid hypochondriaci subesse judicavi, præscripti curam fontis Selterani cum debito regimine: sed effectu plane frustraneo. Postea infusum Theiforme ex temperatis herbis cephalicis mane hauriendum ordinavi: reiterandam quoque jussi venæ sectionem & tertio die post, cucurbitulas cum scarificatione nuchæ apponendas; errhinus quoque pulvis naribus frequentius admotus. Et non ita multo post cessavit dolor, rediit appetitus & quietus somnus, omniumque actionum vigor, ac pristina valetudini redditus fuit. Stilulare quoque rursus sanguis, sed non largo flumine, cœpit e naribus.

(*Hoffm. Syst. T. IV. P. II.*)

E c

Epi-

*Cephalæa a  
consuetudine na-  
rium hæ-  
morrhagia  
suppressa.*

*Epicrisis.*

Causam hujus gravis doloris & symptomatum quæ eum subsequabantur, a suffaminata narium hæmorrhagia deducendam esse, extra dubium positum est. Vasa vero cerebri retento sanguine plus quam par est fuisse infarcta, testatum faciunt symptomata in nervosis primarum viarum partibus, non secus ac in hypochondriacis contingit, suscitata, idque tantum propter passionem & consensum nervorum: siquidem ante accessionem hujus doloris, ab ejusmodi pathematibus plane liber fuit, quæ sedato dolore etiam conquieverunt, ut adeo clare pateat, quanta sit capitis cum ventriculo & aliis nervosis corporis partibus consensio. Deinceps illud notari velim, in capitis morbis qui a redundantia sanguinis ortum ducunt, ejus missionem semper observari meliorem in loco capiti propinquiore ac in distitis partibus. Pulveres errhinos & cephalicos naribus susceptos, vellicando & irritando in cerebri quoque membranas agitationem quandam dum efficiunt, a molesto humorum infarctu eas liberandi vim & potentiam exserere posse, haud videtur improbabile.

## OBSERVATIO. X.

*Cephalæa, ex  
gonorrhœa  
virulenta,  
decocto su-  
dorifero cu-  
rata.*

Juvenis vegetæ & robustæ constitutionis, annorum XX. & aliquot, virulenta gonorrhœa binis vicibus affectus, sed nescio qua methodo curatus. Aliquot menses post, ulcerosæ & prurientes pustulæ hinc inde in cute efflorescebant: quarum tamen major copia in dextra quam in sinistra capitis & reliqui corporis parte conspiciebatur, qua in regione etiam tumor testiculi durus & valde molestus consuebat. Præter languorem universi corporis, immaniter eum dolores in capite, præsertim nocturno tempore, torquebant, adeo, ut non modo somnum tollerent, sed appetitum etiam & vires imminuerent. Ad sublevandum hoc malum & chirurgorum & Medicorum opera usus: sed



sed nihil omnia, neque mercurialis quam adhibuerat salivatio profecerunt. Ultra anni dimidium atroci hoc malo affictus & valde extenuatus me quoque in auxilium vocavit. Expurgatis prius lenissimis remediis aliquoties primis viis, decoctum cuius vires in purificando sanguine multoties expertus sum, tum ad sudorem eliciendum, tum ad corrigendam intemperiem, pro potu ordinario usurpandum & quidem sequentem in modum imperavi: Sarsaparillæ uncias IV. & antimonii crudi uncia, salis gemmæ & salis tartari cujusque drachmam adieci, & cum mensuris quinque aquæ simplicis puræ decoctio facta est in vesica stanno obducta, cui alembicus imponebatur. Decenti sic admoto igne, cum propemodum dimidia pars destillata esset liquoris forti odore nares ferientis, destiti ab ulteriori coctione & destillatum affudi residuo in vesica; facta filtratione, quod filtrum subiit servavi pro usu, eo quo sequitur modo. Dimidia eius pars cum æquali portione decocti scorzonæ & passularum miscebatur pro potu ordinario; quod remanebat in duas partes divisum fuit, quarum una mane, altera hora quinta pomeridiana calide fuit hausta, sudorem cum debito regimine in lecto expectando. Interpolatus quoque huic decocto interdum fuit usus tincturæ antimonii acris cum spiritus tartari & liquoris nostri anodyni mineralis tertia parte permixti. Qua cura per integras sex septimanas usus est. Sed testium dolorifico tumori simul duxi per idonea resolventia & discutientia topica prospiciendum; inter quæ emplastrum diachylon emplastro Vigonis cum mercurio permixtum, decima parte florum sulphuris, nec non bals. sulphuris antimoniatum notabili portione adjecta, cataplasmate superimposito, quod ex radice enulæ, althææ, iridis nostratis, cucumere almino, floribus sambuci, semine cymini, carvi, cum aqua florum sambuci & vino coctis constabat, laudabile levamentum attulerunt, tumore ad dimidium & ultra discussio. Quibus remediis per DEI gra-

tiam id consecuti sumus, ut ab omnibus incommodis liber, sanitati fuerit restitutus desideratissima.

*Epicrifs.*

Et gonorrhoea virulenta & Gallica lues, ex eorum sunt morborum numero, qui nisi radicitus idonea & satis efficaci cura extirpentur, ob relictas vel in glandularum tubulosa substantia, vel etiam, ut nonnullorum fert sententia, in membranis quæ pinguedinem cingunt, alius impaetas particulas, ex facili reviviscunt, dum ex latibulis suis excussæ & denuo cum lymphæ & sanguinis massa conruptæ, per initiali sua vi, instar seminii vel fermenti sese multiplicant, omnis generis fluida inquinando. Cura horum affectuum, quæ per salivationem a mercurialibus excitatam, quasi specificum passim commendatur remedium, si immanis & chronicus capitis dolor fuerit junctus, non semper expectationi respondet; & proinde WILLISIVS *de anima brutorum cap.* 2. tali in casu eam rejicere, multis exemplis quæ recenset infelicis successus adductus, non veretur. Adde etiam illud, quod chirurgi quibus vulgo ea committitur, empirice ut plurimum, posthabita & individui & aliarum circumstantiarum ratione, hanc curam tractare soleant. Ceterum sudorifera quæ antimonium crudum ingreditur decocta, si decenti modo & artis lege præparata adhibentur, in hujusmodi venereis affectibus maxime recrudescensibus laudabilem opem subinde præstitisse, compluribus exemplis edocti sumus; neque etiam, sine convenienti horum usu, testium tumorem curatu non tam facilem, solis externis etiam aliis valde efficacibus sanari posse identidem nobis perspectum compertumque est. De usu vero & viribus supra laudatæ tincturæ antimonii acris cum aliis permixtæ illud insinuandum esse duxi, quod morbis & præsertim capitis doloribus a colluvie serosa ortis magnas vires medendi possideat, eo quod vitiosum serum cum per  
cutis

cutis meatus tum per renes insigniter educat. Illud enim notatu dignum est, quod cachecticis gravativi dolores noctu maxime infestantes & per longum tempus durantes admodum sint familiares, atque ægri tudines quæ ex vitiosa & impura lymphâ proveniunt ut plurimum insequi soleant; unde cum WILLISIO loco citato p. 202. non semel annotavimus, plures post variolas, morbillos, imo purpuram, cephalalgia quotidianâ fuisse obnoxios, ubi & sanguinem depurantia quæ feri vitiosi copiam per renes efficaciter educunt, optimam locant operam: nam serum in cachecticis corporibus in cerebri sinuositatibus imo ventriculis stagnans, dolorem illum ponderis instar gravem excitare valde est credibile.

## CAPVT II.

DE

DOLORE CARDIALGICO  
SPASMODICO ET FLA-  
TVLENTO.*THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

**I**Nter graves & acerbos, qui misere genus humanum torquent, & corpus æque ac animum moleste afficiunt dolores, is qui cardialgia nomine venit, non postremum sibi vindicat locum. Neque vero cordis, ut vulgi fert opinio & germanice *Herzens* Angust dicitur, dolor est, sed ipsius stomachi, seu partis valde nervosæ & exquisitæ sensationis, & præcipue ejus orificiorum, acutus circa scrobiculum cordis consistens, cum ingenti anxietate, spirandi

*Definitio realis cardialgia.*

angustia, viriumque prostratione, iniquitudine, nisi vomendi, extremarum partium tremore & frigore, levi animi defectione junctus, a spasmō vel inflatione oriens, totum sępe nervorum systema in consensum trahens.

## §. II.

*Quomodo  
dignoscatur  
a spuria.*

Neque vero omnis stomachi dolor, qualis subinde, a crudorum ingestorum copia & longiori eorum in ventriculo mora, pressorius & anxius incidit, cardialgia nominanda, quia non est acutus, neque orificia ventriculi tunc valde dolent, neque jactatio corporis ac virium prostratio, quę propria fere & formalia hujus morbi sunt signa, sentiuntur: nisi cardialgiam hanc spuriam vocare velimus. Est vero pro magnitudine causę dolor vel vehementior vel mitior; & hinc vel gravioribus vel levioribus symptomatibus.

## §. III.

*Sedes.*

Acerbi hujus doloris sedes, ex communi Medicorum tam veterum quam recentiorum sententia, sinistrum tantum stomachi habetur orificium, quod jam olim HIPPOCRATES & GALENVS cardiam vocarunt; unde etiam hic dolor cardialgię nomen mutuatur. Nos vero potius dextrum, quod pylorus nominatur, orificium, imo totum, ratione tunicę qua instructus est valde sensibilis nervoso-fibrosę, stomachum adfici, vel ex eo elucescere arbitramur, quia circa cordis scrobiculum, sub mucronata cartilagine ad latus dextrum, ubi constans pylori sedes est, hic atrox incipit & consistit semper dolor, & inde ad sinistrum, quod in dorso non procul a spinali medulla situm est & diaphragma circa vertebram thoracis undecimam vel duodecimam penetrat, se extendit. In iis enim qui cardialgia defunguntur dextrum potius quam sinistrum orificium in tetione affectum fuit inventum, adeo ut in quorundam pyloro, ulcera, abscessus, tumores, corruptiones sphacelosę, quę simul duodenum ipsumque ventriculi fundum affecerunt, annotata fuerint.

## §. IV.

## §. IV.

Cum autem nunquam tristis & anxia in anima exci- *Dividitur*  
tetur sensatio, nisi a causa violenta partes nervosæ & fibro- *in statulen-*  
sæ, vehementi distensione continui dissolutionem minante, *tam & spat-*  
vel valida constrictione, sive spasmodica strictura supra *modicam.*  
modum afficiantur: ita etiam observamus, cardialgiam aliam  
esse flatulentam, aliam spasmodicam, adeo ut in illa, ab  
incarceratis flatibus, totus stomachus violenter distendatur  
atque distrahatur; in hac vero in arctius potius spatium  
crispetur, coarctetur atque contrahatur.

## §. V.

Non parum quoque refert discrimina & signa nos- *Signa statu-*  
se, quibus cardialgia flatulenta a spasmodica distinguitur: *lentæ*  
in illa major spirandi juncta est difficultas atque angustia,  
eo, quod ventriculus inflatus, liberum diaphragmatis de-  
scensum, qualis ad faciliorem spiritum trahendum summe  
necessarius est, intercipiat: dein tumor frequentius ad sen-  
sum fat manifestus, instar ovi in scrobiculo cordis ad dex-  
trum latus inclinans, observetur, dum pylorus inflato ven-  
triculo semper attollitur: præter hæc ructuum adsit fre-  
quentia, quibus ex ore prodeuntibus, dolor nonnihil le-  
vari incipit: denique post cibum, præsertim qui inflat,  
assumptum dolor ordinario ingravescere solet. Vbi vero  
pertinaciori spasmo tota ventriculi substantia affligitur; *Spasmodicæ,*  
tunc major circa præcordia anxietas, major virium defe-  
ctio, corporis jactatio atque extremorum frigus per-  
cipitur.

## §. VI.

Si ad veneni naturam accedens humor causa est, *ex causa ve-*  
longe vehementiora & quæ plurimum habent periculi *nenata ena-*  
juncta sunt symptomata. Ita subinde in capite dolor, ver- *ta.*  
tigo, scotomia, agrypnia, mentis interdum emotio & con-  
vulsio: in cavitate thoracis, pectoris oppressio, cordis  
tremor & syncope, pulsus exiguus, debilis, interdum du-  
rus

rus & inæqualis intermittens quoque: in abdomine, ventris tormina, alvi constipatio, urinæ suppressio: in partibus externis, refrigeratio, tremor, horror, sudor frigidus, facies livida, contracta, fœdi & flavescens coloris in conspectum prodeunt.

## §. VII.

*Pathematum ex nervorum communicatione c. ventriculo explicatio.*

Tam atrocia in universo corpore, a ventriculo male affecto, suboriri posse pathemata, is non mirabitur qui ex anatomicis didicit, par nervorum octavum, quod ad præcipuas nervosas corporis partes internas fertur, & iis vigorem, robur, motum & sensum largitur, valde notabiles & insignes duos ramos ad ventriculi sinistrum orificium spargere: atque internos per arcum minorem ad pylorum; externos vero ad fundum ventriculi ferri: & hinc consensionis, quam hæc nobilis pars cum systemate nervosarum partium alit, ratio ducitur quam aptissime. Neque enim ulla alia, in universo corpore pars est, quæ similem cum præstantioribus ejusdem partibus alat habeatque consensionem ac mutuam communicationem, præter stomachum; uti id fufius in *Medicine ration. System. Tom. III. Sect. I. c. V.* a nobis est expositum. Inter alia hujus rei luculenta testimonia, observationes hinc inde in Medicorum, qui casus ad Medicinam Forensem spectantes ediderunt scriptis, repertæ id exhibent: quibus constat, a forti percussione cum manu vel instrumento duro circa cordis scrobiculum facta, gravissima protinus symptomata, ut quis statim in terram gelidus concidat, epilepsia, imo morte repentina corripiatur, insequi.

## §. VIII.

Cum duplex sit cardialgiæ non secus ac colicæ species: altera nimirum flatulenta; quæ ab incarceratis fit flatibus, totam ventriculi cavitatem fortiter distendentibus; qualis vocari solet germanice *Ober Colic*, *Herz Colic*: altera sit cardialgia spasmodica convulsiva, vulgo *heftiger Magen*.

Mageno Krampff, sequitur nunc ut inquiremus, qua ratione flatus, cum liberum alias habeant per aperta orificia transitum, firmiter in cavitate ventriculi includi & detineri possint. Hujus quidem phœnomeni ratio vix a Medicis est tacta. Nos ejusmodi vehementem inflationem, quæ incidit in ventriculum, etiam effectum spasmi esse, affirmare nihil dubitamus; qui tamen non totam ventriculi nervoso membranaceam substantiam, sed tantum ejus orificia subtilioris sensationis infestat: unde iis valde coarctatis & clausis, non mirum est, vapores ex indigesta maxime crudorum ingestorum mole, mediante calore, cum non inveniant exitum, totum ventriculum mire distendendo ac distrahendo, atrocem cum summa anxietate & spirandi angustia dolorem excitare.

## §. IX.

Sunt vero imprimis flatulentæ cardialgiæ obnoxii hypochondriaci, quorum stomachus copiosa colluvie biliosa & acida scatet; ex quo fit, ut a pastu aliquot horas, fortes circa præcordia tensiones, inflationes, gravesque dolores cum difficili spiratione experiantur, qui postea, ructibus ut plurimum acidis prodeuntibus, nonnihil remittunt, vel vomitu superveniente acido pituitoso insigniter levantur, & demum paulatim redeunte calore ad ventriculum & extremas partes, quæ algecebant, solvuntur. Vidimus tale quoque vitium sæpius in iis, qui post morbum paulo diuturniorem, magnam sibi ventriculi infirmitatem contraxerunt, quando paulo avidius cibos, præsertim incongruos, ut sunt pingues, acidi & fermentescibiles, fructus quoque horæi, ingerunt, accedente simul corporis & quam maxime pedum vel regionis lumbaris refrigeratione, subortum & crebrius per intervalla reversum.

## §. X.

Vidimus quoque ejusmodi ventriculi, cum dolore & respiratio: e difficili, inflationem, in infantibus lactentibus, interdum *interdum* *infantes lactentes.*

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

Ff

bus,

bus, a lacte in ventriculo coagulato & ibi stagnante acidoque facto, ubi tota præcordialis regio, sub costis spuris, mire flatibus distenta & turgida, visui pariter ac tactui se offerebat. Vulgo id vitium dicitur das Herz-Gespann. In mentem nobis etiam incidit exemplum cujusdam juvenis, qui, a nimia recentis & mollioris casei commestione, & desuper Rhenano non adeo spirituofo sed acidulo vino hausto, in flatulentam & gravem cardialgiam incidebat: quam Medicus colicum dolorem, qui tamen longe inferiorem sedem habet, neque cum tanta spirandi angustia jungitur, reputabat. Neque hoc loco discrimen illud inter dolorem colicum, qui sub ventriculo in ea parte colli, quæ immediate ipsi substernitur, & inter stomachalem colicam, si ita loqui licet, præterire debemus; quia non semel sed aliquoties, hac in re deceptos fuisse Medicos, animadvertimus. Ut itaque circumstantias loci dolentis, antecedentes causas, notas quoque quæ cardialgiæ propriæ sunt, item faustos remedium successus, probe semper circumspexit Medicus observet, non sine ratione monendum ducimus; nam unico discutiente applicato clystere, colicum sub ventriculo consistentem dolorem sublatum meminimus.

qui differt a  
colica.

### §. XI.

Ut vero plerumque flatulenti & tensivi ventriculi doloris causa, vitiosus humor, qui intra duodeni cavitatem paulo diutius retentus, flatu ventriculi officina spasmogene constringentes excitat: scimus tamen occurrere exempla mali flatulenti, ubi nullam materiam vitiosam in ventriculi vel duodeni cavitate animadvertimus. Quod vel ex eo judicare posuimus, quia tales anxietatis & flatulentæ cardialgiæ, feminis præsertim junioribus, restitente mensium fluxu, imo per primos menses gravidis, familiarissimæ observantur, & ructibus doloreque circa cordis scrobiculum & dorsum se manifestant, atque exacte circa

men-

A mensibus  
vel hæmorrhoid.  
suppressis.



mensium tempus revertuntur. Simile quid aliquando in viris, hæmorrhoidibus suppressis qui laborarunt, evenisse notavimus.

## §. XII.

Quamvis vero non adeo facile sit, hujus rei invenire causam, nos tamen quodcumque consideramus, a sanguine intra intestini coli vel recti membranarum vasa stagnante, spasmodicum dolorem in iis partibus effici; nullam aliam pariter hic subesse causam judicamus, quam, quod facta palindrome, sanguis ad regionem ventriculi & præcordialem delatus, atque vasa ventriculi infarciens, ejus potissimum orificia spasticis stricturis pariter afficere & infestare possit. Et confirmamur in hac sententia, cum inter frequentes observationes in comperto sit, in iis qui asthmate stomachali flatulento spasmodico, sæpius lethali, & ut plurimum hydropem post se trahente, laborarunt, post mortem infarcta & obstructa viscera sanguinea, præsertim hepar, vel etiam polyposas concretiones in cordis ventriculo repertas fuisse, quibus dum obexponitur sanguinis libero circulo, facile ejus impetus ad præcordia fertur, qui sic causam tam anxii doloris, quem perpetuo ructus concomitari solent, subministrat.

*Causa efficiens.*

## §. XIII.

Cum vero & sine singulari vel plane nulla inflatione, ille acerbissimus & anxius ventriculi dolor, vulgo Magen-Krampff, non tantum orificiorum sed etiam totius substantiam, ob tunicam nervosam, spasmodicorum vehementia affligat, ejus etiam causas paulo exactius investigare oportet. Jam vero nil propemodum in praxi frequentius occurrit, quam quod mox a vehementi iracundia, circa præcordia & cordis scrobiculum, & magis versus dextram partem, compressorius & constrictivus dolor cum anxietate & angustia pectoris, nausea, ciborum fastidio, oris amaritie oboriatur. Hujus ergo mali causam non difficulter is reperiet, qui considerat talem esse iræ vehementi-

*Cardialgia  
spasmodica  
ab animi  
affectibus.*

oris vim atque indolem, ut maxime suum pernitiabilem effectum in præcordiis exerat, per quæ, ut bene explicat FERNELIVS *lib. IV. de febr. C. 10.* regio circa ventriculum, diaphragma, jecoris cavum & in eo ductus biliarii detenti, pancreas, in specie ventriculus, ejusque superius orificium, & quæ sub costis nothis, anteriora versus & sternum inflectuntur, intelligitur, spasticis constrictionibus ea exercendo. Dein quoque ab ira valde commoveri biliosum succum, & systole canalium, qui bilem vehunt, intensiori reddita, eam copiosius in duodenum effundi constat; ubi postea diuturniori mora, corrosiva fit & corrumpitur, & diarrhœæ, cholerae, vomitionis, atque etiam doloris cardialgici causam omnino subministrat, quia acrimonia sua, & pylorum & fundum ventriculi afficit. A terrore quoque paulo graviore cito induci posse cardialgiam multoties experientia docet: & mœrorem etiam sensum sensimque humores corrumendo ad graves diuturnasque cardialgias disponere PLATERI *Observ. II.* testimonium exhibet.

## §. XIV.

*Symptoma aliquando est.*

Affectio ventriculi spasmodica est frequenter symptomata. Non pauca nobis sunt cognita exempla ubi calculus in principio, vel quod pejus, in medio ureterum hærens, præter alia gravia accidentia, etiam vehementem cum intolerabili anxietate junctam cardialgiam excitavit. Simile etiam quid observavimus a calculis biliaris, si canalem cysticum vel cholodochum pertranseant, vel fixiorem in iis sedem habeant. Qua de re in sequenti Capite fusius agere nobis constitutum est. Luculenter vero etiam hinc apparet, quomodo per consensum a solo motus vitio, pars corporis nostri sensu prædita, absque materiali ibi existente causa graviter affici queat. §. XV.

*a veneno.*

Longe vero atrocior & plenior periculi species cardialgiæ est, quæ ab hausto veneno urentis & causticæ indolis inducitur. Vulgatissimum atque innumeris funestis

stis exemplis infamatum illud arsenicum, & ei similia, non alia ratione perimunt, quam quod subtili & penetrante veneni acumine, altius in intima fibrarum nervearum ventriculi se insinuant, easque discindendo ac arrodendo, ad immanes spasticas stricturas adigunt atque exstimulant: quæ postea universum nervosarum partium genus in consensum trahendo, non modo ea symptomata, quæ cardialgiæ sunt essentialia, sed & insuper sæviora & funesta, ut inflammationem sphacelofam, delirium, convulsiones, inducunt.

## §. XVI.

Emetica ex stibii regulina substantia petita, si paulo fortiori dosi imprudenter offeruntur, non nisi cardialgica inducunt symptomata; quin aliis etiam intus concurrentibus causis, & ubi præcordia jam spasmo adfecta sunt, lethalem, non secus ac venena, quod multis, proh dolor! constat exemplis, operationem exsequuntur. Id quod etiam de acrioribus & validioribus purgantibus, quæ subtili, caustico, & vesicante principio agunt, quorum imprudenti usu multi pereunt, intelligendum esse existimamus.

*ab emetiosis.*

## §. XVII.

Ipsam pestilentiam virus, truculentam suam vim, primo omnium, in ventriculum spasmis atque inflammationibus exerere, & graves cardialgicas passiones, sæpe syncopicas inducere, in propatulo est. Petechiis, febribus purpuratis & malignis, si cardialgia succedit, quod maxime in morbi vigore fit, lethale signum esse solet. Pessimum quoque est, si cardialgia doloribus arthriticis, podagricis, quod evenit maxime, retrocedente materia ad interiora, item quando foedis cutis & partium externarum exulcerationibus supervenit, quod frequentius accidere solet. Nam materia illa activæ causticæ indolis, ubi a nexu & implexu humorum sequestrata, & ad cutis extima propulsa, relegit-

*in febribus exanthematicis.*

sua vestigia, atque nervosis tenerioris & firmioris texturæ ventriculi & intestinorum tunicis se altius insinuat, non secus ac venenum agere solet, sique diutius persistit, cardiacas anxietates inducendo, hominem exanimat atque non raro interficit.

## §. XVIII.

*in dysentē-  
ria epidem.*

Dysenterix epidemix & maligna, quando ea incaute comprimitur, infausto & periculoso sane omine cardiacalgia supervenit: dum caustica acris materia, ex intestinorum inferioribus ad superiora & ventriculum, retrogrado motu & impetu delata, principes has partes graviter infestat, subinde lethalia arcessere symptomata consuecit.

## §. XIX.

*a vermibus.*

Periculi quoque plena a vermibus innascitur cardiacalgia, quando videlicet, uti bene meminit TRALLIANVS, ex partibus inferioribus sursum ad ventriculum ascendunt, ejusque orificiis firmiter inhaerescunt. Memorabile est quod proponit HERCVLES SAXONIAE *in pralect. pract. P. II. cap. 7.* scribens: *ante tres annos ego vocatus ad puerum undecim annorum, vermibus refertum, cui pilulas exhibui. Mane cum reverterer, erat mortuus. Curavi ventriculum aperiri, inveni triginta tres vermes do-drantodes vivos, ori ventriculi adeo tenaciter inhaerentes, ut vix avelli potuerint.* Similia exempla legi possunt apud HENRICVM ab HEER & LANCISIVM *tr. de mort. subitan.* nec non apud RIVERIVM *L. 9. cap. 10.* Repentinæ ejusmodi mortis causam non aliam fuisse, quam syncopen invincibilem, a validiori cordis seu potius vaforum ipsi vicinorum constrictione derivandam, veri est simillimum. Ex quo intelligitur, quanta sit ad vitam servandam stomachi ceu nobilioris partis præstantia, ut igitur HELMONTIVS hac causa fuerit adductus, animæ sentientis ibi sedem collocare.

## §. XX.

## §. XX.

Sunt vero adhuc alia, atrocis stomachalis spasmi abditæ causæ. Nam ubi dolor indefinens est, & per multos trahit menses, ut carnem ac omnes demum vires consumat, labem ac vitium in partibus solidis subesse recte concluditur: quod etiam sectionibus post mortem institutis evictum habemus. Ita in tali chronico vitio, RIVERIVS, vid. *cent. 1. obs. 90.* scirrhum, totum pancreas, pylori ac duodeni principium ambientem, invenit. JACOBVS HOLLERIVS, *de morbis internis pag. 153.* de quodam narrat, qui febre, cardialgia, vomitu, torminibus ventris, dejectionibus pici similibus diu vexatus, tandem obierit. In cujus secto corpore inventum ulcus pustulatum in ambitu, quod tunicas omnes ventriculi, qua parte in pylorum est aditus, exedit.

*causa abditæ.*

*in partibus solidis vitiatis.*

## §. XXI.

Alia adhuc dirum hunc affectum generandi ratio ac via per metastasin est. Ita binis exemplis nobis constat, parotidum tumores in sexu muliebri non adeo exiguos, externis quidem applicatis evanuisse, sed brevi post cardialgiam cum angustia spirandi insecutam fuisse. Observatum quoque a nobis est, & hemicraniam, & cardialgiam inter se alternasse, ita ut cardialgia sublata hemicrania fuerit secuta, & postea, hac ipsa discussa, cardialgia redierit.

*a parotidibus retro-pulsi.*

## §. XXII.

Ceterum dolor ventriculi cardialgicus ex iis est morbis, qui, nisi diutius persistent, non facile necent, nisi accedat inflammatio: quare non sine periculo est, si aliis morbis præsertim febribus acutis & malignis superveniat. Perire enim HIPPOCRATES prodidit *Scil. IV. aph. 65. in febribus circa ventriculum fortis æstus & cordis morsus seu dolor malum est.* Porro etiam hic adfectus inter eos referendus est, qui certis & ordinatis temporum intervallis quandoque etiam inordinatis redit, & vel breviori, vel longiori

*Morbi decursus.*

tem-

tempore affligit, ac alio tempore mitior, alio vehementior est. Et uti ordinario fere cum frigore in dorso, horripilatione cutis, non raro etiam oscitatione & pandiculatione ejus accessio est, atque in vigore extremæ, inferiores maxime partes inalgescunt, adeo ut etiam calidum satis vehemens admotum vix percipiatur: ita hic dolor, non nisi calore redeunte in partibus extremis, calidoque tandem sudore oboriente per totum corpus, solvitur atque discutitur. Et uti sub frigore pulsus contractus & exiguus est, ita major & mollior sub declinatione fit: quod etiam evanescentis mali certissimum est signum.

## C V R A T I O.

## §. I.

*Indicationes  
quatuor.*

Quemadmodum sagax & peritus Medicus, nec certa ad morbum tollendum remedia commendare, nec una eademque semper via ac methodo in curando procedere debet & potest; sed opus habet, ut ad varii generis causas, ægrotantis naturam, & alias atque alias circumstantias, morbos antecedentes & symptomata respiciat: ita etiam in hoc gravi & periculoso morbo sanando, idem fieri debere omnino necesse est. Nihilominus tamen generales has medendi indicationes, pro scopo, per medicamenta succurrendi, tenere debet, quæ hæc sunt: primo, ut materia vitiosa vel mole vel acrimonia peccans, circa stomachum hærens temperetur, corrigatur ac demulceatur, blandeque per discutientia vel commoda evacuantia removeatur: secundo, atroces dolores, qui vires mirum quantum deprimunt, ne inflammatio succedat, sopiantur: tertio, si symptomata est, morbi primarii ratio habeatur, & quarto, ut tonus & robur ventriculi & intestinorum a dolorum & spasmodorum violentia labefactorum idoneis remediis restituatur & confirmetur.

## §. II.

## §. II.

Quia sæpius acidi pontici humores accumulati ac congesti in stomachi regione, bilem in duodeno diuturna mora porraceam, æruginosam & valde corrosivam reddunt, & ærodendo tunicas nerveas, præbent doloris cardialgici causam, idque non raro in hypochondriacis, nec non a nimia vinorum acidorum ingurgitatione & fructuum horæorum fermentatione evenit; solis utique absorbentibus, nec non acrimoniam demulcentibus, non adeo difficulter curam expediri posse experientiæ conforme est. Quo nomine pulveres qui lapides cancerorum, cornu cervi philosophice præparatum, conchas vel matrem perlarum, crystallum montanum vel melius glaciem Mariæ præparatam recipiunt, commendamus, præsertim si cum aqua carminativa leniter spirituosa exhibentur. Pertinent huc quoque ad infringendam & mulcendam acrimoniam ex rasura cornu cervi gelatinosa decocta probe saturata, decoctum avenæ excorticatæ, cum amygdalis dulcibus subactum & syrupo papaveris albi edulcoratum.

*Commendantur absorbentia.*

*demulcentia*

## §. III.

Ubi vero bilis valde acris sulphurea & calida, ab ira commota, causam hujus mali subministrat, consultum est, ejusmodi jam laudatis pulveribus aliquot grana admiscere nitri purificati pro doli; atque in decocto eos exhibere. Opus vero interdum est correctam bilem leniter per alvum evacuare. Experientia etiam crebriori didicimus, in hoc atroci adfectu, si a bile nimis calida ebulliente & caustica abortus fuerit, solam aquam puram & frigidam, per vices, usque ad mensuram dimidiam vel ultra haustam, tecto bene corpore & imposito stomachali regioni calido fomento, insigniter profuisse, ac subsecuto sudore per univrsum corpus, dolorem summo cum levamine discussum: eoque remedio acrimoniam biliosam non modo dilutam & temperatam, sed & nimium æstum

*nitrosa.*

*laxantia.*

*aqua frigida.*

depressum, ac denique ipsum robur, quod ingenti calore & dolore dejectum erat, quodammodo restitutum fuisse. Vidimus quoque, cardialgiam cum cholericâ passione junctam hoc unico remedio summo cum levamine conquiesse. Pertinet huc quoque insignissimus feri lactis, item emulsionum usus.

## §. IV.

*Post tertiam emeticam curatur.*

Non rarum nec insolens quoque est, post tertiam, anxium circa præcordia dolorem, cum insigni virium languore, ciborum fastidio, oris siccitate, & animi leviuscula defectione, lentoque calore interdum observari; quæ cuncta mala a bile acri & vitiosa, copiosius in duodeno, si virtus ejus motrix peristaltica sub morbo valde fracta fuerit, coacervata diutiusque stagnante produci, exinde demum intelleximus, dum leni emetico, verbi gratia, uno vel altero grano tartari emetici, cum sufficiente quantitate aquæ dato, effusa magna saburra, conquiesse protinus hæc omnia mala vidimus. Refertur huc optima ratione HIPPOCRATIS *Apb. XVII. Sect. IV.* meretur, qui, *non febricitanti, ubi cibi fastidium, cordis dolor, vertigo tenebrosa & oris amaritudo, purgatione per superiora opus esse, significat.*

## §. V.

*Vomitibus obviam eundum.*

Sique cardialgiæ biliosæ, quod sæpius fit, vomitio jungitur, liquorem anodynum nostrum mineralem cum aqua frigida fontana, vel aqua florum chamomillæ, millefolii, acaciæ, tiliæ, sambuci, liliorum convallium, primulæ veris, cum præsentaneo levamine exhibuimus. Sub hoc statu magnopere cavendum est, ne Medicus calidas essentias stomachales vel carminativas porrigat, neque crebriori calidorum infusorum usu ægrum maceret, quippe hæc omnia dolorem magis augment, quam minuunt.

## §. VI.



## §. VI.

Ubi vero intensus, pressorius, & gravativus stomachalem regionem diutius infestat dolor, isque a cruditatibus acido viscidis, firmiter ventriculi aut duodeni tunicis inhaerescens oritur, quod frequentissime in iis, qui ex morbo jam convaluerunt, ac qui etiam ab aliis causis infirmum habent ventriculum, evenit, tum utique alia curandi opus est ratione. Nam sub tali casu, medicamenta digestiva, & quæ salino oleoso & aromatico incidente ac roborante principio agunt, necessaria sunt: quo nomine probatæ & expertæ virtutis ea, quæ sequuntur, proponere & laudare volumus, ac primo pulverem qui ita habet. Rec. radicis ari, pimpinellæ, zingiberis, galangæ, flavedinis corticum aurantium, seminis cymini, macis, singulorum drachmam, sacchari Canariensis ad pondus omnium. M. f. Pulvis, qui convenienti dosi leniter cum vino optimo decoqui & propinari potest. Dein sequens se commendabit mixtura: Rec. Essentiæ cedoariæ, carminativæ Wedelii, spiritus de tribus ana drachmas duas, balsami nostrivi vitæ guttas XV. Interdum vero opus est, ut ante horum usum, colluvies vitiosorum humorum, si nimia est, blande per superiora educatur, præsertim si ad vomitum appareat dispositio. Verum tunc non facile ultra radicem ipecacuannæ ascendere licet: cum hæc non tam valide nervosas tunicas commoveat atque aggrediatur, nec post operationem, dispositionem ad vomitum relinquat, sicut ea quæ ex stibio parantur consuecunt.

## §. VII.

Ab hausto veneno caustico, item a nimis drastico purgante & vomitorio, si quis in hoc malum, quod vitæ sapius præsens minatur periculum, conjectus fuerit, tunc vix efficacius auxilium, ac in usu lactis recentis, item in oleosis, oleo amygdalarum dulcium, olivarum, sufficiente quantitate haustis, addita simul dosi theriacæ veteris expe-

*Qui ex cruditatibus oritur dolor aliter tractandus.*

*aliter qui ex veneno,*

Etandum erit. Præstat vero in principio tantum lac solum, five melius ejus cremorem sine theriaca dare, ne vomitus & secessus, quo sæpius optime venenum & corrosiva materia simul expellitur, nimis cito sistatur.

### CAVTELÆ.

#### §. I.

*Quomodo  
tractanda  
symptoma-  
tica.*

Quando cardialgia ceu symptoma, aliis morbis ut acutis vel etiam exanthematicis supervenit, quod rarius fit sine periculo exitialis inflammationis, tum pulveres bezoardici, cum aliquot granis nitri, & quarta parte vel dimidio grano camphoræ, ob vim blande diaphoreticam & discutientem, non carent usu eximio. Sed consulo ob auspiciatum & meliorem successum, ut cum emulsione, quæ ex amygdalis dulcibus, feminibus IV. frigidis, & semine cardui Mariæ, cum aquis florum præsertim sambuci concinnata est, pulveres dicti propinentur. Sique materia a superficie corporis retropulsa, veneni propemodum indolem referens, rursus ad extimam cutim releganda censeatur; liquorem nostrum anodynum mineralem, cum quarta parte spiritus Buffii vel tartari mixtum, & per vices pro re nata datum, adhibito simul conveniente & placido regimine diaphoretico, sæpe numero convenientissimum & proficuum invenimus.

#### §. II.

*Si a mensi-  
um defectu.*

Quando a mensibus subsistentibus, & represso inde sanguinis impetu ad præcordia, mali origo est, tunc utique venæsectio in pede celebrata, modo non fiat in paroxysmo, sed eo remittente, nec sub extremorum frigore, præsens & efficax auxilium præstat. Postea reliqua curatio, cum blande anodynis & discutientibus externe adhibitis, erit conficienda. Nos in omni dolore cardialgico, ceu peculiaris virtutis remedium, flores chamomillæ vulgaris

*Laudantur  
ex chamom.  
parata.*

garis

garis & quæ ex iis parantur, plurimum commendamus; cujus generis aqua florum chamomillæ, oleum destillatum delicatissimum verum, non cum oleo terebinthinæ adulteratum, in elæosaccharum redactum, item Essentia bene saturata cum Spiritu florum chamomillæ non adeo spirituofo & elæosaccharo ejusdem olei adornata, ad motus spasticos sopiendos, longe efficacissima. Spectat huc quoque extractum, quod cum aliis convenientibus, intra pilulas recipi potest. Vulgatissimum, sed revera valde probatum domesticum est decoctum chamomillæ florum, cum cerevisia vel jusculo avenæ excorticatæ, vulgo Haber-Grüh, addito præsertim oleo amygdalarum dulcium, calide per vires haustum.

## §. III.

Deinde in omni dolore cardialgico, clysteres ano infundere demulcentes & emollientes, nunquam non proficuum. Quales ex floribus chamomillæ, ex oleo horum cocto & destillato, item seminibus IV. carminativis parati, si ex lacte coquantur, sunt omnium optimi. Sed opus est, ut bis vel ter quandoque injiciantur, nam blando suo tepore demulcente, nec non rigidas fibras laxante ac emolliente facultate, ut in omnibus fere gravioribus doloribus, ita etiam in hoc, insigne levamen afferunt.

*Clysterum  
usus.*

## §. IV.

In præcordiali & gravi dolore quoque, nunquam non exterius epigastricæ regioni applicata idonea remedia, magnæ observantur utilitatis; & inter plura alia summam & mirabilem efficaciam eorum, quæ sequuntur, sæpius experti sumus. Inter quæ primum est linimentum, ita componendum: Recipe theriacæ, olei nucistæ expressi utriusque unciam, castorei, croci, balsami Peruvianæ ana drachmam, olei de cedro, caryophyllorum ana guttas XX, camphoræ drachmam dimidiam. Alterum sunt species quæ sequuntur. Rec. herbæ menthæ, florum chamomillæ vulgaris,

*Externa.*

Romanæ, sambuci, singulorum manipulum, baccarum lauri, juniperi utriusque unciam dimidiam, feminis cymini, carvi, caryophyllorum, nucis moschatae, ana drachmas II. C. C. D. S. Species quæ sacculo possunt includi & calide parti adfectæ applicari. Calor enim egregiam vim levandi & discutiendi possidet.

## §. V.

*Si a vermi-  
bus.*

Si vermes causam subministrant, tunc utique longe alia curationis est ingredienda via. Minime vero, si hospitium eorum est in ventriculo, fortiora anthelmintica, præsertim quæ acri, valida arrodente facultate, operationem suam exsequuntur, ut mercurialia, vitriolum Veneris, vel Martis, purgantia aloëtica, vel etiam salia alias non inutilia porrigenda; eo, quod hæc malum sæpius exasperent: sed potius lac tepidum, cum oleo amygdalarum dulcium sufficienti quantitate offerendum. Quæ demulcendo, escam pariter animalculis his, ne arrodant tunicas, præbendo aptissima sunt; maxime omnium vero, eam quoque ob rationem, quia, si tepide lac in magna copia hauriatur, ventriculi inversione tacta, ingrati isti hospites per superiora ejiuntur.

## §. VI.

*Hypochondriacis Carolina con-  
ferunt.*

Hypochondriaco spasmodicæ passioni obnoxii, crebro recurrentibus hisce anxiiis doloribus, per longum tempus premuntur. Quo in casu, omnibus aliis inaniter adhibitis, aquas thermales, præsertim Carolinas aliquoties usurpatas utilissimas observavi. Sed harum usus interdum reiterari debet. Hæmorrhoidalem fluxum inde secutum, maximo cum levamine, non semel experti sumus. Ceterum Elixir balsamicum nostrum quod viscerale audit, item quod in notis ad *Poterrum* descripsimus, cum essentia castorei remixtum, nec non pulveres temperati leniter nitrosi, antispasmodici, Venæsectiones æquinoctiales, in chronicis istiusmodi doloribus, magno sunt præsidio.

## §. VII.

## §. VII.

Qui cardialgicis passionibus sunt obnoxii in & extra accessionem a medicamentis quæ salinæ sunt naturæ provide sibi cavere debent: quo pertinet usus fontis Sedlicensis, quem plus noxæ quam emolumenti attulisse observatum a me est.

*Salia vitanda.*

## §. VIII.

Ad recursum perniciosi hujus mali impediendum, plura occurrunt notatu digna. Primo non facile, qui ad hoc malum sunt dispositi, purgantia præsertim acriora admittere debent: quia hæc natura sua, stomacho ejusque partibus infensa, ingentem, si crebrius usurpantur, infirmitatem relinquunt: qua nihil ad recidivas contrahendas pejus est. Præter hæc, motum humorum ad primam regionem ex aliis partibus alliciunt. Videndum tamen nihilominus, ut alvus semper maneat libera atque aperta, quod multo tutius fit, quando per alimenta id præstare aliam laboramus. Deinde contra frigus quam maxime & præcordialis & dorsalis regio, ubi ventriculus cum orificiis situm suum occupat, sufficientium integumentorum ope, munienda erit. Quam nocivum enim partibus nervosis, & morbis qui in earum debilitate consistunt, frigus sit, dici non satis potest. Vix autem eo perducere homines possunt, ut veritati huic fidem faciant, eamque intelligant. Denique, victum quod concernit, ab omnibus excessiva qualitate & intemperie præditis, nimis salitis, fumo induratis, pipere, allio, aceto conditis, raphano rusticano & huic similibus abstinere oportet. Vicissim majorem in modum commendamus jura gallinarum, ac carnis vitulinæ; & ut sibi a pingui carne temperent, imprimis quando potio frigida superingeritur, vel externo frigore stomachalis regio tangitur, suademus.

*Methodus præservatoria.*

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

*Cardialgia  
spasmodica  
ex animi  
affectibus &  
frigore, sæ-  
pius recur-  
rens.*

Femina honesta aliquot supra quinquaginta annos nata, habitus corporis spongiosi, succi & sanguinis pleni, vitæ sedentariæ addicta, decennio abhinc fluxum uterinum non amplius passa, venæsectionem binis vel ternis quotannis vicibus celebrans, vegeta atque continua sanitate utens; sex ante annos gravi & diurno animi moerore ob luctuosos familiam ferientes casus afficitur. Ab hoc tempore valetudo vacillare & molestissimus per quinque jam annos crebro redeuntibus paroxyfmis infestare cœpit morbus, a levi statim frigore dorso admissò vel ab animi commotione aut terrore originem mutuans. Morbi vero incessus hunc fervare plerumque suevit modum. Præcedit nimirum oscitatio, sequente narium, aurium nec non faciei frigore. Stringuntur dein fauces, tum gelu dorsum, manus ac pedes occupat, postea scrobiculus cordis pressorio, fixo & ardente dolore affligitur, qui extenditur ad ipsum dorsum ubi ventriculi orificium sinistrum situm est, imperialis tantummodo spatium implens. Adest præterea summa anxietas, inquietudine juncta; pulsus contractus, frequens & debilis micat. In lecto consistere nequit sed exsurgere debet. Ad alvum & urinam reddendam neque minus ad vomendum stimulum quidem perferunt, neutris tamen subsequenter. Inter omnia autem, quæ ægram acriter infestarunt symptomata, animadverti meretur illud, quod frigus quo dorsum corripitur adeo intensum sit, ut nulla, nec a calidissimo admoto lapide caloris percipiatur sensatio, quin sub brevi temporis delapsu illud fatis frigidum removeatur. Sed ad alvum firmiter clausam subducendam, clysteres emollientes & oleosi injecti sine effectu redierunt: neque flatibus per inferiora, neque ructibus per superiora exitus ullus, sive raro illud contige-

tigerit, fuit concessus. Tandem elapsis aliquot horis partes superiores primo, dein inferiores sensim incallescere ac madescere incipiunt; donec ultimo largus sudor prolicitur, & paroxysmus, quatuor vel sex interdum horas persistans hoc ipso solvitur. Sub decursu paroxysmi omnia fere remedia, cum primis sub frigore, ægra valde averfatur: conclave autem calidum, tegulas calidas & lintamina calefacta extremis præsertim partibus admota ferre quam optime potest. Calore corpori reddito pocula aliquot infusi Cossée cum liquore nostro minerali anodyno, quarta balsami vitæ, vel dimidiâ elixirii stomachalis parte mixto allūmit, quod unicum fere medicamentum naturæ ægrotantis conducibile reperi. Finito morbi impetu virium remanet defectus, & urina quæ modo in paroxysmo aquæ instar limpida comparebat, rubicunda crassum depiciens sedimentum prodit.

*Epicrisis.*

Affectus hic cardialgiæ chronicæ spasmodicæ nomen jure meretur. Neque enim ventriculi inflatio ab incongruis ingestis oriunda, siquidem ægra accuratiorem servare dietam consuevit, dici poterit: sed nervosum maxime genus affici atque compati & ortus & morbi progressus aperte loquuntur. Notatu enim dignum est, moerorem affectui originem dedisse, ac frigus demum & animi affectus eum excitasse. Animadverti quoque, morbum hunc paroxysmi febrilis pene typum æquare, a lumbari regione, ubi magnus mesenterii plexus situm obtrinet, initium sumere, ac nervosas corporis partes contrahendo, sanguinemque & humores ad cor & vasa majora repellendo tragoediam ludere. Accedit quod acceperim ab honestissima femina, ægritudinem esse hæreditariam, quæ matrem, matrisque sororem corripuerit, easque longo tempore excruciauerit. Ceterum consului, ut frigus o-

(*Hoffm. Syst. T. IV. P. II.*) Hh mni

mni modo vitaret, atque sedulo caveret, ne illud dorsum tentare possit, calidis idcirco pannis tegendum; ab animi quoque commotione nec non alimentis refrigerantibus quantum fieri possit abstineret. Quandoquidem & pulverem nostrum præcipitantem non bene ferre potest; elixirio autem stomachali cum liquore anodyno remixto, sæpius utitur, nec non infusum Coffee ter per septimanam bono cum fructu usurpat. Suasi denique ut corpus motu decenti sæpius exerceret, quia tum malum rarius affligere observavi.

## OBSERVATIO II.

*Cardialgica  
colica ex com-  
estione  
carnis assa-  
ta verveci-  
na & frige-  
re.*

Mulier parvæ sed obesæ staturæ atque plethorica, quadragesimum jam annum supergressa, cognatum invivendi gratia cum marito in propinquam civitatem iter fecit. Præter alia edulia carnem vervecinam pinguem assatam larga manu assumsit, cerevisiam triticeam, qua nequam alias fuerat usa, superbibendo. Vesperi sub aura intense frigida domum reversa, conqueri de anxietatibus & vehementi dolore circa præcordia cœpit, concomitante faciei & extremorum frigore, nocteque inquieta. Dolor non perstitit in præcordiali regione, sed per totum abdomen flatibus mire turgens se extendit. Alvus erat adstrictissima. Symptomata non modo nocte affligebant, sed die etiam sequente insistebant. Opponebantur huic malo varia ex domesticorum apparatu petita: panni quoque & tegulæ calidæ in usum extrinsecus tractæ: sed successus fefellit. Accersitus ego, agram inveni angustiis circa pectus valde molestatam ut spiritum ægre ducere potuerit, abdomine mire turgido, animique leviusculis defectionibus intercedentibus. Adstantes catarrhum suffocativum trepide metuebant. Ego singulis horis, duo pocula brodii tenuis ex carne gallinarum, una cum cochleare olei amygdalarum dulcium, additis X. liquoris nostri anodyni mineralis & V. bal-



balsami vitæ guttulis præbere iussi: post, enema, ex speciebus carminativis, oleis expressis, adiuncto stimulo salino paratum ano injiciendum præcepi. Præstabilem reliquerunt effectum, & flatus ac ructus αἴρω & κάρω non sine levamine successerunt. Tegulas valde calefactas removi, utpote qui non modo molestiam sed & doloris augmentum, ipsa id ægrotante asseverante, creabant: ast linimentum, quo inungeretur locus affectus, ex axungia humana, oleo destillato carvi & aliquot granis camphoræ substituit. Ad levandam, qua premebatur, sitim, infusum Theiforme ordinavi. Præterea vini calidi medicati ex infusione absinthii, corticum aurantium & macis parati poculum aliquando porrexi. Postero die potiunculam mannatam, ex mannæ uncis duabus, cremoris tartari drachma, essentia corticum aurantium guttis XX. & olei amygdalini dulcis aliquot cochlearibus paratam propinandam curavi: cujus operatio duas post horas clystere secundata. Quibus id consecuti fumus, ut ingens vitiosorum humorum colluvies, tam per superiora quam per inferiora, fuerit educta. Sudor denique per totum corpus erupit, & symptomatum vehementia DEO adiuvante sensim discussa. Ad recursum vero morbi præscindendum, ventriculi digestionem Pilulis nostris balsamicis atque elixirio carminativo adjuvimus.

*Epicriffs.*

Nihil ad ingenerandum ventriculi & intestinorum dolores ac flatulentias reperitur valentius, ac caro pinguis vervecina, superingerendo frigidum inusitatum potum, corpusque spongiosum excessive frigida auræ committendo. Erit autem enarratus affectus cardialgico-colicus recte dicendus, eo quod coagulum pingue in duodeno subsistens, ventriculum & intestina flatibus mire distenderit, atque a transpiratione prohibita serum acre redditum, tunicas earum vellicando & irritando, ad spasticas stricturas

magis sollicitaverit. Quæ cum in corpus plethoricum venæsectionis minus assuetum, sed eam maxime abhorrens, inciderint; tam atrocia malo se sociasse symptomata nemo mirabitur. Ceterum ut coagulatum in duodeno dissolveretur atque saluberrima transpiratio restitueretur, potus utique calidus erat præbendus: sicut ad discutiendos flatus vinum absinthites non in cassum fuit adhibitum. Hoc quoque instar cautelæ tenendum reputo, quod in abdominis doloribus qui ab inflationibus oriuntur, extreme calida partibus affectis applicare non semper sit consultum; ut autem extremæ partes blando atque temperato calore foveantur ego quidem auctor sum. In priori enim casu, flatus qui ab aëre rarefacto & intestinis incluso nascuntur, a calore externo, ut experimentis physicis edocemur, maiorem elasticam & expansivam vim acquirunt. Deinceps annotationem meretur, vitiosam materiam flatu in intestinorum canali excitantem nunquam feliciter ac etiam tutius quam lenioribus convenientibus laxantibus, & clystere una vel altera hora post iniecto eliminari posse; siquidem hac ratione primæ viæ non modo potentius a sordium inquinamento liberantur, sed flatus quoque versus inferiora ducuntur.

## OBSERVATIO III.

*Cardialgia  
flatulenta  
ex incon-  
gruorum ci-  
borum ni-  
mia ingur-  
gitatione.*

Quinquagenarius illustris, temperamenti sanguinei & animi excitati, ab anno & quod excurrit crebrioribus itineribus, arduis in officio Regis laboribus animique fatigationibus continuo detentus, sex ante menses febre corripitur continua biliosa. Qua curata, per aliquot vero hebdomades revertente, iterumque depulsa sanus egit atque incolumis. At vero iter denuo in Regia causa suscepit, fame atque vigiliis vexatus domum revertitur. Esuriens inter cibos reliquos hælecem salitam, cucumeres aceto maceratos nec non fabas coctas liberalius ingessit, melones quo-

quoque cum saccharo avidius assumfit, hausto infuper vino acidulis Tönneftenenfibus diluto; vefperi cerevifia triticea vulgo Dreyhan fat largam copiam, tabaci fumo fauces aridas ftimulante, ingurgitavit. Sic lectum ingreffus, anxietates circa præcordia perfenit, adeft fpirandi anguftia, inquietudo, virium defectio, cum fudore anxio frigido corpus totum perlucnte, adque vomendum ftimulus perpetuus. Haufit infufum Théè paulo calidius, atque ingentem crudorum ciborum copiam vomuit, periftentibus nihilominus vix tolerabilibus anxietatibus. Alvus tenaciter adftrieta nihil flatuum emittens, ad mingendum quoque ftimulus, urina tamen nulla effluente. Partes externas frigus obfidebat, atque pulfus exploratu durus & contractus erat. Vocatus in confilium, liquoris anodynî mineralis CXXV. guttas cum balsami vitæ guttulis L. in aqua frigida vini dimidia parte remixta propinavi. Sacculum deinde avena igne torrefacta repletum regioni epigafticæ applicare atque in lectum concedere ægrotantem iabeo. Elapfa vix quarta horæ parte per fuperiora pariter ac inferiora flatus ac ructus in maximum ægri folatium procefferunt. Factus quietus, fumtis aliquot infufi Théè poculis, calor in partibus extremis rediit. Anxietas demum evanuit, corpus fudore maduit, ac placido fomno inducto, ab omni dolore & morbo liber evafit. Poft hæc clyfterem carminativum applicandum curavi, a quo ingentem fordium copiam depofuit. Altero die ægrum accessi & faciem flavo colore tinetam inveni, urinamque bruni icterici coloris deprehendi, parca quantitate emiffam. Continuavi ufum liquoris noftri anodynî mineralis, fed longe parciori dofi, pulverisque præcipitantis, aliquot olei chamomillæ guttulis adjectis. Quibus fanitati in integrum reftitutus, mox rurfus iter officii caufa fufcepit.

*Epicrifs.*

Cardialgiæ huic atrocissimæ flatulentæ ansam supeditavit nervolarum partium imbecillitas ab animi & corporis defatigationibus, nec non a morbo præcedente contracta. Hinc balsamum nostrum vitæ blanda naturæque amicabili gaudens anathymiasî ad roborandum, & ad spasimum relaxandum liquorem nostrum anodynum, successu haud frustraneo porreximus; eo maiori quidem dosi, quo morbi vehementia potentiorè requisivit resistantiam: semper enim proportio inter vires medicamenti atque obistentes morbi seu potius causæ morbificæ debet intercedere.

## OBSERVATIO IV.

*Cardialgia  
spasmodica  
ex hamor-  
rhoid. frigore  
suppres-  
si, V. S. cu-  
rata.*

Princeps Serenissimus in quadragesimo ætatis constitutus anno, liberaliori & vinosæ diætæ assuetus ac sanguine turgidus, per aliquot iam annos sanguineam per fedis venas expertus erat excretionem. Instante fluxu quum corpus frigidiori aëri iusto diutius exponeret; insequente nocte & postero die, inquietudine, virium languore, æstu, cum pulsu celeri, nec non anxietate *cardialgica* premi cœpit. Jungebantur animi levis defectio, sitis inextinguibilis, abdominis tormina, alvusque dura & renitens. Clyster applicatus a flatibus statim & sine effectu repellitur. Offeruntur blande diaphoretica, nitro, castorei momento nec non cinnabari permixta, cum aquarum analepticarum vehiculo, sed nihil inde levaminis percensit. Secta in pede fuit vena, sed cum ultra quinque uncias sanguinis non extraheretur, parum inde auxilii consecutus; quin potius symptomata incrementa ceperunt. Nos sanguinis abundantiam manifeste cernentes, ad secundam venæ sectionem transeundam nulli dubitavimus: qua libra pene sanguinis e secta in pede vena fuit emissa. Adeo vero hoc auxilio adiutus fuit, ut mox circa præcordia dolor, ardor, anxie-

anxietas remitterent, noxque quietior esset. Tandemque exhibitis analepticis diaphoreticis, enemate emolliente, atque interne infuso mannato, ex toto cum sanitate Serenissimus Princeps in gratiam rediit.

*Epicrisis.*

Sanguinem in vasorum intestini recti & coli membranis stagnantem, spasticis stricturis, & facta hinc ad ventriculum translatione orificii ejus vasa infarcientem, cardialgicum excitare posse dolorem, enarrata hac morbi historia, quantum ego quidem memini, sufficienter edocemur. Præterea ex curatione a nobis instituta elucet, in corpore plethorico venæsectionem vel binis vicibus cum emolumento posse adhiberi. Postremo id quoque elici poterit salutare porisma: cavendum esse quam maxime iis, qui ejusmodi criticis obnoxii sunt hæmorrhagiis salutem portendentibus, ne circa vel in ipsa excretionem talia admittant, quæ turbare eam vel plane sistere valent; inter quæ, animi fortior commotio, terror præsertim, neque minus frigus externum, primas omnino ducunt.

OBSERVATIO. V.

Serenissima stirpe prognatus Juvenis vigesimum & sextum agens annum, carnosus & sanguine abundans, ex hæreditate a Serenissimo Parente in eum translata, jam tum hypochondriacis pathematibus ut & quandoque melancholia fuit affectus; a quibus mea opera, per DEI gratiam, binos ante menses immunis degebat. Suasi ut Carolinas adiret, antequam autem iter susciperet, quod hoc anno adhuc erat prætermissum, ut venam fecari pateretur. Neglecto a Medico ordinario quod omni diligentia inculcaveram monito, veloci cursu sub sole fervente iter suum perficiens appulit thermas. Egit noctem inquietam, atque

*Cardialgia  
spasmodica  
in plethorico  
sub astuoso  
caelo profi-  
ciscente, V.  
S. ter insti-  
tuta curata.*

que expergefactus fumma circa præcordialem regionem anxietate ad vomitum inclinante, extremorum frigore, internorum æstu, molesta corporis jactatione torquetur. Accitus ego tum temporis præfens, plethoram folvendam præcipio. Inftituta venæ feftio, fed chirurgo exiguam nimis aperturam faciente, fanguinis vix uncia paulatim profluxit: & Princeps novam incifionem admittere noluit. Hinc fymptomatibus exacerbatis, non in lecto confiftere potuit, fed noctem plane insonnem egit. Altero mane, iterandæ venæ feftionis neceffitate multis argumentis demonftrata, eo perventum eft, ut aperiri quidem venam fed non ultra quinque uncias educi permetteret. Verum nec tum fymptomata conquieverunt, utut remittere vifa fuerint. Dedi interea fanguinis impetuofum motum compefcencia: quo nomine liquorem meum anodynum, pulverem præcipitantem nitrofum, nec non emulionem ex feminibus IV. frigidis celebrem deprehendi. Quum vero ex toto ceffare malum nollet, pulfus eadem celeritate agitaret, atque nox inquieta perfifteret, multa opera impetravi, ut tertium, quarto videlicet ab inyafione die, venam fecari concederet. Detractis VIII. circiter uncis, præcordiorum anxietas, inquietudo, ac febrilis calor confeflim defuerunt immanibus tot doloribus maceratum Principem, non fine infigni ejus & adfiftentium exultatione. Atque appetitu, fomno, viriumque augmento redeuntibus, integræ fanitati divinæ bonitatis adjutorio fuit reftitutus.

#### *Epicrifis.*

Circa hunc cafum animadvertere quam maxime licet, fanguine nimium abundantibus vehementem & diturniorem motum subito & inprimis fub cælo æftuofò fuſceptum valde pernicioſum atque infenſum eſſe; ſiquidem fanguis copioſus inteſtina agitatione fortiter commotus valde turgeſcit, vaſaque diſtendens hinc inde ſtagnat atque

atque subsistit, graves suscitans spasticas strictiones pariter ac impetuosas ad partes congestiones. Similiter fieri observamus, quando corpora plethorica in balneum nimis calidum mittuntur, vel sudorifera fortiora cum regimine calido obtruduntur: nisi enim symptomatibus ingravescentibus mature solvatur plethora, graves & periculi haud expertes scenam ludent agritudines. Porro ex hac morbi historia docemur, quod immanes cardialgicæ passiones a solo sanguine intra membranas ventriculi stagnante, sine ulla vitiosorum humorum in ejus cavitate stabulante copia, excitari possint, atque unicum auxilium in sufficienti sanguinis detractatione repositum sit: qua neglecta vel insuper habita, nec præsentissimæ alias virtutis ad vincendum talem morbum remedia quicquam perficere posse, recte colligitur.

## OBSERVATIO. VI.

Duobus abhinc annis ex Anglia hic casus ad nos fuit missus & consilium meum requisitum. Illustrissima femina, triginta annorum, sanguineæ complexionis, ante decem jam annos gravissima laboravit hemicrania, qua usu thermarum Epsoniensium fuit liberata. Postea maritata, in ipso puerperio idem malum rediit, atque itendidem ope acidularum post aliquot tempus sublatum fuit. Verum non ita multo post, intolerabilis intestinorum invaluit dolor, per decem dies in inferiori eorum parte consistens cum tumore, qui etiam alvi depositionem valde difficilem reddebat. Ubi vero hæmorrhoides fluere cœperunt, sublevatus quidem dolor, sed inferior tumor alvi obstructionem efficiens remansit, atque etiam semper pressione thoracis, quæ fit in feminis per ligacula, increvit, qui tamen applicatione allii cum lacte levatus quodammodo fuit. Ab eo tempore labem contraxit ventriculus, ita ut a cibo minus salubri vel etiam copiosius ingestio, anxia compressio & constrictio circa præcordia fuerit secuta: quæ

*Cardialgia  
spasmodica  
ex plethora  
& hæmorrhoid.  
non rite fluctuantibus.*

in puerperio secundo atrocior reddita, licet carminativis & anodynis exhibitis quodammodo remiserit, tamen ex toto vinci non potuit. Hanc Medicus quidam expugnandam vomitorio promisit; sed tantum abfuit ut inde diminuta fuerit, quin potius incrementa majora ceperit. Neque vina medicata, neque laxantia, quæ in usum subjunxit, quicquam profecerunt. Optimum tamen levamen vinum Hungaricum, in quo cinamomum & caryophylli cum saccharo leniter coquebantur, ad duo pocula loco Thæe haustum, præstitit. Inde vero facies valde rubicundo pruriente tædii pleno colore perfusa fuit, qui sub graviditate multum remisit. In ipso vero subsequente puerperio tam atrox spasmus ventriculum & præcordiorum regionem per septem fere hebdomades indefinenter affixit, ut vires inde mirum in modum fuerint profligatæ, omniaque fere ingesta vomitu rejecta. Sedatus pari modo a vino Gallico Frontinac vel Hispanico quodammodo fuit sævus hic dolor. Interea spasmus primarum viarum semper continuat, adeo ut ab omni cibo, sive in coena, sive in prandio sumto, augeatur: ita, ut interdum caput & pectus constringendo, & abdomen comprimendo, afficiat. In scrobiculo cordis, circa dextri lateris costas spurias, dolor semper magnitudine ovi gallinæ percipitur, qui interdum remittit, sed sub ejus accessione, quam ira facile proritat, dorsum occupat & intensum languorem, externarum quoque partium tremorem inducit. Ceterum, hæmorrhoidum internarum tumor, cum alvi obstructione, continuus & fere indivulsus mali hujus fuit comes. Cerevisiam si assumit, ardorem semper cum dolore percipit, qui tamen sumta magnesiæ dosi mitescit; quare decocto ex mastiche & cinamomo parato, pro quotidiano utitur potu.

*Resolutio.*

Meum de hoc affectu ejusque causa & medendi ratione



tione tale iudicium fuit. Originem videlicet & causam tum cephalici tum cardialgici atque hæmorrhoidalis tumoris & doloris, a nimia sanguinis spissi & impuri redundantia, vasa sanguinea membranarum capitis, ventriculi & intestini recti, præsertim cum ibi non invenerit exitum, supra modum distendente & distrahente, in persona lautius absque dubio & nimis quiete vivente, ducendam ac derivandam esse putavi. De sanguinis missione nulla fuit mentio facta, quæ tamen summe fuisset proficua, perinde ac hirudinum ad venas sedis applicatio. Tempore gravidationis semper melius se habuit, quia supervacaneus sanguis in nutrimentum foetus assumptus est. Puerperium exactum, converso rursus per spasmos hystericos puerperis solennes impurioris sanguinis motu ac impetu ad consuetas imbecilliores nervosas partes, exacerbatio mali fuit secuta. Nihil omnino ad hanc causam removendam & eradicandam, neque emetica, laxantia, neque potus etiam spirituosi, licet levamen quoddam palliativum præstiterint, conferre potuerunt. Consilium dedi, ut ter minimum quotannis venæsectio in pede administraretur: dein, ut bis in anno curam cum aquis mineralibus institueret, utpote quæ etiam inter initia hemicranicum dolorem sustulerunt felicissime. Eiusmodi enim aquarum subtilium & spirituosarum ope, spissi & impuri humores corriguntur, diluti & fluxiles evadunt, excretiones salutares promoventur & partibus nervosis robur adiicitur, præsertim, si cura debito diætæ moderamine, motuque corporis decenti secundetur. Id quod nos etiam omni diligentia inculcavimus.

## OBSERVATIO. VII.

Tribus circiter abhinc annis, Consiliarius & No-Cardialgia  
bilis ex Livonia ad me valetudinarium suum statum per *spasmodica*  
scripsit, consilium meum efflagitans. Conquestus nempe *Carolini &*  
est de immuni dolore pressorio & spasmo circa præcordia, *Teplicensibus curata.*  
quo

quo jam per aliquot annos correptus fuit : initium sumens cum extremorum frigore , ab hypochondrio sinistro ad cordis scrobiculum , sternum , pectus , dorsum , imo ad brachia se extendens , cum spirandi angustia , inquietudine , virium omnium dejectione atque anxietate afflixit , quandoque mitiori gradu & haud diu insistens . Admotis fomentis calidis , injectis clysteribus , exhibitisque internis diaphoresin moventibus remediis , sensim redeunte ad partes externas calore , vis mali imminuta quidem vel sopita fuit ; attamen ex animi perturbatione aut frigore hyemali ad cutim penetrante , vel incongruo assumto potu ac cibo , promte & facile recruduit . Originem & causam hujus perquam molesti affectus intempertivis & immodicis venationibus , sub caelo rigido & frigido susceptis , nec non liberalioribus vini potationibus adscripsit . Nonnulli ex Medicis a defectu hamorrhoidalis fluxus mali causam accercentes , quem nunquam tamen expertus est , venam pertundi bis vel ter quotannis suaserunt : sed citra omnem salutarem successum . Exquisivit meam de usu Carolinarum sententiam . Ego consilium omnibus modis approbavi , eo , quod plures viderim simili affectu laborantes , qui non nisi interno horum fontium , externo vero Toeplicensium usu , ab atroci malo liberari potuerant . Adjeci illud , quod si stagnatio sanguinis in intestinis crassioribus exitum per venas sedis moliens causam praebeat mali , vix ullum praeter has dari neque mihi cognitum esse remedium , quo , si modo natura ad hamorrhoidalem fluxum inclinet , rectius & facilius promoveri possit . Scripti quoque post aquarum thermalium potum , balneum Toeplicense in ejusmodi partium nervosarum affectibus longe utilissimum me observasse . Mira enim est ejusmodi aquarum subtilium in infirmis nervosis partibus roborandis , in spasmo constrictis relaxandis , atque in sanguinis & fluidorum motu versus superficiem corporis determinando , efficacia .

cacia. Auscultavit Generosus & illustris patiens meo consilio : & antequam adiret thermas, direxit ad me iter suum. Vbi præscripto salutari regimine & idoneis atque necessariis medicamentis ipsum instructum dimisi. Quantum levaminis ab hac cura expertus fuerit, revertens dilaudare non satis potuit. Quum postea breviori tempore ac minori gradu accessio facta esset; altero anno, vernali tempore ipse rursus cum uxore petiit has thermas : & utrisque, tam externus quam internus horum fontium usus prosperrimo successu se probavit. Nam, quum per sex annos in sterili pervixerint coniugio, uxor gravida reddita pulchrum & bene valentem filium peperit. Ex medicamentis quæ ipsi suppeditavi atque postea transmissi, elixirii visceralis cum liquore anodyno permixti, nec non pilularum balsamicarum polychrestarum, item pulveris præcipitantis nitrosi cum aliquot guttulis olei macis vel chamomillæ veri conspersi usum & virtutes, non sine singulari commodo atque emolumento expertus est.

*Epicrisis.*

Eiusmodi affectus chronici & inveterati, non tam fluidarum, quam potius solidarum nervosarum & partium quæ motu & elatere præditæ sunt, nimix plerumque coarctationi debentur; quæ si in habitum & consuetudinem degeneraverit, omnia remediorum genera quæ humoribus corrigendis unice dicata sunt pene eludit. Hinc neque venæ sectiones, neque laxantia, purgantia, anodyna, diaphoretica, neque etiam diuretica, tali in casu usui sunt, ut potius malum sæpius adaugeant. Præcipuum vero auxilium in eiusmodi remedio, quod totam sanguinis massam omnesque partes solidas moderate & blande afficit, cujus generis fontes & balnea, est reponendum.

## OBSERVATIO. VIII.

*Cardialgia,  
ex frigore  
& intempe-  
rantia, Ca-  
rolinis, &  
recurrens  
balneo cu-  
rata.*

Vir triginta annorum, generosa stirpe ortus, robustæ alias naturæ & structuræ corporis; pectus & præcordia vix unquam commodis tegumentis defendit a frigore, sed linteis & levibus vestibus munitum libero aëri omni fere tempore exposuit. Præterea & ingluvici & poculis deditus, frequentius ad ebrietatem vinis varii generis se immerfit. His de causis acerbissimos sæpe dolores, distensionem, lancinationem cum inappetentia, vomitu, anxietate circa stomachi regionem est expertus. Enixe & anxie remedium a me petiit & quæsit. Misi identidem multa ad demulcendum dolorem interna & externa alias apta, sed speratus effectus non sequebatur, quia plane omnia diætetica respuebat præcepta. Tandem consilium dedi, ut thermas Carolinas & Toeplicenses adiret, iisque cum regimine debito uteretur. Et inde etiam levamen, cum ipse ibidem essem, inveniebat præsentaneum. Sed exiguo post curam tempore, inter initia autumnii, venationibus deditus, frequentius pedes & femora in stagna & piscinas dimisit. Inde valde refrigeratus; post varios cibos vinum in copia ingessit. Recurrit paroxysmus valde acerbis, qui etiam nundinis Lipsiensibus, me tum præsentem, tam graviter eum affligebat, ut omnem fere respirationem tolletet & partibus extremis sudore frigido perfusus, crebroque recurrentibus animi deliquiis, morti videretur proximus. Fomenta calida externa & apta remedia interna allevamenti parum attulerunt. Suasi ut in balneum sive potius semicupium ex aqua & lacte paratum descenderet, & perhoram imo amplius in eodem moraretur. Quo factò, postea in lecto liquorem anodynum mineralem cum dimidia parte spiritus Bussii remixtum ex aqua florum chamomillæ vulgaris propinavi. Tum sudore prorumpente id consecutus est, ut dolorum vehementia remiserit, alvus per aliquot dies clausa, iam soluta, & calor ad exteriora fuerit reversus.

*Epicri-*

*Epicrisis.*

Quam infestum sit frigus partibus nervosis, inprimisque regioni stomachali & præcordiali, vix credibile est; & plures suo damno id subinde experiuntur. Inde non semel sed sæpius asthma spasmodicum, affectum spasmodico hypochondriacum & dispositionem ad fluxum hæmorrhoidalem, sed minus rite succedentem, vidi excitatam. Id quod facile ii ex Medicis concipere possunt, quibus multa experientia cognitum perfectumque est, quantam consensionem & consortium inter se partes corporis universi nervosæ alant, adeo ut una læsa ad reliquas facile idem vitium transeat. Deinceps id quoque debet animadverti, quod vitæ aulicæ addictæ, Serenæ & splendide personæ, præ aliis omnibus, ventriculi & maxime cardialgicis passionibus expositæ sint; quia vitæ illud genus, quod ejusmodi personis est familiarissimum, cum exactam vitæ & diætæ rationem respuant ac perpetuo fere saluberrima Medicorum hoc in genere præcepta insuper habeant, ejusmodi morbis invehendis, materiam, originem & causam subministrat uberrimam. Possem multa recensere exempla illustrium imo Serenissimarum personarum, quæ fervidiore ætate glaciato potu, ita ventriculi & primarum viarum tonum atque inde bonæ digestionis opus destruxerunt, ut per omne pene vitæ tempus multa incommoda, quæ vix ulla medicina poterant tolli, circa præcordia perpessæ fuerint.

## OBSERVATIO IX.

Vir in vigore ætatis constitutus, nec tenerioris natura habitus, sed satis validi, in iram vero valde proclivis, occasione data, binis mox vicibus gravissima animi incandescencia adeo turbatus, ut frigore & horrore extremæ partes tentarentur; immani mox corripiebatur circa præcordia anxio dolore cum ardore & morsu in scrobiculo cordis, nausea & vomendi cupiditate juncto, totamque noctem

*Cardialgia, ex iracundia, ab assumpto vomitorio funesta.*

noctem transigebat infomnem. Hisce symptomatibus intra viginti quatuor horas maceratus, flagitabat a Medico vomitorium & quidem instantissime. Ille pulverem, qui tria grana tartari emetici continebat, porrexit. Inde paucam quidem & mucosam viridescens coloris materiam, sed summo labore & anxietate evomit. Poscebat aliam dosin, quæ ipsi etiam concessa, sed protinus omnia in deterius conversa. Associabantur continui ructus convulsionis quippiam præ se ferentes, sed nihil amplius rejecit. Præbui vocatus liquorem anodynum mineralem, & videbatur symptomatum atrocia mitescere & remittere per noctem. Sed ipse patiens impatientissimus, altero mane, ob alvum firmiter clausam, a flatibus hanc tragediam fuisse ortam reputans, petiit a Medico priori salis Epsoniensis unciam, quo ad alvum aperiendam alias frequentius fuerat usus; dedit, sed protinus priora symptomata multo atrociora revertebantur, & viribus omnibus collapsis intra tertium ab emetico diem e vita discessit.

#### *Epicrisis.*

Affectus iræ si vehementior fuerit, quam infestus sit universo generi nervoso maximeque stomacho, eum non modo spastica strictura dum afficit, sed & bilem in duodenum magna in copia effundit, gravissima atque haud infrequenter funesta, præsertim si non ocyus appropriata medicina majorum fomes præscindatur, quæ inde sequuntur pathemata fatis abundeque testantur. Et sicut tali in casu, lenissimo emetico, quod ex uncis duabus vel tribus olei amygdalarum dulcium, mellis uncia dimidia, & libra aquæ tepidæ paratur, ad spasnum relaxandum & vitiosam bilem vomitu exturbandam, remedium vix datur præsentius: ita vitæ nihil infensius nec perniciosius, præter emeticum vehemens e minerali regno petitum excogitari potest, præcipue, si primo statim post iram tempore porrigatur.

Plures

Plures novi hac ratione mortuos, non aliter ac si verum venenum arsenicale assumissent. Hac de re etiam peculiarem dissertationem: *de emetico post iram veneno*, ad præcavenda gravissima hinc inde illata damna, conscribere permotus fui. Lethalis enim & cum convulsionibus juncta ventriculi inflammatio, nisi inter initia statim congruis remediis occurratur, insequi consuescit. Postremo ex hac morbi & mortis historia hoc eliciendum duxi, quod, ubi ventriculus spastice afficitur, medicamina salina maiori dosi & sine sufficiente diluentium quantitate data, ad augendum potius quam minuendum dolorem & spasmus, stimulando nerveas fibras, sint apta atque disposita. Hinc in omni cardialgicarum affectionum specie, salini generis medicamenta semper disuadere solitus sum.

## OBSERVATIO. X.

Illustrissimus vir tenerioris & paulo sensibillioris naturæ, quinquagesimum ætatis agens annum, a longo inde tempore, cardialgica & fere quotidiana, tempore præsertim autumnali & hyemali, ex stomachi inflatione, corripiebatur passione, quæ inde suam trahebat originem: Ipse ob exsuperans prima in regione acidum, avidissime cibos justo majori quantitate in prandio præcipue cepit. Sed alvus semper pigra existens, nunquam recte respondit ingestis. Præter hæc, æstivo tempore fructibus horæis, fragis, cerasis, malis Perficis, præter omnem modum, autumnò vero uvis, & hyeme dulcibus se replevit, corpusque tegumentis idoneis minori diligentia a frigore defendit: omni posthabita diætæ ratione, & ex toto dictis Medicorum spretis atque contentis. Post sumtum cibum ad dextrum scrobiculi cordis latus tumor gallinaceum ovum æquans se prodidit: mox sequebatur spirandi angustia cum facie rubicunda & anxiis stomachi compressionibus, nec non extremorum frigore, ut in lectum concedere te-

*Cardialgia  
ab atonia &  
inflatione  
ventriculi,  
usu pil. de  
styr. chroni-  
ca fa. La.*

neretur. Admotis ventriculo & extremis partibus fomentis præcalidis, ructibus præcedentibus vomitu rejecit mucidam tantummodo materiam: post aliquot horas, reverso calore madido in superficiem corporis, a doloribus fuit liberatus. Ceterum Illustrissimus hic Vir interdum autumno catarrhosis defluxionibus cum gravi tussi & inquiete afficiebatur. Medici tum ad præstandum lenimen, dosin pilularum de styrace cum refracta aloëphanginarum dosi, repetitis vicibus porrigebant. Hinc mitiora quidem reddita symptomata; sed postea morbus præcordialis cum inflatione cardialgica, longe majora sumsit incrementa, adeo ut quandoque per integram septimanam graviter in lecto decumbere cogetur. Opem vero tunc temporis atque levamen sæpius insigne fuit expertus a leni emetico, dum ab uno tantum tartari emetici grano soluto & cum potu diluente sumto, magna saburræ & materiæ pituitosæ copia vomitu fuit rejecta: quæ obscuri bruni coloris cum esset, metum & suspicionem incussit sanguinis corrupti; cui etiam sententiæ Medici ordinarii suffragabantur. Sed ego postea accersitus cum rem penitius inquirerem, Illustrissimum Virum sæpius usum fuisse potu succolade reperi. Judicavi inde hunc insolitum colorem accersendum: & obfirmavit me experimentum a me factum, ubi materia incocta & carbonibus injecta, nullum foetidum odorem diffundebat.

*Epicrifs.*

Ex præfata morbi historia id saltem in usum suum Medicæ artis tirones depromere possunt, quod in tali cardialgiæ quæ ab atonia & inflatione oritur specie, doloris levandi causa, minime quæ opium ingrediuntur, ut sunt pilulæ de styrace, in usum ducenda, præsertim quando causam morbi vitiosæ & copiosæ ex prava digestionem provenientes cruditates subministrant. Nam utut hæc ipsa cum aliis corrigentibus permixta, in morbis ubi spasmodorum atrociam



trocia urget circumspecte data, locum invenire possint; tamen ubi robur ipsius ventriculi & primarum viarum deficit, & cruditatum ingens est proventus, nunquam, nisi augere velimus mala, præbenda sunt. Eiusmodi potius in casibus, quæ leniter provocant vomitus, educendo saburram vitiosorum humorum, utilitatem afferunt desideratissimam; quibus denique tonica & temperate balsamica interne & externe substitui possunt. Ceterum illustrissimus vir omnia remediorum genera aspernabatur, præter lapides canerorum quibus cum aqua fontana quotidie fere vesperi utebatur, nec non aquam analepticam spirituosam ex corticibus citri, aurantium, pomorum chinæ, cum vino Hispanico destillatam & iulepo rosarum dulcificatam, quam nonnunquam assumebat.

### CAPVT III.

DE

## DOLORIBVS ET SPASMIS PRÆCORDIORVM A CALCULO FEL- LEO ORTIS, ET DE EIVS GE- NERATIONE.

*THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

**S**ævissimæ quidem sunt passiones, eæque dolorificæ, quæ universum nervosarum partium systema vel maxime impetentes, totam motuum vitalium œconomiam pervertendo, a calculis in viis & canalibus urinariis suscitantur: sed non minoris sævitæ, nec minoris periculi sunt illæ affectiones, quæ a calculosis concretis intra cana-

*Calculi fel-  
lei sæviter  
satis affli-  
gunt.*

les biliosos contentis proficiscuntur. Uti vero interdum ægre admodum in ductibus qui consistunt urinariis calculi, ita longe difficiliore ratione biliosi dignoscuntur & dijudicantur, adeo, ut demum post sectionem atrocium variorum symptomatum, quibus per longum tempus afflicti fuerunt ægri, incognitæ causæ in sensus incurrant. Hinc quum frequentius, quam Medici communiter existimant, graves, pertinaces & vix explicabiles ab ejusmodi calculis foveantur dolores & spasmi, qui præsertim præcordia infestant; e re utique fore duximus, hanc in praxi medica utilissimam materiam speciali Capite includere.

## §. II.

*In homine  
crebrius re-  
periuntur.*

*Figura &  
color vari-  
ant.*

Primo annotare licet, quod in nullo animantium genere crebrius ac in humano corpore folliculus felleus calculis refertus observetur, & quod hi ipsi ratione figuræ, coloris, magnitudinis, consistentiæ, numeri mirifice inter se differant. Vix enim ulla in rerum natura reperitur figura, vix ullus color, qui non in calculis cystidis felleæ conspiciatur. Alii ovalem & rotundam, alii exacte cubicam, quidam triangularem, sexangularem, octoædrum, pyramidalem etiam recipiunt figuram: sunt, qui fabas, phaseolos, lentes, pisa, castaneas, tribulos aquaticos, nucem moschatam referunt. Mirum etiam in modum ratione coloris variare solent; sunt, qui cretacei, gypsei, ex albinocinerei, plumbei coloris observantur; frequentius flavescentes vel ex flavo rubicundi, bruno-nigricantes, nigri, viridescentes etiam interspersis maculis deprehenduntur; alii pluribus coloribus variegati; quidam exterius crusta cretacea & gypsea obducti, interius nucleum habent ex bruno-rubicundum.

## §. III.

*item confi-  
stentia,*

Ingens etiam est differentia biliosorum calculorum ratione consistentiæ. Quidam sunt friabiliore & molliore

res

res & tales sunt plerumque albi, cineritii & flavescetes valdeque leves; alii sunt magis compacti, solidi & graviores, & tales sunt quam maxime qui saturatiorem colorem habent ex flavo-rubicundum nigricantem, & hi sæpe lævigati & politi observantur. Licet vero ordinario plurimi lapides cystici aquæ iniekti supernatent, tamen solidiores & compactiores, quales sunt maxime lævigati & obscurioris coloris, submergi & fundum petere non semel observavimus. Deinde etiam sæpius vidimus, eos, qui leviores aquæ supernatant, si paulo diutius in ea detinentur, descendisse, forsitan quod in ipsis poris successive particulæ aqueæ sese insinuaverint. Neque hoc prætermittendum esse ducimus, quod lapidum qui supernatant fragmenta & minores portiones in fundum secedant, non secus ac in pumice, qui grandioris molis supernatat, in pulverem vero redactus descendit.

## §. IV.

Mirum etiam variat cysticorum calculorum magnitudo & numerus. Nam certa Auctorum probatissimorum fide & observatione constat, totam vesiculam a calculo ingentis magnitudinis, qui aliquot uncias pendebat, valde fuisse expansam & totam ejus cavitatem impletam: quin interdum in defunctis numero triginta, quinquaginta, octoginta, imo trecentos, quorum alii sunt majoris, alii minoris, alii mediæ magnitudinis, inveniri experientia docet.

*Magnitudo  
& numerus.*

## §. V.

In ductibus biliosis, qui immediate ex hepate vel intra vel extra ejus parenchyma proveniunt, concrementa etiam solida ex bile producta, in animantibus præsertim bovini generis frequentius, in humano vero corpore paullo rarius offendi, ipsa loquitur experientia. Dubio procul ob eam rationem, quia bilis hepatica longe liquidior, dilutior quoque est ac cystica, quæ crassioris consistentiæ

*In ductibus  
biliosis hu-  
mani vari-  
us offendun-  
tur.*

& saturatoris etiam coloris, nec non amaricantis saporis observatur: deinde, quia in ductibus hepaticis, ex quibus continuo in fatis notabili quantitate ad duodenum biliosus fertur humor, non tam diuturnam, quæ requiritur ad fluidi dissipationem & solidescens materiae concretionem, necesse potest moram. Si tamen, ut auctores testes sunt, ibi offenduntur, longe friabilioris & mollioris sunt consistentiæ, asperiores quoque, tubulosi ac flavescens.

## §. VI.

*Recensentur  
experimenta  
cum calculis  
felleis  
humanis  
facta.*

Experimenta, quæ cum calculis felleis ad eorum elementa & ingredientia paullo curatius pervestiganda & discernenda, instituimus, hoc loco recensere operæ pretium videtur. Primo observavimus, quod omnes illi, qui saturatoris & obscurioris coloris pauloque solidioris texturæ, sufficienter exsiccati, vel in massa, vel in pulvere, candelæ ardenti admoti mox instar resinæ lucidissimam concipiant flammam, & toti, exigua saltim relicta materia nigra & cineritia fere insipida, comburantur: illos vero, qui albi & cineritii coloris, gypseæ & cretaceæ materiæ erant, flammam respuere, vel leviter saltim eam suscipere & instar ceræ in lamina ferrea ignita fluere vidimus. Deinceps annotavimus, eos lapides cysticos, qui solidioris fuerunt texturæ & saturatoris coloris, nec a spiritu vini rectificatissimo, nec ab aqua, accedente etiam leni cõctione, dissolvi potuisse. Alio vero tempore a nobis animadvertum est, lapides cysticos, qui ingentis fuere magnitudinis & mollioris substantiæ, totam fere cystidis implentes cavitatem, ultra dimidium in aqua calida fuisse solutos.

## §. VII.

*cum calculis  
bovinis.*

Non indignum porro observatione est, quod qui in hepate ejusque ductibus in bove reperiuntur & eximuntur calculi saturate flavescens & friabiles, difficulter admodum

modum, vel exiguam saltem concipiant flammam, in nigrum vero cum fumo, qui crinium instar combustorum refert odorem, redigantur carbonem. Spiritus vini hisce affusus & leniori calore digestus, brevi tempore flavo colore tingitur & saporem valde amaricantem exhibet. In aquam calidam horum calculorum fragmenta injecta parumper dissolvuntur, sed saltim levis, flava cum amaricante sapore extrahitur tinctura.

## §. VIII.

Recens bilis ex vesicula bovis desumpta tribus uncis æquans, tam amaricante prædita est sapore, ut una guttula unciam aquæ amarore imbuere possit. Hujus uncia in vase stanneo leni evaporatione in extractum resiniforme redacta, drachmam vix unam largitur, cujus portio flammæ admota lucidissime ardet, dimidio præterpropter in cineres abeunte. In spiritu vini rectificatissimo ægre solvitur, optime vero in aqua atque etiam spiritu vini aquoso: color est flavus & sapor valde amaricans. Quodsi inspissatæ bili bovinæ liquidiori tenuissima argillacea & gypsea materia intime permiscetur, per exsiccationem exhibet massam paulo duriolem, quæ flammæ admota æque ac calculus cylviticus ardet.

*cum bile bovina.*

## §. IX.

His ita constitutis & accurate perpensis plane apparet, salia nec alcalia, nec acida, neque neutra vel tartarea, ut communis fert opinio, ad generationem & concretionem biliosorum calculorum concurrere; sed eos ex sulphurea paulo mucidiori bilis portione, intermixta plus minus teneriori glutinosa vel tophacea materia calore successive inspissata in durum quoddam concrefcere mixtum, & variam figuram, variumque, pro differenti partium mixtum constituentium positu & situ, recipere colorem. Nam salibus tantummodo haud proprium esse sub variis coalescere & concrefcere formis & figuris, id inter alia varii

*Salia non faciunt ad generationem calculi.*

& ele-

& elegantissime sæpius figurati lapides ex sola aqua calca-  
rea in cryptis & specubus subterraneis, ut sunt Baumanni-  
ana, Scharzfeldiana, guttatim stillante producti, luculen-  
ter demonstrant.

## §. X.

*Geneseos rã-  
tio.*

Genuinam autem tam diversæ configurationis & coloris in progignendis calculis cysticis rationem ac mo-  
dum expedite concipere atque invenire, non tam explica-  
tu promptum est ac facile, sed tamen possibile videtur. E-  
quidem, si consideramus longe crassiorem & saturatiorem  
quin etiam amaricantiorem esse, quæ in cystide detinetur,  
bilem, ac eam, quæ immediate ex ductibus hepaticis ad du-  
odeni cavum defertur, utpote quæ longe tenuior, liquidior  
minusque amaricans est: sique simul attendimus bilem, ex  
qua in ejus folliculo efformantur calculi, ex hepate etiam  
per minimos ductus, qui recte cystico-hepatici nominantur  
& in tunicam cellulosam cystidis finiuntur, in ejus cavitate  
itendidem liquidam & dilutam fieri; non aliam possumus  
durioris consistentiæ reperire causam, quam quod in homi-  
ne ob situm vesiculæ felleæ erectum biliosus humor non  
continuo flumine promanet, sed tum demum prorumpat,  
quando a ventriculo cibus referto ipsa premitur: hinc fit ut  
vacuo sub longiori inappetentia ventriculo diutius ibi mo-  
ram necere & stagnare debeat, atque interea liquidior ejus  
pars tum per ipsos etiam poros ejus tunicarum, quæ microscopio  
inspectæ oculis non aliter se objiciunt ac pannus In-  
dicus vulgo *Messel-Tuch*, foras propellatur, crassiori quæ facili-  
le in coagulum abire potest, remanente parte.

## §. XI.

*Figura &  
coloris.*

Prout vero bilis pro diversa indole & constitutio-  
ne feri excrementitii, quod materiam præbet, in tanta va-  
rietate corporum infirmorum, non unius ejusdemque est  
mixtionis ac craseos, sed plus minus partibus terrestribus,  
trophaceis & in coagulum abeuntibus, item sulphureis ma-  
gis

gis vel minus exaltatis, referta, hinc variæ inde resultant figuræ & colores. In cachecticis enim sæpius calculi gypsei albicantes inventi sunt, quinimmo in ipsis ictero chronico laborantibus, copiosa cretacea & gypsea, quæ dubio procul ductibus hepaticis insedit, per alvum dejecta materia, morbum sublatum fuisse binis observavimus exemplis. Ita etiam commemorant *M. N. C. Decur. II. anno VII. obs. 145.* materiam tophaceam in puero atrophia laborante cum alvi dejectione copiose fuisse educam, quæ instar lateris modo rufo, modo fusco, modo atro prædita fuit colore.

## §. XII.

Ad generationem calculorum biliosorum complures utique causas concurrere certissimum est. Has inter præcipuæ sunt ætas inclinans: rarius enim in hominibus ætatis florentis, frequentius vero in senibus decrepitis sexaginta, septuaginta, octoginta annorum cystidem pluribus & durioribus etiam calculis refertam fuisse, permultis observationibus confirmamur. Qui desidem agunt vitam & parum corpus exercent, præ iis qui mobile semper vitæ genus colunt, ad ejusmodi calculosas concreciones magis idoneos esse videmus. Sic quoque in feminis crebrius quam in viris reperiuntur. Quarum rerum hæ in promptu sunt causæ. Progressus sanguinis per venas meseraicas, per portæ venam & hepar, uti secundum naturam & consuetudinem semper paulo tardior & difficilior est quam in aliis visceribus: ita in iis, qui vitam colunt sedentariam, cuius generis præcipue sunt ætate confecti & sequior sexus, longe segnior & difficilior redditur; unde ob impeditiorem sanguinis per hepar progressum fit, ut partes aqueæ & fluidæ in vasa secedant lymphatica, remanente & sanguinis & biliosi humoris, qui ex eo separatur, crassiori substantia.

*Causa præcatarrhica*

*ætas*

*vita otiosa*

*tardior circulatio sanguinis.*

(*Hoffm. Syst. T. IV. P. II.*)

L I

§. XIII.

## §. XIII.

*Spirituosa.*

Porro ad horum calculorum frequentiorem proventum immoderatum spiritus vini item cerevisiæ crassioris usum plurimum conferre, non modo auctoritate & fide Cl. SYLVII constat, qui *prax. med. libr. 1. p. 302.* testatur, se ex hujus aliorumque potuum generosiorum abusu aliquoties icterum & huic succedentem asciten ut plurimum lethalem observasse, hepate scirrhuso multisque calculis & topis obsesso subinde reperto; sed & ipsa sana ratio id evincit: nam spirituosa inque primis spiritus vini, & chyllum & lympham & sanguinem ad coagulum quam facile disponunt. In laboribus enim chymicis ad crystallisationis negotium promovendum spiritum vini mixturæ affusum magnam vim habere, compertissimum est: præterea, potibus vinosis & spirituosis corpora nimis incallescunt, & dissipato liquido sanguinis & humorum increassatur massa.

## §. XIV.

*In feminis  
quingage-  
nariis san-  
guis spissus.*

Deinceps feminas post quinquagesimum annum, cessante mensium fluxu, calculis non modo urinariis sed & biliariis atque inde gravibus abortis symptomatibus tentari, identidem experientia docemur; cujus vix alia subest ratio, quam quod succrescente majori sanguinis in vasis copia, hic difficilius moveatur, & hinc inde subsistens fecedentibus partibus tenerioribus spissior reddatur. Nec rarius vidimus, eiusmodi feminas inexplicabilibus in epigastrica regione doloribus expositas fuisse, ita, ut morti vicinæ ob vehementes angustias & anxietates visæ fuerint, superveniente intenso subinde extremorum frigore, dictorumque symptomatum singulis diebus circa mediam noctem recurso, quibus accessit dolor in hypochondrio dextero ad totum abdomen interdum sese extendens, cum fædo ad flavum accedente, faciem totumque corpus deturpante colore; quæ tamen pathemata exclusis per alvum vel



vel sua sponte vel artis beneficio excrementis argillaceis prorsus quieverunt.

## §. XV.

Sunt vero varii & valde acerbi generis, quæ calculos ductibus biliariis inhaerentes comitari & insequi solent pathemata, ut etiam collective sumta & considerata, eorum præsentiam arguant. Ordinaria fere sunt: non vagus sed in una eademque sede, hypochondrio nempe dextro circa regionem hepatis defixus & constans, premens, gravativus vel etiam acutus cum foedo plerumque faciei colore, interdum ad epigastricam regionem & cordis scrobiculum sese extendens dolor; cujus certis intervallis tanta fit exacerbatio, ut tormina ac cruciatus totam abdominis cavitatem occupent, juncta plerumque inappetentia, nausea, conatu ad vomendum, circa præcordia anxietate, dolore cardialgico, animi defectione, alvo duriori & adstrictiori: quibus tandem dira & contumax optimis haud auscultans remediis accedit icteritia. Quidam afflictorum continuo ventris torminibus exagitantur & vitam per multos annos miserrime trahunt; plurima pars hydropere perit. In quibusdam gravativus, obtusus, profundus fatisque contumax cum sensu ponderis dolor perferentur, idque plerumque fit, quando mollioribus & minoribus calculis folliculus felleus valde distenditur.

*Enarratio  
pathematum*

## §. XVI.

Intensior vero & acutior si persistit & universum systema partium nervosarum in consensum trahendo vehementes spasticas stricturas, non modo circa partes vicinas sed etiam remotas, brachii nempe & artuum distensiones, convulsiones epilepticas, neque minus cum pulsu duro & celeri febrem efficit; indicium est, calculum & mole & asperitate insignem firmiter ductibus biliariis inhaerescere: ex quibus causis tandem fit, ut brevi mortem accersat.

*Dolor acutus quid indicet.*

## §. XVIII.

*Calculi per  
alvum se-  
cessur.*

Inter hæc vero omnia, quæ jam monuimus, signa, nihil datur certius vehementes a calculo felleo prognatas dijudicandi passiones, ac si ipsi cum excrementis per alvum secedunt; & tum non secus ac in calculis renalibus, quando hi ex ureteribus in vesicam fuerunt delati, omnes simul & semel dolores cum reliquis gravibus afflictionibus cessant atque expirant, ictero saltim excepto qui non simul sed sensim tandem evanescit, eo, quod bilis sanguini & lymphæ intime immixta non tam facile & expedite rursus e totius corporis sphaera discuti possit. Calculi autem hi, qui per alvum deturbantur, non unius ejusdemque coloris, magnitudinis & numeri observantur, atque etiam pro differenti horum ratione, sedem quam occupare solent, subindicant: Nam si sunt molliores, dilutioris, vel etiam tophacei & gypsei coloris, e ductibus hepaticis, quibus inhæserunt profectos esse haud levi argumento est: si vero minores, si asperi, si duriores, angulares & coloris paulo faturatoris, folliculi fellei hospites fuisse & per angustum illum canalem cum acerbissimis symptomatibus iter suum confecisse, haud obscure colligitur.

## §. XIX.

*Nulla sepe  
symptomate  
stipantur.*

*cuius ratio.*

Ceterum testantur observationes eæque non raræ, post mortem vesiculam fellis multis lapidibus refertam inventam fuisse, ubi & corpus a foedo flavo colore immune & ab aliis etiam gravibus passionibus liberum exitit. Cuius rei causam sine ulla dubitatione inde derivamus, quod calculi tam illi qui vesiculam felleam, quam etiam qui renum substantiam obsident, si quiete jacent, nullas valde sensibiles procreent molestias atque incommoda: quodcumque vero ita vel ratione sedis vel ratione molis & figuræ sunt comparati, ut nervosæ exquisitæ sensationis membranas vel ductus violenter lancinent aut distendant, protinus tota oeco-

œconomia actionum vitalium & animalium in universo corpore perturbatur. Idque non tantum fit, quando calculi per ductum cysticum ad cholodochum iter suum faciunt, sed & quando ipsa vesicula fellea, quæ membranis nervis sensibilibus ob dextri intercostalis nervi interspersas ramificationes, gaudet, a nimium aucto bilis coagulo vehementer & supra modum distenditur, tunc non secus ac in vesica urinaria, si ingentis molis quandoque ad sex vel octo uncias accedens, quale exemplum nuper habuimus, ibi hospitatur calculus, symptomatum acerborum caterva corpus obruitur. Legimus enim apud auctores spectatæ fidei, felleam vesicam tam grandem a copioso intus hærente solida materia fuisse deprehensam, ut naturalem magnitudinem vel triplum superaverit.

## §. XX.

Dantur etiam dolores & spasmi cum consuetis symptomatibus juncti ex calculis felleis oborti, certis periodis invadentes & repetentes. Ita notabilis est casus, quem B. PETERMANNVS in dissert. *de scrutinio icteri ex calculo vesicule felleis* recenset, ubi quidam ictero annuatim periodico cum doloribus afflictus est, qui vero post evacuationem lapilli baccae lauri similis cessavit: altero anno cum idem morbus rursus invaderet, exhibitis convenientibus remediis rejecti sunt per alvum plus quam sexaginta calculi flavescentes, quorum alii rotundi & laevi, alii angulosi & asperi, alii molliores, alii duriores fuere, magnitudine partim phaseolos & pisa, partim quoque lentis referentes.

*Dolores ex calculo felleo periodici.*

*METHODVS MEDENDI GENERALIS  
CVM CALTELLIS.*

## §. I.

Perspectis sic omnibus & singulis, quæ ad historiam hujus affectus, tum quoad causas & prognosin, tum

quoad eum dignoscendum faciunt, pertinentibus circumstantiis; sequitur nunc, ut etiam solliciti simus de accommodatis ad eum tollendum vel mitigandum saltem, vel ad eorum generationem præcavendam præsidiiis. Quemadmodum vero duplex semper morbis medendi via est; altera quæ in paroxysmo, altera quæ extra eum locum invenit, dum in illo Medici consilium magis ad symptomaticum, spasmodorum & dolorum ingravescentium mitigationem & allevamentum: extra paroxysmum vero ad removendas causas directum esse debet; ita etiam hanc in præfenti affectu locum obtinere existimamus.

## §. II.

*Spasmus fe-  
dandus ano-  
dynis & de-  
mulcenti-  
bus.*

Nihil itaque antiquius esse debet Medico, ac ut sæva illa, quæ a spasticis nervosarum partium stricturis circa præcordia & etiam partes vicinas excitantur, quodammodo leniantur symptomata; cui scopo obtinendo, quæ anodyna, demulcente & fibras nimis strictas relaxante virtute gaudent, egregie serviunt. Huius generis sunt ex pinguibus interne sumendis oleum amygdalarum tam dulcium, quam amararum, recens sperma ceti: externe vero pinguedo cati sylvestris, castorei &c. Ex demulcentibus lac, serum lactis dulce, emulsiones ex seminibus IV. frigidis, infusa vel decocta ex radice altheæ, herba parietariæ, floribus malvæ, papaveris rhæados, sambuci, quibus addi potest syrupus de althea Fernelii. Ex anodynis spiritus nitri dulcis rite præparatus, liquor anodynus mineralis, extractum croci, papaveris rhæados. Ex antispasmodicis pulvis ex lapidibus cancerorum, cinnabari & nitro paratus, cui tantillum extracti croci adjici potest, pulvis antepilepticus Marchionis, pulvis lumbricorum terrestrium, pulvis antepilepticus niger & qui ex rasura ungulæ alcis, crani humani, nec non lepore ex utero secto & exsiccato parari solet, præsertim quando ex iis cum aquis florum blanda anodyna virtute gaudentibus concinnantur mixtura.

## §. III.

§. III.

Externe epithemata & facculi ex emollientibus & carminativis speciebus parati, vel etiam vesicæ decoctis *Externis.* florum emollientium & paregoricorum repletæ partibusque affectis applicatæ, plane singulare dolorum & spasmodorum lenimen afferre solent. Expedit quoque ad dolores sopiendos clysmata ex lenientibus parata ano crebrius infundere, nec non alvum per blandum laxans, quale est, quod ex manna, rhabarbaro, agarico recenter trochiscato, cremore tartari & id genus aliis confici solet, leniter ducere.

§. IV.

Extra paroxysmum vero quiescentibus spasmodis & doloribus ad causam mali funditus evellendam, ad obturatos meatus felleos aperiendos & ad calculos, si ipsis firmiter inhærescunt, quantum fieri potest, extra corpus propellendos utique alia medendi via est. incunda. Ea enim, quæ strenua sua virtute iam dictos effectus præstant, in usum vocanda, cuius generis sunt infusa & decocta ex aperientibus, resolventibus, discutientibus & excretionem *aperientibus* promoventibus, vel ex aqua sola vel vino permixta parata v. g. radice rub. tinctor. graminis, asparagi, petroselini, pimpinellæ, aristolochiæ, curcumæ, cichorei, glycyrrhiæ; additis postea rhabarbaro, trochiscis de agarico, tartaro tartarificato, terra foliata tartari vel sale polychresto & syrupo de althea Fernelii. Quæ decocta, si convenienti dosi & longo satis tempore in usum ducuntur, in hisce affectibus debellandis magna vi gaudere, experientia & multis observationibus evicti sumus. Clariss. SYLVIVS in *prax med. Lib. I. Cap. XLV.* & ex eo Celeberrimi nominis Itali Medici LANCISIVS, item BIANCHI inter medicamenta calculos biliosos specifica quadam vi dissolventia, decocto *decocto rad. gramin.* radicum graminis, graminisque succum mirifice laudant

dant atque commendant, hac potissimum ducti ratione, quod boves & oves mense Maji, quo gramine viridi vescuntur, sensim ab omni crusta lapidosa liberentur, quæ tempore hyemali, ubi foeno nutriuntur, in eorum folliculo fellis concrefcere suevit.

## §. V.

*Rad. parci-  
ra brava.*

Præter hæc radix pareiræ bravæ haud ita diu ex Brasilia in Europam translata ad drachmas duas in libra una aquæ leniter decocta, potum admodum salutarem in omni calculo etiam in asthinate humido præbet, si tertia eius pars tribus singulis horis cum pauxillo sachari tepide bibitur: hac enim ratione icterum felleum cum torminibus & ingenti dolore stipatum intra viginti quatuor horas discussum in *P. Acad. Royal des Sciences Anno MDCCX. p. 76.* legimus.

## §. VI.

*Pulvere  
millepedum.*

Nonnulli etiam millepedes vivos vino infundendos & ficcatos in pulverem terunt & hos ipsos cum salibus neutris, ut sunt terra foliata tartari, sal polychrestum, tartarus vitriolatus & tartarisatus, solutio oculorum cancri, parca & refracta dosi ad obstructos hepatis meatus expediendos & ab omni biliosa amurca liberandos maximi faciunt. AVICENNÆ vero cura, uti in ictero chronico, a veteribus Medicis magni semper habita est, ita etiam eam in iis, quæ in meatuum biliariorum obstructione & bilis ad concoctionem ciborum necessarij præpedito affluxu, consistunt vitiis, locum habere posse haud dubitandum est. Verustissimus vero hic auctor lumbricos ficcatos cum vino albo & sacharo ad saporis gratiam sumtos plurimum laudat, vel etiam horum pulverem cum syrupo de byzantiis in pilularem redigit formam & crebrius vesperi propinat, postridie superbibendo serum caprillum, ex lacte a capris, herbis prius aperientibus, foeniculo, apio, petroselinio, rusco, lupulo, eupatorio, asparago, nutritis desumpto, relicta

*Cura Avi-  
cennæ.*

relieta ejus caseosa substantia paratum. Ceterum externis quoque leniendis gravioribus symptomatibus occurrere e re erit. Faciunt huc plurimum epithemata hypochondrio dextro applicata, quæ ex floribus chamomillæ vulgaris & Romanæ, herba scordii, absinthii & cardui-benedicti, aqua florum sambuci & vino rubro præparantur, si frequentius de die renovata admoveantur.

## §. VII.

Hæc vero omnia quando inaniter & incassum longo tempore usurpata fuerunt, ultimo tandem spes est sanitatem recuperandi in aquis medicatis naturalibus tam thermalibus, quam etiam sic dictis acidulis; inter quas celebrioris famæ & effectus sunt thermæ Carolinæ, Aquigranenses, acidulæ Egranæ, Pyrmontanæ, quibus certe magna & efficax virtus inest rebelles chronicas, quæ ab obturatis & crasso humore sætisvisceribus, præsertim hepate, proveniunt, persanandi passiones, si corpore prius probe præparato, soluta nempe plethora, vel cacochymia attemperata, debito regimine tum interne tum externe adhibentur.

*Ultima spes  
in aquis me-  
dicatis.*

## CVRA PRÆSERVATORIA.

Cum in superioribus dilucide satis ostensum sit, quam gravia & sæpius funesta calculi fellei, præsertim si exitum per angustos & valde sensiles canales nerveos moliantur, excitent symptomata; circumspecti nunc erit Medici, ut, ubi in corpore ad eos progignendos dispositionem invenerit, id omnibus modis impediatur. Quod nostra quidem sententia vix rectius & meliori successu fieri poterit, ac si diligenter ad progressum & cursum sanguinis per mesenterium, per viscera abdominis inprimisque per hepar attendat, an liber ille ac integer, an vero difficilis & præpeditus sit; quandoquidem ex hoc, tanquam ex fonte sicut pluri mi hepatis morbi, ita etiam calculosæ concrectiones in hoc

*(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)*

*Præserva-  
tio libero  
sanguinis  
circulo per  
viscera obti-  
netur.*

viscere proveniunt. Nam quo spissior est sanguis & serum multis glutinosis partibus refertum, eo bilis ad coagulationem magis prompta atque proclivis est: & quia graves illæ chronicæ passiones, cachexia, hydrops, icterus, asthma hydropicum ex retardato sanguinis per hepatis viscus progressu identidem nascuntur, non mirum est, in corporibus, quæ eiusmodi morbis defunguntur, passim id testantibus observationibus, concreta calculosa in folliculo felleo vel etiam ductibus biliariis inventa fuisse.

*Quæ bufciant.*

Quicumque itaque ex Medicis hos morbos prudenter avertere vult, is eiusmodi remedia præscribere & in usum ducere debet, quæ in genere morbis, qui ex vitio hepatis nascuntur præcavendis dicata sunt, cuiusmodi sunt fontes medicati & minerales, item potus diluentes, ut serum lactis cum convenienti regimine, sufficienti motu & exercitatione corporis usurpati, nec non medicamenta, quæ tenaces viscidos humores dissolvunt, & acidum, quod fere omnis coagulationis principium est, destruunt, uti sunt decocta ex radicibus quinque aperientibus, præsertim si cum sale polychresto, terra foliata tartari, nitro acuuntur, item elixir temperatum viscerale cum æquali parte essentia rhabarbari saturata permixtum, cujus frequentem usum in ejusmodi morbis hepatis præcavendis non modo tutissimum sed & efficacissimum semper deprehendimus. Præterea tempestive instituta sanguinis missio, potus sufficiens, temperatus & modicus victus, parciore cerevisiæ crassæ, vini, spiritus vini ac calidorum medicamentorum purgantiumque usus, sicuti nunquam non a molestis & chronicis passionibus, ita etiam a præfatis hepatis morbis corpus egregie vindicant.

*Calculi fel-  
lei in ple-  
thorico Ve-  
na sectionis  
experte.*

#### ENARRATIONES MORBORVM.

##### OBSERVATIO. I.

Vir generosus sexagesimum & sextum iam supergressus annum, sanguine & succis plenus, lautæ & vinosæ diætæ



diætæ assuetus, iam fere per decem annos dolores modo ex calculo, modo podagricos est expertus. Ante aliquot annos immanes dolores accesserunt circa vesicæ regionem cum ingenti gravitatis ibi sensu, qui suscepto corporis motu augebatur. Aderat simul titillatio circa pubem & perineum, & veluti stillicidium sequebatur urinæ, ut vix potuerit inhiberi: stimulus quoque ad alvum deponendam persentiebatur, atque urina prodibat alba, turbida, cui sedimentum mucosum inerat; interea dolores nephritici & podagrici conquiescebant. Ager immensis fractus doloribus & viribus sensim privatus ac emaciatus tandem supremum diem obiit. Dissecto post mortem corpore, lapis in vesica VIII. uncias pendens inveniebatur, & pelvis renis sinistri, lapidem firmæ instar marmoris consistentiæ drachmas VI. pondere habentem involvit; in cystide vero felleis plus quam LXX. minoris vel maioris magnitudinis calculi deprehendebantur, quorum nonnulli tam pulchre lævigati, politi, variegatique erant coloris, ut iaspidum instar annulis aureis a curiosis includerentur.

*Epicrisis.*

Retulerunt mihi de hujus ægri statu, quod averfatione quadam naturali nunquam venæ sectionis remedium passus neque etiam inclinante ætate, sanguinis excretionem natura molita fuerit, quam tamen in iuventute pernares frequentius fuit expertus. Relatum quoque accipi, quod pater eius podagricis & nephriticis doloribus sæpius fuerit tentatus. Quibus circumstantiis probe animadvertis, haud sine ratione colligi poterit, nimiam sanguinis & succorum exsuperantiam, in corpore, per nativitatem hæreditario quasi iure imbecillitatem ad calculum trahente, præsertim sub quieto reddito vitæ genere & intemperantiori vini usu, adeo numerosæ calculorum concretioni, non modo qui in vesica & renibus, sed & fellea cystide delituerant, primam originem & causam submini-

strasse. Sententia in hac ego confirmor exemplo celeberrimi nominis Archiatri, qui cum per totum vitæ cursum ab omni sanguinis missione, per plures annos calculosa nephritide laboravit, cui tandem accessit icteritia; ad quam tollendam dum præscriberentur mixturæ vi aperiente & laxante pollentes, septem per anum calculos exclusit. Ex quibus demum id in usum præservatorium ad dictos morbos avertendos colligere licet, quod venæ sectio in statu plethorico neglecta, ad procreandos dictos aditum patefacere possit morbos, tempestive autem admissa, corpus ab iis vindicari queat. Discere etiam id ex commemorata morbi historia licet, plures in fellea cystide calculos sine incommodo & dolore consistere posse, modo non affectent exitum per angustos canales, quorum nimia & violenta distensio tot gravissimorum & pene lethaliū symptomatum vera & genuina causa unice evadere potest.

## OBSERVATIO. II.

*Calculi fel-  
lei in hydro-  
pico & icte-  
rico, vomitu  
reiecti.*

Primarius huius urbis civis, sexagesimum iam quintum agens annum, ictero & tumore hydropico laborabat. His plura remediorum genera frustra opponebantur. Tandem Medicus huius loci infusum corticis medii sambuci ex vino, paulo largiori porrexit dosi: inde factum, ut a medicamento & vomitiones & alvi deiectiones strenue concitarentur, & quod valde erat notabile, per ipsum vomitum successive numero viginti lapides ex flavo viridis coloris, diversæ magnitudinis, valde latæ superficiæ, figuræ tam quinquangularis quam angulosæ, drachmam vel unam & dimidiam ponderantes, quorum ego adhuc aliquot in rarithecio meo recondo, reiecti fuerunt; idque sine præcedentibus lateris dextri torminibus. Cessavit inde quidem icterus, sed remansit tumor hydropicus, qui etiam augmentum sumens, laborantem e vita sustulit.

*Epicri-*

## Epicriffs.

Id maxime præfato in casu memorabile atque consideratione dignum videtur, quod sine atroci dolore præcedente, ex tam angusto nerveo canali, qualis est cysticus, tot numero lapides tam insignis magnitudinis & figuræ potuerint propelli. Ego itaque in hanc deveni meditationem vel potius coniecturam, quod in ipsius duodeni flexura eiusmodi lapides a bile crassiori & terrestriore successive concrefcere & progigni potuerint. Nam quod in ipsis intestinis, præsertim ubi in flexuram abeunt, variæ formæ & magnitudinis calculi ex præterlabentibus humoribus apponi & compingi possint, id non pauca a fide dignis auctoribus memorata exempla testatum faciunt. Neque prætereunda hanc in rem est animadversione dignissima observatio, quam Cel. LVC. SCHROECKIVS. M. N. C. Dec. 1. ann. IX. inseruit, ita se habens: *Mulier annorum septuaginta quinque de veniris torminibus, flatibus, ac aliis passematibus hypochondriacis sæpius conquerens, respiratione subinde, ad suffocationis metum subsequenter animi deliquiis suppressa, ita ut de vita eius actum esse adstantes iudicarent, subito in colo obtusos persentiebat dolores, sensim adeo incrementos, ac intestinum rectum lancinantes, ut præ atrocitate doloris disrupturam ani pertimesceret, donec tandem calculum valido conatu, divaricatis cruribus stando deponeret, ponderando unciam cum drachmis duabus, color erat castalinus eleganter lævigatus & potius ex cinereo flavescens variegatus, ex lamellis aliorum calculorum more sensim conerescentibus constans: interna substantia meros ostendebat circulos striis intersectos; indicio baud obscuro, eum sæces intestinales esse induratas.* Pertinet huc quoque similis observatio FERNELII quam *lib. VI. c. IX. de partium morb. & symptom.* prodidit, calculos in intestini coli, cœci valvulis fuisse repertos referens. In equis grandes lapides libram & ultra pondere æquantés, instar marmoris

duros & politos, in flexuris intestini coli inferioris, Altenburgi & nuper in pago Herrn-Gosserstädt fuisse repertos & mihi monstratos testari plena fide possum. Ceterum de calculis in intestinis progenitis SYLVATICVS *Cent. III. Consultat. VII. it. ZACVT. LVSITANVS lib. III. prax. admirand. obs. 133.* haud parum luculentum testimonium exhibent. Nihilominus non plane etiam incredibile est, in ductibus biliariis hepatis minimos felleos calculos primum posse harere, sensim a præterlabente bile augmentum capere, & successiva horum ductuum ingenti dilatatione facta ibi diutius subsistere, donec per valida medicamenta fortiorem systolen ductuum intendentia expurgentur: atque in hanc sententiam ob eam rationem deduci quispiam poterit, quod statim a rejectione lapidum per vomitum icteritia sublata fuerit.

## OBSERVATIO III.

*Intolerabiles dolores a calculis in cystide.*

Ante aliquot lustra artifex ensifaber, per integrum ante obitum biennium de intolerabilibus & fixis moribus, doloribus, ardoribus circa præcordia in dextro hypochondrio, quasi ignitos in corpore aleret carbones, conquestus est, qui totum sæpe abdomen acerbissimis tormentis occupabant, cum foedo faciei colore, animique deliquio intercurrente. Post mortem eius vesica biliaria tota erat calculis repleta: nam ultra sexaginta sex grana, partim pisa, partim globulos referentia, bilis coagulata & lapidescentis continebat. Circumjacentes vero partes, præsertim intestinum colon, nec non pars duodeni cum pyloro, item ventriculi fundus foedo flavo colore tinctæ conspiciebantur, earum tunica exteriori corrosa.

*Epicripsis.*

Sævi dolores & tormenta, quæ circa hepatis regionem in dextro hypochondrio fixam sedem habent, non tam a calculo quam potius ipsa bile, per poros, cum non liberum

rum habeat exitum, transudante & partes circumiacentes arrodente oriuntur. Legi meretur de hac re STALPARTVS *van der WIEL cent. I. observ. XLVII.* qui in apertis infantum cadaveribus, ventris doloribus, nausea, vomitu, febre ac convulsionibus, nec non cardialgia correptorum ventriculum non intrinsecus sed & extrinsecus bilis flavo colore infectum se reperisse, fidem facit.

## OBSERVATIO. IV.

Aliquot abhinc annis requirebat a me consilium honesta femina quadraginta & aliquot annorum, quæ a multo inde tempore pathematibus hysteris cum suffocatione iunctis erat obnoxia, quandoque etiam incidebat in icterum recidivantem, modo longiori modo breviori tempore perseverantem, sub lauto victu, otio quoque maximam vitæ partem transigebat: vacationes mensium & hæmorrhoidum quibus subiecta erat, parcius & non statim tempore procedebant, corpusque ingravescere subito & ex improvise cœpit. Intolerabilem in dextro latere & sub costis spuriis sentiebat dolorem cum nausea, vomendi conatu, vehementi præcordiorum anxietate, spirandique ad suffocationem difficultate: circa scrobiculum cordis persistebat dolor vehemens pressorius, qui etiam ad umbilicalem usque se extendebat regionem. Alvus erat obstructa, urina suppressa, pulsus cum æstu celer & noctu levi delirio corripiebatur, summaque aderat corporis iactatio, inquietudo cum extremorum frigore: quæ cuncta, per biduum, mala & tormenta persistebant. Supposito clystere fæces instar albi græci secedebant. Datis pulveribus anodyno - antispasmodicis & infuso florum chamomillæ vulgaris, potibus calidis oleo amygdalarum dulcium alteratis & fotu emolliente in vesica suilla loco affecto appposito, remissio symptomatum sensim sensimque facta, secesserunt fæces naturali colore tinctæ, & abdominis quoque dolorifica distensio

*Sevissimi dolores in hypochondrio dextro ab amurca biliosa.*

stenfio atque inflatio, leni oborto sudore interiectis aliquot diebus fuit discussa. Sedato morbi impetu per vices potio, quæ constabat ex rhabbaro, radicibus quinque aperientibus, radice curcumæ, summitatibus centaurei minoris, agarico trochiscato, terra foliata tartari, femine foeniculi, tartaro tartarifato, & nitro purificato ex aqua summitatum millefolii & vino propinata. Ita sensim magna copia crassarum biliosarum fæcum fuit educta, ægri optata virium cum tolerantia. Quæsitum a me fuit, quænam ad recidivam tam immanis dolorifici affectus præcavendam essent utilia remedia; & num instante vere acidularum potus conveniens sit? In responso ego causam atrocis huius doloris & insequentium symptomatum non quidem a lapide solido & compacto, sed amurca biliosa ductum cholechodum obturante, & bilis ad duodenum progressum retardante reponendam esse iudicavi, eam ob rationem, quia mihi similes in praxi casus obtigerunt, ubi ipsis calculis per sedem reiectis mox omnia gravia conquieverunt symptomata. Ego vero potum acidularum Egranarum, præsertim si calidæ bibantur, summe proficuum iudicavi.

*Epicrifs.*

Male affectum in hac nobilissima ægra iecur esse ibique sedem ponendam huius subitæ & dolorificæ affectionis, ex hisce causis iudicandum censui: quia non semel sed aliquoties icterum perpeffa; dein quod sub paroxysmo alvi scybala reiecta fuerint: tum, quod sub otiosa vita & lautiori victu, præsertim ubi vacuationes per hæmorrhoides & menses non rite succedunt, quam facile obstructions in hepatis vasis, quæ calculorum generationi velificantur, fieri possint. Et utut non semper mitescendo malo calculi sub forma ejciantur duri & solidi, suffecerit tamen, quod materia biliosa tenax, ad concrefcendum valde apta, similem in obturandis ductibus effectum ac calculus verus, quando  
exitum

exitum per angustos canales molitur, producere valet, quæ si ad cavitatem intestinorum delata cum reliqua vitiosorum faburra rejiciatur, dolor conquiescit. Quod vero hæc affectio morbosa comitem non habuerit icteritiam, inde deducendum puto, quod obstructio illius ductus non diu perseveraverit. Tandem etiam & illud monendum existimo, quod calculi fellei, si minoris fuerint molis cum facibus insensibiliter sapius projiciantur.

## OBSERVATIO. V.

Aliquot ante annos, contumaci icteritia, Vir Amplissimus annorum quinquaginta, tenerioris corporis & melancholici sic dicti temperamenti, laborabat. Dolor fixus erat circa jecoris regionem lacinatorius & pressorius. Quotiescunque quippiam ore, sive alimentum, sive medicamentum assumebat, summa circa præcordia insequente anxietate, vomitu mox omnia rejiciebat. Totum corpus flavo foedo colore tinctum conspiciebatur, fæcesque grysei coloris prodibant. Ego in consilium accitus, tum ad sedandum dolorem & spasmus, tum ad roborandum ventriculum efficacia alias remedia præscripsi; sed nihil opis tulerunt. Ex omnibus tamen arcanum duplicatum, minori sed repetita dosi, item liquorem nostrum anodynum, ex aqua ceraforum nigrorum exhibitum, citra offensam ferre poterat. Extrinsecus jecoris regioni epithema ex vino rubro, in quo coquebantur, herba absinthii, flores sambuci & chamomillæ vulgaris ac Romanæ, crebro imponebatur. Interne emulsiō ex seminibus IV. frigidis, amygdalis dulcibus & amaris, semine papaveris albi cum aquis florum confecta, per intervalla frequentius fuit propinata. Ita sensim mitescebant dolores atque symptomata, urina instar crassæ cerevisiæ rubra prodibat & alvus sponte aperiebatur, ac quod valde notabile erat, fæces secedebant albæ, tophaceam & calcaream minus solubilem substantiam referentes, cuius

*Dolor fixus  
in regione  
hepatis ex-  
creta mate-  
ria tophacea  
sedatur.*

jusmodi dejectiones cum difficultate per septimanam fere spatium continuabant. Quod naturæ beneficium, leni laxante ex rhabarbaro, manna, & cremore tartari secunda-  
vimus, subjunctis postea medicamentis temperate balsami-  
cis. Ita intra mensis spatium cura fuit feliciter abso-  
luta.

*Epicrisis.*

Nobilissimus hic tenerioris & melancholicæ con-  
stitutionis vir, in officio valde laborioso, quod sedentari-  
am vitam atque ingentes mentis contentiones & fatigatio-  
nes exposcebat, erat constitutus; & quum multo jam tem-  
pore ventriculi imbecillitate & ex hac proveniente lenta  
febre laborasset, ceteris nihil proficientibus, tandem a me  
leni emetico hæc fuit evicta, quo ingens vitiosa & corrupta  
bilis copia educta. Non mirum proinde est, eum in-  
cidisse in talem hepatis morbum. Illud vero in hoc casu  
explicitu difficile admodum videtur, unde copiosa illa gy-  
psea materia alvo exclusa prognata fuerit, ubi sedem ha-  
buerit, & unde ejus color albicans subortus? Si conje-  
cturæ rationali tamen locus est, crediderim in ductibus  
hepaticis eam in principio hæsisse, productam ex bile ter-  
restribus fixioribus particulis referta, pinguioribus vero  
oleosis destituta; quæ postea ad ductum cholodochum  
delata, eum obstruendo memorata concitavit symptoma-  
ta; quandoquidem ego hac in sententia sum, multum bi-  
liosum humorem, ratione materiæ & ingredientium ex qui-  
bus componitur, pro corporum dispositione & maxime sta-  
tu valetudinario variare, adeo ut varii generis impuritates  
ipsi sæpius immisceantur: & ab hac causa omni procul  
dubio etiam, tanta ratione magnitudinis, coloris & confi-  
sistentiæ in calculis diversitas, & tam valde differens biliosi  
humoris actio & operatio nervosis partibus plus minus  
infecta ducenda & derivanda venit. Postremo illud hoc  
loco inferendum putavi, epithemata ex roborantibus & le-  
niter



niter discutientibus parata, extrinsecus regioni hepatis in ictero pertinaci & aliis hepatis vitiis applicata robor & tönium huic visceri conciliando egregiam opem ac levamen conferre : quod crebriori experientia confirmatus scribo.

## OBSERVATIO VI.

Uxor Judæi quinquagesimum & quintum ætatis agens annum, macilenta & imbecillioris naturæ, animique diuturno mœrore ob calamitates domesticas sæpius perpeffas valde macerata, colicis pariter ac cardialgicis doloribus sæpius obnoxia, derepente a purgante assumpto, in acutum & vix tolerabilem hepatis regioni firmius insistentem incidit dolorem, intercurrentibus intestinorum cum alvo adstricta doloribus qui per intervalla remittebant & quietcebant. Accedebat septimo die icterus, foedo colore totum corpus perfundens. Quibus symptomatibus per mensem fere iactata, adeo privabatur viribus, ut morti propinqua videretur. Nil proficientibus euporistis & quæ ab aliis præscripta erant Medicis, petitum etiam a me fuit auxilium. Jussi ego primum, decoctum radicis curcumæ cum sale tartari & aqua paratum valde saturatum, cum cerevisia potui dari. Dein potionem laxantem ex manna uncias duabus, cremoris tartari drachma & dimidia, nitri purificati granis XII. olei amygdalarum dulcium uncia una semis paratam, mane per vices hauriendam præcepi. Ita octo sedibus magna viscidorum & biliosorum humorum colluvies edueta. Tum regioni dolenti vesica suilla, olei calidi plena, ad demulcendam doloris sævitiam fuit admota. Post aliquot dies dolores sensim mitescabant & ægra cum sanitate in gratiam rediit. Hoc paroxysmo, mitioribus tamen symptomatibus stipato, aliquoties postea per annum cum affligeretur, non præstantius unquam ac in dictis remediis auxilium invenit. Interea retulit mihi ægra, quod inter excrementa sæpius duri globuli pisorum

*Acutissimus  
circa hepar  
dolor ex calculo felleo.*

instar in paroxysmo & extra eum prodirent. Ceterum Halberstadium se contulit, ibique, ut intellexi, valetudinaria perpetua degit.

*Epicrisis.*

Feminae cachecticae quam facile in morbos hepatis, icterum flavum & nigrum incidunt; neque mirum est huic visceri calculos ingenerari, praesertim quando non amplius tributum lunare persolvunt & mœrore afficiuntur. Ex curcuma petendi auxilium in hoc affectu permotus fui, ob historiam quae legitur in Clave Pharmaceutica Beati mei Parentis & sic audit. *Cum Clariss. Dominus Christianus Gueinzus, meruissimus olim Gymnasti nostri Rector p. m. aliquando acutissimis dextri hypochondrii doloribus usque etiam ad Medicorum desperationem de restitutione in sanitatis plenum torqueretur. Medicis reliquis consultantibus ultro citroque de remedio aliquo appropriato huic affectui adhibendo, tandem D. D. BENEDICTVS OHEIMIVS Medicus sine pari σοxασυός p. m. semi drachmam radicis curcuma in haustu cerevisiae calidae butyraceae propinavit, a cuius usu elapso biborio dolores dicti non solum remiserunt, sed & per secessum ipso salvo lapilli aliquot subluteo colore splendentes in pelvim substratam excreti fuerunt; quos quidam Medicorum ex intestinis, ego autem ex fellis folliculo secessisse iudicavi. Elapsis duodecim & circiter annis post eadem perpeffus symptomata, sed defuncto tunc laudato D. OHEIMIO p. m. & nullis excretis lapillis, in quos causam mortis refero, huius iter adiit. Potionem mannatam cum oleo amygdalarum dulcium saepius conducibilem ad calculos etiam renales, si ureteribus firmitus inhaerescunt, in vesicam promovendos deprehendi; qua non modo faeces intestinorum, sed & flatus, qui symptomata augent & iter calculorum praeccludunt, bonis cum aegri rebus educuntur.*

CAPVT IV.  
DE  
DOLORE ET SPASMO  
ILIACO.

§. I.

**I**Nter graves generis nervosi morbos, qui mentem per- *Evolutio no-*  
molesta sensatione & corpus periculosis pathematibus *minum.*  
excruciant, referendi omnino sunt sævi intestinorum  
dolores, inter quorum numerum primas fere tenet qui in ileo  
valde teneræ & sensilis texturæ consistit & vulgo passio  
dicitur iliaca. HIPPOCRATES dolorem ilei, quia causa  
ibi residet, vocat. Græci chordapson sive morbum chor-  
dium appellarunt; quia intestinum ægrotans ad chordæ si-  
militudinem tenditur. Dicitur Latinis volvulus, quia inte-  
stina ex parte invicem convoluta apparent in defunctis.  
CORN. CELSVS tenuioris intestini morbum vocat.

§. II.

Est dolor intestinorum tenuium acutissimus facile in *Definitio.*  
inflammationem transiens, sub quo peristalticus eorum mo-  
tus secundum naturam ad inferiora vergens violenter in-  
vertitur, atque in intestinis contenta atque assumpta vomitu  
rejiciuntur & extorquentur, ac nihil, neque flatus per  
alvum fortiter clausam, descendere potest, gravia post se  
trahens & sæpe funesta symptomata.

§. III.

Progressus huius morbi una cum symptomatibus ita *Morbi pro-*  
adornatur. Præcedunt alvi obstructiones, mox acuti & *cessus.*  
sævissimi prodeunt dolores, cum inflatione, distensione, du-

roque ad tactum tumore regionis umbilicalis. Alvus prorsus est constipata & constricta, adeo ut neque flatus nec excrementa per eam transmittantur; postea superius erumpunt flatus & primum biliosa ac pituitosa materia, antecedente nausea, crebro vomitu protruditur, spiritus est difficilis & quicquid cibi vel potionis assumitur, tametsi id intro descendat, paulo tamen post, quia transire inferius nequit, iterum vomitu redditur, faeces subrubrae, non abfimiles stercoreibus, cum foedo saepe halitu ejiciuntur. Summa sequitur virium prostratio, calor praeternaturalis, pulsus durus & contractus cum immodica site, urina rubra est & difficulter redditur. Cum ad extrema ventum est, accedit singultus, delirium itemque nervorum distensio, sudore frigido perfunditur corpus, & atroces convulsiones ac lithymiae vitae saepius finem afferunt. Ipse HIPPOCRATES Lib. III. *de morb.* ita exprimit volvuli generationem: *resiccatur intestinum & praeflammationis caliditate obturatur, ut neque flatus neque cibi pertranseant sed venter durus sit, & quandoque vomant primum mucosa, dein biliosa, postremum stercus.*

## §. IV.

*Anatome  
ilioforum.*

Per dissectionem hoc morbo defunctorum, ileum inter se convolutum, & in una & altera parte, ubi mali sedes, inflammatum ac sphacelosa putredine corruptum apparet, & supra inflammationem ilei pars magna ab hac labe libera, flatibus adeo turget, ut ipsum colon amplitudine interdum superet.

## §. V.

*Ratio formalis.*

Ratio formalis huius mali consistit in inverso plane intestinalium tunicarum nerveo-musculosarum motu peristaltico, a fortiori coarctatione, angustia & clausura in intestino ileo facta, qua nihil ad inferiora transmittitur.

## §. VI.

## §. VI.

Plerumque hujus miseræ ac dolorificæ passionis causam præbet hernia scrotalis vel inguinalis, quando intestini ilei portio intra processus peritonei eo impellitur, ubi illi in viris ad scrotum abeunt, in feminis vero uteri ligamenta rotunda penetrant. Jam vero notum ex anatomicis est, hos processus, dum musculos abdominis perforant & transeunt, certis quasi angulis aut gradibus hæc facere penetrationem, ita ut, cum unum musculum perforarunt, intra eum & sequentem aliquantulum progrediantur, antequam alterum pro ulteriori itinere transeant; sapienti naturæ consilio, ut eo minus promte aliquid ad scrotum vel inguinalem regionem extra abdominis cavitatem prorumpat. Si vero cum violentia id fiat, ut eo ilei pars dilabatur, annulique nimium dilatentur; facile contingit, accedentibus præsertim aliis causis, ut pristinum locum repetere nequeat: atque sic firmiter ibi inhærescat & incarcerata sit, omnemque contentorum transitum plane impediat.

*Causam præbet hernia.*

## §. VII.

In feminis res est majoris periculi, cum processus ibi sint angustiores & difficiliter prolapsa intestini portio reponatur: & licet in nonnullarum inguine tam exiguus tumor, ut vix fabam æquet, protrudatur, tamen sævissimam hanc passionem invehere potest. In herniis scrotalibus minus est periculi quo major intestinorum est prolapsus. Vidimus non semel sed sæpius vel tertiam intestinorum partem miro & magno tumore in scrotum descendisse, sine ullo succedente passionis iliacæ periculo, quia transitus contentorum commodius & facilius tunc fieri potest.

*quæ in feminis periculosior.*

## §. VIII.

Præter hernias, occasionem huic sævo malo producendo dat frequentius intestini ilei mutuus ingressus five intus susceptio, quæ per sectionem mortuorum venit in

*causa etiam mutuus ingressus.*

con-

confectum. Et utut nonnulli auctores hanc plane negare & pro impossibili habere velint, contrarium tamen testantur experientia & observationes: inter quas attentione plane digna est Cel. PEYERI in *tract. de glandulis intestinalibus* relata de sectione feminae volvulo extinctae, quae ita habet: *patefacto abdomine ileum alicubi plane constrictum atque veluti injecto laqueo strangulatum vidimus; nimirum portio ejus quatuor digitos transversos longa, plurimum vero contracta ac angustata intra proximae portionis superioris cavitatem prorsus abscondita latebat.* Simile quid a Clar. SYLVIO in *praxi Medic. lib. 1. cap. XV.* descriptum est. Et talis ingressus in puella simili morbo extincta idem PEYERVS tribus distinctis locis, praesentibus nobilissimis Medicis Hardero & Brunnero, ostendit.

## §. IX.

*Quomodo is generetur?*

Genesis hujus phaenomeni, licet prima fronte paulo difficilior videatur; non tamen omnem conceptum transcendit: nam si una portio ilei vehementer constringitur, fit ut in vicinam flatu distentam cum impetu intrudatur. Talis ingressus non modo maximi doloris sed & inflammationis esse causa potest, quae compressis & constrictis vasis ilei una cum mesenterii portione exoriri debet. Dein etiam sphacelatae ejusmodi partes in sectione reperiuntur: & notabilis est casus quem LAZARVS RIVERIVS *Cens. III. Observ. 26.* prodidit; ubi in dissecto cadavere ileum in fine suo tribus complicationibus convolutum & quasi compactum in unam massam deprehendit, quae tota sic convoluta portio gangraena erat affecta, una cum mesenterii proxima parte; reliqua intestina erant amplissima & flatibus mire distenta.

## §. X.

*Et quae ad id conferant.*

Ad funestum talem intestinorum ingressum qui causam ileo praebet, plura alia implicita mala conferre possunt:

sunt : & testantur diverforum Auctorum observationes, a lumbricis in ileo detentis & in dissectis cadaveribus re-  
 pertis, si morfu dolores efficiant, iliacam passionem fuisse  
 productam. HENRICVS ab HEER *observ. XXIV. pag.*  
*214.* puellam secuit ab epilepsia iliosam factam vermes-  
 que evomentem, in cujus ileo, circa finem, quinque compli-  
 cationes vermium invenit, quarum alix inferne sursum repe-  
 bant, alix supra deorsum complicabantur. Et in M. N. C.  
*Decur. II. ann. V. observ. XIX.* de femina triginta annorum  
 refertur, quod ileo correpta cum face liquida evomuerit  
 XVI. lumbricos teretes robustissimos, & animam sub fri-  
 gido sudore efflaverit. In medio intestini ilei membranæ  
 cuculli instar extensæ videbantur & foramen grossi  
 magnitudine tenuissima membranula exterius tectum.  
 Utrinque vero intestinum unius digiti longitudine, duode-  
 num autem duorum digitorum transversorum latitudine  
 nigrum & gangrana corruptum visebatur. Eandem mor-  
 bi causam etiam confirmare & adstruere videtur LOM-  
 MIVS *lib. II. observ. Medicin.* dum ait : *si ad extrema ven-*  
*tum est, subinde lumbrici evomuntur.*

## §. XI.

Neque inter causas antecedentes quæ ileum excita-  
 re possunt, atque non modo stricturam & coarctationem  
 ipsis intestinis inferunt, eaque ad inversam peristalticam  
 motionem irritant, excludenda sunt venena, item purgan-  
 tia aciora nec non emetica, præsertim si jam labe & vi-  
 tio quodam intestina laboraverint. Ita CÆLIVS AV-  
 RELIANVS, qui præter Hippocratem optime de acuto  
 hoc tormento, quod Græci ileon appellant, scripsit, inter  
 causas, venenum potum aut cibo datum nec non fungus  
 comestos refert. Et ALPINVS *de medic. method. p. 313.*  
*de Guilandino* memorat, quod e colico dolore a devora-  
 tis catapotiiis & hiera ad semi unciam, in ileon, quo extin-  
 ctus est, inciderit. Neque nos tali in casu largiorem pi-  
 lula-

*Inter causas  
 etiam vene-  
 na &c.*

lularum, quæ aloën recipiunt, usum probare possumus, utpote quæ post operationem non modo intestina exsiccant, sed & uberiorem sanguinis ad illa affluxum procurant, ut hinc etiam, secundum nostram observationem, intestinorum in hac vel illa parte coarctationes, quæ liberum excrementorum transitum inhibent & ad dolores colicos disponunt, efficiant.

## §. XII.

*Nec non quæ  
intestina ob-  
turant.*

Neque ex numero causarum passionis iliacæ obturationes intestinorum præsertim tenuium omittendæ veniunt, quas alimenta sicca, constringentia, vel humido non satis diluta excitare consuecunt; inter quæ, testantibus observationibus a Medicis passim notatis, frequens panis sicci & bis cocti, spirarum, castanearumque esus, pira & poma maxime cydoniata, fructus immaturi & acerbi, in magna copia si devorentur, magnum momentum conferunt; præsertim si vita sedentaria, moeror animi, qui omne robur & tonum ventriculo & intestinorum canali subtrahit, vel parvus potus, accesserint.

## §. XIII.

*aut intesti-  
na crassa  
distendunt.*

Præterea intestina crassa a scybalis diutius retentis obstructa & obturata acerbam hanc passionem, dum nihil, quod ore assumitur, transmittunt, ingenerare possunt, præsertim quando ex pudore aut loci defectu, vel alia ex causa stimulus ad alvum deponendam reprimatur & cohibetur. Accumulatur hinc maxima excrementorum copia, quæ postmodum tunicas intestinales tam violenter distendunt, ut vis earum elastica, systaltica & expultrix plane cesset atque deficiat. Hæc dum cogito, in mentem mihi venit ante aliquot annos a celebri quodam Archiatro Regio ad me facta relatio, quod nimirum Celsissimus Princeps, ex nimia cohibitione & retentione facum, iliacus factus fuerit; in cujus post mortem dissecto corpore intestinum colon scybalis totum repletum & disrup-

prum



ptum in una parte inventum est, atque tanta scybalorum moles deducta, quæ pondere circiter viginti libras æquavit. Neque attentione indignum est, quod HENRICVS ab HEER in *observat. pag. 54.* narrat, se præsentem, dum ileo demortui abdomen dissecaretur, sponte intestina crepuisse cunctorumque adstantium vestes insigniter commaculasse, cum impetu erumpentibus & explosis scybalis.

## §. XIV.

Ex ceteris vero omnibus causis antecedentibus, affectus iræ, præsertim si vehementior fuerit, ad iliacam passionem producendam, & quidem facilius in iis, qui vitio quodam intestinorum laborant, aut herniosi sunt, magnam habet potentiam. Neque deficit ratio: nam ea est natura ac indoles hujus affectus, ut nervosas maxime partes spastice convellendo operationem suam exserat, inque partibus etiam imbecillioribus, ad quas merito extra abdomen prolapsa intestini portio pertinet, quam facile, ob copiosorem sanguinis affluxum, stagnationem & stasim, ex qua demum oritur inflammatio, producat.

## §. XV.

Quæstio nunc occurrit curiosa ac non levis momenti: an nimirum, ut communis fert sententia & veterum etiam Medicorum assertio est, in nostro morbo, præsertim quæ ab incarcerata hernia, vel a mutuo intestini ilei ingressu fit, stercora per os evomi possint? Dubitandi non levis ratio in eo posita est, quod primo per coli valvulam, qua ilei ingressus in cœcum & colon munitus est, feces non possint relabi & regurgitare: dein, quod nulla ratione concipi possit, quomodo per constrictam & firmiter inclusam in hernia tenuem ilei partem stercora penetrare queant. Ego quidem non in totum rejicere volo testimonium Medicorum probatissimæ alias fidei, sed tantummodo id, quod ipse in aliquot vidi & observavi subje-

*An stercora  
evomi que-  
ant?*

Etis hic adducere volo ; videlicet rejectam quidem vomitu fuisse materiam , quæ colore subrufo & externa specie liquidas alvinas fæces referebat : quondocunque vero ipsa rejecta & collecta materia naribus fuit excepta , nullus plane foetor vel gravis odor se prodidit , ut potius assumtarum rerum odorem habuerit , præterea & ipsa quasi ebulliens cum spuma apparuerit. Nihilominus ego haud negaverim , quando nec ab incarcerata hernia , nec a convoluzione intestinorum , sed a sola spastica ilei strictura dolor fuerit ortus , intestina vero crassa , rectum & colon , validissima simul spastica strictura laboraverint , posse hac ratione fæces valde liquidas , & ut alii observarunt , clysteres per coli valvulam ad superiora penetrare. Ceterum hanc de stercoribus vomitu in hoc malo rejectis observationem ulteriori & accuratiori Medicorum animadversioni atque examini commendatam velim.

## §. XVI.

*Prognosis.*

Quod attinet ad ipsam prognosin , spes salutis superest , quam diu non adest inflammatio & clysteres in alvum recipiuntur & redduntur , dolores quoque locum mutant , neque dolor & vomitus assiduus est , sed per intervalla urgent , atque malum ab obstructis intestinis a contentis fæcibus , enatum fuerit. Maior adhuc spes est , si medicamentum ore sumtum laxans alvum perumpens dejectionis initium facit. Si vero inflammatio jam præsens , quæ ex febre , vehementia torminum , urinæ suppressione , pulsu duro & celeri , siti inexhausta , jactatione corporis & summa virium prostratione atque extremorum frigore , dijudicatur , parum spei superest. Repentina vero & omnimoda doloris cessatio , summus virium lapsus cum pulsu debili , animi defectio , foetor oris , inflammationem abiisse in sphaecelum certo denunciant. Quod restat , id sciendum est , quod grave hoc malum , si inter initia , ad avertendam inflammationem & dolorem sopiendum congrua opponantur

tur remedia ad duas vel tres hebdomades, antequam profusus conquiescat, possit produci.

CURATIO.

§. I.

Si ullo in morbo temporis momenta attendere & *Tempus attendendum.* observare juvat, profecto in morbo iliaco sanando id necessarium esse existimo: nam is ipse tantæ est vehementiæ, ut intra tres quandoque dies satis validum hominem, nisi cita ope succurratur, enecare possit. Quando vero quævis momenta temporis præcipiti gradu aufugiunt, subinde juvandi occasionem secum arripiunt; & valet hic egregium illud HIPPOCRATIS monitum practicum, quod *libr. I. de morb.* medicinam qui faciunt, graviter inculcat, his verbis: *Si unquam aliquis in ullo morbo utilitatem attulit, eum iusto tempore attulisse necesse est.* Quo circa, si ullo in affectu certe in hoc diro, præcipiti & periculi plenissimo, Medicus peritus statim accersendus est, cui nihil prius, nihil posterius curæ cordique sit, quam ut sævissimo dolori, qui inflammationis & mortis etiam causam præbet sufficientem, per convenientia tam interna quam externa remedia sublevando prospiciat.

§. II.

Qui in veterum Medicorum Græcorum lectione paulum versatus est, is facile deprehendet, eos sollicitè & accurate admodum partium nervosarum affectus inque primis dolores, tum quod ad eorum historiam, tum ad curationem pertinet, descripsisse; non ex alia sine dubio causa, quam quod ob regionum præcalidarum, vitæ, & vitæ intemperati rationem ejusmodi morbi sæpius occurrant & opem Medici requirant. Videbimus itaque quomodo & qua methodo HIPPOCRATES hujus mali curatione.

rationem instruxerit & adornaverit. Describit hanc ipsam *lib. III. de morb. §. 15.* Jubet hoc in affectu alvi apertionem tentandam per glandem fatis longam ex melle paratam, quæ anteriori parte felle taurino oblinatur, & bis ac ter submittatur; *quo combusta*, ut inquit, *stercora circa rectum intestinum contenta educantur.* Post hæc clysterem adhibendum docet. Et ulterius addit: *si minus hæc opem ferant, folle febrili in ventrem indito flatus immittantur, a quo & ventrem & intestini contractionem distendere oportet;* dein extracto folle, clysterem applicandum, qui non ex calefactoriis, sed ex his qui stercora dissolvunt ac colliquant parandus est, suadet; postea *obsurata per spongiam sede in aquam calidam laborans consideat, continens clysteris infusum;* & addit: *si hoc infusum susceperit & rursus dimiserit sanus evadet.* Annectimus quæ venerandus Senex alibi scribit: *Supernum ventriculum quam citissime purgato, ac sanguinem de capite ac cubitis detrahito, ut superne alvus calefcere desinat; & partes supra septum transversum frigesfacito, excepto corde. Infernas autem calefacito, homine in folio aquæ calidæ collocato, ac semper oleo illito.*

## §. III.

*Methodus  
Cæl. Aurel.*

CÆLIVS AVRELIANVS præclarus non minus Medicinæ scriptor *lib. III. acur. passion. cap. XVII.* in ilei tormento, quæ sequuntur remedia proponit atque commendat. Per clysterem nimirum oleum calidum purum, vel aquam cum æquali parte olei dulcis & cum hybisco, per quem altheæ radicem intelligit, coctam donec aqua fuerit consumpta, ut olei pinguior natura mucilagine radicis temperetur, ano infundendam esse proponit. Vesicam quoque calidam ex oleo semiplenam, item mediocrem vaporationem pro mitigando dolore parti morbosæ applicandam jubet. Præterea si hæc nihil perficiant, *folliculo artis ararie immittendum, inquit, ventum per podicem,*  
quo

quo distantia ventris atque intestinorum replicatis folliculis fiat: & tunc statim adhibendum clysterem probat. De tracto supra dicto folliculo, podicem cum spongia deobstruendum præcipit. Ceterum hoc affectu laborantem fovendum esse loco mediocriter calido atque lucido, adhibita requie cum silentio & abstinencia cibi usque ad triduum, potum quoque parcum dandum imperat; cavendumque esse monet, ne externa & cataplasmata apponantur, quæ gravitate & pondere dolorem inferant. Nos vero curandi hanc veterum methodum non possumus improbare, sed potius laudamus, modo convenienti tempore & ordine suscipiatur. Directa enim quam maxime est ad alvi fecesum procurandum & ad stricturem intestini crassi spasticam, quæ huic obicem ponit, removendam, pariter etiam ad inflammationem in locis superioribus, a qua summum imminet vitæ periculum, abarcendam. Nos ante omnia ad primam mali causam & originem in curatione administranda respiciendum ducimus.

§. IV.

Igitur, quando causam mali incarcerata hernia præbet, quod ut plurimum fit, prima & præcipua cura esse debet, ut prius emollita intestini prolapsi portio, si non sponte retrocesserit, in suum locum reponatur. Quod ut facilius ac promptius contingat, primo clysteres applicentur singulis bihoriis, ut flatibus abdomen depleatur: dein pinguis & oleosis pars affecta erit emollienda; quo fine vesica suilla axungia humana vel canina semiplena, parti affectæ applicari & totum quoque abdomen omento ex animante ut vitulo desumpto, vel si non fuerit ad manus, linteo mundo oleo raparum vel lini calido immerfo tegi potest. Postea supinus æger locari debet, ventre & abdomine paulo eminentiori, capite vero decliviori: & sic cruribus diductis, chirurgus manu oleo amygdalarum inuncta, intestinum scroto prolapsum, molli contactu & intro-

*Si causa ilei  
hernia, ea  
reponenda.*

intropulsione sensim digitorum adminiculo facta, in abdomen reponere tentet, ita tamen, ne intestinum complice-  
tur, vel ullo modo lædatur: nisi enim tempestive reposi-  
tio herniæ fiat, sive sit in inguine, sive in scroto, sive cru-  
ralis hernia fuerit, quam facile inflammatio in sphacelum  
desinens supervenire potest; quando videlicet sanguis, ob  
coarctati & oclusi ac quasi a tendinibus abdominis stran-  
gulati ilei portionem, per vasa sanguinea compressa regredi  
nequit, is restagnat atque in sphacelosam putredinem  
abit.

## §. V.

*Dolores se-  
dandi.*

Præcedenti non posterior in hoc affectu esse debet indi-  
catio, ut atroces & intolerabiles dolores *convenienti* medi-  
cina sopiti conquiescant. Nam ea est doloris vehementis-  
simi vis ac potentia, ut lege confortii, quod partes ner-  
vosæ inter se habent, gravia illa symptomata, vomitus,  
singultus, anxietates, assidua vigilia, febris, delirium, vi-  
rium exsolutio, inquietudines, neque minus strictura toti-  
us canalis intestinalis usque ad inferiora ipsumque anum,  
tremor quoque extremarum partium atque urinæ difficul-  
tas inde pendeant: quæ cuncta sedato dolore mitescere &  
placari solent. Ego itaque in ejusmodi præcipiti casu cum  
singulari fructu, & non sine summo levamine nullo non  
tempore aquam menthæ leniter spirituosam, quæ etiam in  
se leni vi anodyna gaudet, cochleatim singulis horis cum  
X. vel XV. liquoris anodyni mineralis, duobus vel tribus  
laudani opiatum juxta Helmontii methodum parati liquidi,  
guttulis remixti porrigere soleo. Exterius quoque ad sin-  
gultum & vomitum compescendum epigastricæ regioni  
emplastrum ex theriacæ veteris & olei nucis moschatae ex-  
pressi æquali portione, additis oleo menthæ & camphora  
concinatum, suavi imponendum. Sedato vomitu vel etiam  
singultu, feliciori cum fructu & successu clementer laxan-  
tia,

*internis*

*Et externis.*

*Post alvus  
laxanda.*

tia, ex manna, cremore tartari, amygdalarum dulcium oleo retineri & operationem suam excrere possunt; videlicet quando ex diutius retentis excrementis in intestinorum flexuris, malum oritur.

§. VI.

Neque inter medendi indicationes neglectui haberi debet, quod inflammatio omnibus modis sit avertenda, quia hæc tandem in sphacelum abit & mortem infert: siquidem testantibus id passim observationibus, nullus facile iliacus absque sphacelatione intestinorum perit, sive illa fuerit ex hernia, sive convoluzione, & mutuo intestinorum ingressu subnata. Ad hanc vero declinandam, præter clysteres & externa emollientia, interneque data anodyna, quæ dolores, spasmodorum non modo, sed & insequentis inflammationis fabros egregie sedant & demulcent, venæ sectio magnam vim habet; quam ipse etiam HIPPOCRATES ad febrem sedandam & impediendam *loca citato* commendat. Et CÆLIVS AVRELIANVS quoque *l. cit.* phlebotomiam ad dolorem levandum magni facit. Uterque Auctor in cubitu eam instituendam esse monet. Nos in pede, in sexu præsertim sequiori, eam utiliter celebravimus. Est vero sanguinis missio eo magis utilis ac necessaria imo reiteranda, quo major sanguinis abundantia in valis deprehenditur.

*Inflammatio avertenda venæ sectio ne.*

§. VII.

Deinceps ad æstum febrilem & inflammationem reprimendam, sicut nunquam non nitrum depuratum omnia remediolorum genera exsuperat, ita etiam in hoc morbo locum invenit commodissimum, si pro dosi VI. vel VIII. grana cum pulvere Marchionis permixta, addita interdum quarta, pro dosi, camphoræ grani parte, in decenti vehiculo per intervalla porrigantur. Tum quoque quam utiliter pulvis nitrosus antispasmodicus in emulsione ex amygdalis dulcibus & amaris, semineque papaveris albi &

*Si tam ad fuerit, discutienda.*

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

P p

aquis

aquis paregoricis composita, potest exhiberi. Exterius ad arcendam inflammationem partes dolentes, linimento, quod ex uncia axungiae humanae & camphorae drachma constat, debent inungi.

## §. VIII.

*Ultimum  
auxilium in  
mercurio  
vivo.*

Postremo, si malum omnibus jam laudatis & exper-  
tae virtutis remediis resistat, nec ullo cedere modo velit,  
ultimum neque contemnendum auxilium in usu argenti  
vivi repositum est; quo etiam ipse ego, ut in sequen-  
tibus docebit observatio, bis feliciter usus sum. Neque  
etiam ullum facile reperiri hoc ipso praesentius & efficacius,  
quando mutuus intestini ilei ingressus adfuerit, licet reme-  
dium. Plures quidem novi qui in exhibendo hoc remedio  
valde sunt timidi, sed citra metus rationem: modo oppor-  
tuno & convenienti tempore id fiat. Sic enim RHODI-  
VS *Observat. Medicin. cent. II. observ. 80.* testatur hydrar-  
gyri uncias V, cum melle rosaceo solutivo haustas deplora-  
ratum iliacum sanasse. Libram dimidiam mercurii vivi  
impune sumtam, ilico alvum exonerasse, memorat HEN-  
RICVS ab HEER *in Observation. Medicinal. p. 56.* qui  
plures morti vicinos hujus praesidio restituit. Quid? quod  
integram ejus libram ZACVT. LVSITANVS *Pr. adm.  
lib. II. observ. 35* cuidam Duci strenuissimo optimo cum  
eventu praescripserit. Ut taceam ejusdem libras aliquot  
in aqua sumtas, pluribus in iliaca passione periclitantibus,  
annotante PARÆO *Oper. Chirurg. lib. XX. cap. 38.* vitam  
servasse.

## CAVTELÆ.

## §. I.

*Neque pur-  
gantia neq;  
clysteres va-  
lidi admit-  
tendi.*

Memori sane, circa hunc affectum, mente tenen-  
dum existimo, quod purgantia validiora alvum ducendi  
causa exhibere maximopere sit infecurum; dolorum enim  
pariter ac spasmodorum augmentum, nec non symptomatum  
omni-



omnium exacerbationem nunquam non inferunt. Neque clyfteres etiam ex valde calidis & carminativis concinnatos in ufum trahere conducibile est; multo minus interne eſſentia carminativæ ſtomachales vel vina medicata porrigenda: quippe hæc omnia ejus ſunt naturæ, ut in colica quidem flatulenta, & quæ a cauſa frigida, ut cum veteribus loquar, oritur, levamen afferre poſſint; minime autem ubi morbus eſt acutus & omnia in vehementi motu ac impetu conſtituta ſunt.

§. II.

Ubi vero vires deficere incipiunt, & animi deliquia imminent, temperata analeptica omnino poſſunt uſui & præſidio eſſe, quæ videlicet ex aqua ceraſorum nigrorum, meliſſæ Turcicæ, liliorum convallium, menthæ, cinamomi ſine vino paratæ ſunt; vel ipſum vinum generoſum cochleatim porrigi debet.

*In defectu virium analeptica.*

§. IV.

Si ſtatus plethoricus adeſt, venæ ſectio ſtatim inſtituenda, imo ſi opus eſt reiteranda. Et plurimum quoque attendenda erit docta & circumſpecta obſervatio Clar. PASCOLII qui *Tom. II. Oper. pag. 199.* ita eleganter & prudenter ſcribit: *Si adſit febris, ſi viſcerum inflammationis indicia tamenſi imminentis, vena ſtatim ſolvenda, in partibus potius infernis quam ſupernis. Hinc hirudines in teſtino præcipue recto adnotas, mirum in modum proſuiſſe ad ileum ſedandum hæcenus pene ſemper obſervavimus; quum ſanguis qui ex vaſis hæmorrhoidalibus proſluit, partem affectum proxime oneret.*

*Ubi plethora vena ſectio.*

§. V.

Quando uſus argenti vivi internus utilis ac neceſſarius judicatur, ipſum argenti probe depurandum, lavandum & per corium trajiciendum eſt; dein non facile ultra libram vel dimidiam offerri decet, quod optime fit cum juſculo pingui; tum, poſt ejus potum in latus dextrum aliquandiu

*Mercurius vivus rite depurandus.*

æger decumbere, ut eo citius ventriculi orificio dextro egrediatur, & insuper, si vires id permittant, corpus ambulatione vel vectione movere debet, ut eo melius ad inferiora descendere possit. Cavendum vero, ne inflammatione iam præsentem & viribus dejectis, hoc medicamento quis utatur, ne vulgus & adsistentes, si pereat æger, ab hoc remedio, quod ab omnibus fere suspectum habetur, periisse sibi vane persuadeant.

## §. VI.

*Clysteres  
profunt.*

Magna vero salutis & convalescentiæ in miserando hoc malo spes in clysteribus est posita, modo illi convenienti tempore & quantitate applicentur. Hi enim, si vehementi spasmò constricta sunt intestina crassa, fibras eorum crebriori injectione relaxatas & flaccidas reddendo, inversionem peristaltici motus inhibent. Et præstat tantummodo aquam calidam cum syrupo dialthæe *Pernelii* permixtam non semel sed aliquoties, & si vires patiuntur, una die singulis bihoriis, & quidem primo statim die, ano infundere, ut stercora etiam liquidiora fiant.

## §. VII.

*Cæl. Aurel.  
circa Topi-  
cam monitum.*

Quoad prudentem topicorum usum, perplacet mihi **CÆLII AVRELIANI** supra iam citatum a nobis monitum: qui a gravibus cataplasmatibus abstinendum esse docet, ne pondere & asperitate passio & dolores incrementum accipiant. Sæpe enim tanta est ventris inflatio & distensio, ut nec tantum cum manu paulo validiorem ferre æger possit.

## §. VIII.

*Alvo firmi-  
ter clausa,  
fusus con-  
fert.*

Quandocumque alvus ob spasticas stricturas ita clausa est, ut nec siphonem, multo minus follem admittere aut recipere possit, tunc præstat fotum temperate tamen calidum applicare & blandam ac successivam puri olei tepesacti injectionem subtili siphone tentare, quo tunice intestini recti valde coarctati & spasmò contracti hac ratio-

ratione emollitæ, eo facilius postea, majorem quantitatem humidorum per clyfma in se recipere queant.

## §. IX.

Declinante & remittente morbo, lavacra, quæ etiam si vires ferunt pro circumstantiarum ratione primis morbi diebus adhiberi possunt, convenientissima sunt. Faciunt ad passionis solutionem & ad morbosas reliquias fibris relaxatis facilius expellendas; siquidem iis frequenter admodum & optimo consilio *Methodici* in morborum declinatione utebantur, quemadmodum ex CÆLIO AVRELIANO videri licet.

*In declinatione morbi, balnea.*

## §. X.

Ad mitigandam dolorum savitiam, quæ fere præcipuum tot gravium symptomatum & motus inversi peristaltici causam præbet, minime est metuendus opiatorum usus, modo fiat statim in principio si vires adhuc integræ, si plethora præsens soluta, & nullum sphacelationis subfuerit indicium. De quorum insigni usu egregia B. WEDELII observatio, quam in M. N. C. *Dec. 1, an. 2. observat. 238.* communicat, legi meretur.

*In dolorum savitia, opiata.*

## §. XI.

Si causa iliaci mali est hernia cruralis, atque ob non sperandam intestini repositionem sphaceli & mortis periculum imminet, ultimum auxilium & spes salutis in incisione est, quæ, si dextre a perito chirurgo, assistente docto Medico, administretur, sine omni metu est & ex orci faucibus ægrotantem eripere potest. Talem sectionem non ita pridem in urbe celebri, in illustri femina ex iliaco affectu in summo vitæ periculo versante, felicissime & salutifere summa chirurgi dexteritate celebratam esse intelleximus. Sed in ejusmodi casibus ut operatio mature & in tempore suscipiatur, ac antequam indicia præsentem sphacelum denuncient, valde necessarium est.

*Si hernia reponi nequit, incisio.*

## §. XII.

*Recidiva  
præcinden-  
da.*

Plurimum etiam scire refert, malum iliacum ex eorum esse numero, quæ facile recidunt. Novi aliquot, qui secunda & tertia vice recurrente affectu demum extincti fuere, sed hi quod bene notandum hernia laborarunt. Ut itaque corpus a periculi plenissima recidiva vindicetur; opus est, ut sollicita nunquam non herniæ habeatur ratio: quæ hæc est, ut beneficio subligaculi intus retineatur, vel si id fieri non expedit, omni modo & cura a frigore defendatur, & inter cibos qui instant, ut sunt fructus horæi, pisa, olerum ceparumque species, rapæ, maxime omnium vero quæ adstringendi & siccandi facultate præditæ sunt, evitentur, quo alvus libera & mollis servetur. Cumque ex multiplici observatione mihi comperit sit, nihil præter iram & purgantia acriora herniosas in iliacam passionem vel ejus recidivam præcipitare posse, sedula utique opera danda est, ut hæc ceu valde perniciofa declinentur.

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

*Dolor &  
spasmus ilei  
in hernioso  
sæpe recur-  
rens.*

Ante triginta annos, Vir spectatæ in hac urbe auctoritatis, cognitione mihi conjunctus sexagesimum jam annum supergressus, a viginti jam annis hernia laborabat scrotali, quæ temporis progressu ita increvit, ut tertia minimum intestinorum pars, extra abdomen in scroto detineretur: si erectus staret, insignis capitis magnitudinem præ se ferebat tumor, qui tamen in supino situ, relabentibus intro intestinis, minuebatur. Periculi quidem honoratissimus vir ab enormi hoc malo nihil passus est, præterquam, quod quinque vel sex ante obitum annos, tarde & parum cum succederet alvus, valde copiosos & molestos vomitus, aliquot horas perseverantes sustinere debuerit: quibus

quibus ingens copia humorum vitiosorum in intestinis collecta deiciebatur, qui vomitus singulis fere novem vel decem diebus recurrebant, quos futuros tumor grandior & dolor pressorius in scroto indicabat. Excretionem hac exantlata salvus & vegetus perstitit, appetitu bono gaudens.

*Epicrisis.*

De hac affectus historia, hoc nostrum esto iudicium; quod tantæ molis tumor intestinalis in scroto, extra periculum mali iliaci sit, quia fæces & flatu non possunt ita intercipi, ac id in hernia inguinali, crurali, vel scrotali, ubi exigua tantum intestini portio prolapsa, incarcerata & quasi strangulata a tendinibus abdominis hæret, acutissimis doloribus comitantibus, contingit. Dein nihil dubii est, quin in tam enormi intestinorum prolapsu, non relaxatio tendinum & annulorum, sed potius disruptio locum habeat: alias enim tam subito in situ supino, tota intestinorum moles intra abdomen recedere non potuisset. Tum in præfata observatione hoc insignis momenti phenomenon non erit prætereundum, quod videlicet, præcedente dolore tensivo in scroto, omnia propemodum quæ ante tres vel quatuor dies assumpta erant, quod ex colore, odore & consistentia liquecebat, æger evomuerit, intus remanentibus quæ in prandio tres vel quatuor ante insultum horas comederat. Id nostra quidem sententia ita factum esse iudicamus: inversio videlicet motus peristaltici in intestino ileo, in scroto quod detinebatur, incepit, sed non per totum ventriculum penetravit, fundo ejus tantummodo affecto, minime autem arcu majori sive sacco, qui in latere sinistro est locatus.

## OBSERVATIO. II.

Honestus hujus urbis civis, fatis vegetæ & robustæ constitutionis, annorum triginta & aliquot, ex hernia

*Spasmi ilei  
ex musti re-  
pletionem in  
per hernioso.*

per multos jam annos sine offensa vel molestia laboravit: neque sub ligaculo intus eam detinuit. Autumno ingentem quantitatem musti bibit, atque nocte, in somno frigefacto abdomine, dum evigilat, tumorem valde auctum & dolorificum perferit, qui nolebat, ut antea, intra abdomen subire. Dolores succedebant acerbissimi per integrum diem durantes, qui non in scroto tantum partem affectam, sed abdomen & totum corpus occupabant, cum insigni anxietate & conatu ad vomitum juncti. Anxie a me petiit auxilium, nisi peritum chirurgum, ut patientem inviseret & relationem mihi faceret. Ego itaque suasi, ut tumorem inungeret axungia omenti vitulini recenti & desuper fomentum calidum continuo applicaret, quod ex lacte cocto cum floribus malvæ, verbasci, chamomillæ, croco, semine anethi & cymini constabat, & blande ac modeste repositionem manu tentaret. Interne per intervalla solam aquam menthæ cum aliquot granis extracti croci & julepo rosarum propinavi. Peracta repositione simul & semel, & omnes dolores & cuncta permolesta symptomata cessarunt & conquieverunt.

*Epicriffs.*

Ex hoc jam clarissime apparet quam caute & provide se herniosi circa dextrum rerum non naturalium usum gerere & custodire debeant; cum levis etiam error funestus affectus causam & originem subministrare possit. Deinceps & hoc notari licet, quod solus acerbus dolor, qui partim nimia ilei intra scrotum detenti distensione, partim etiam ejus intra annulos tendinum strictura & arctatione fit, tam gravium symptomatum quæ iliacum malum formant & quæ sæpenumero lethalia evadunt, vera & genuina causa censenda sit.

## OBSERVATIO III.

Honestâ femina, uxôr gravissimi in urbe consulis, cognatione mihi propinqua, annorum XL, in sterili vivens conjugio, utpote cui nunquam fluxere menses, tumore circa femoris curvaturam, in regione inguinali longo abhinc tempore correpta; in vinea ex uvis nimium comestis, & sub cœlo frigido ac humido refrigerata, per sentit mox tumorem durio rem, gravesque & acutos in eo dolores, qui noctu ingravescerant. In consilium accersitus cum jam per biduum nihil per alvum se deiecit affirmaret; prima statim cura fuit, ut alvus per clysteres iterata vice infusos aperiretur, & tam per externa quam interna remedia dolorum levamen afferretur. Secesserunt quidem excrementa, sed non adeo sufficienti copia: perseverarunt tamen dolores qui abdomen occupabant & somnum pariter ac appetitum tollebant: nec quicquam fomentis, cataplasmatibus balneisque proficientibus, tumore duro & dolorifico permanente. Nil igitur aliud agendum duxi, quam ut inflammationi verendæ perquam exitiosæ occurrerem: quapropter venam in pede secandam curavi. Interne vero pulverem Marchionis leniter nitrosu m ex aqua appropriata menthæ videlicet & cerasorum nigrorum parva & reiterata dosi obtuli. Æstus quidem non adeo intensus erat, ructationes tamen singultuosæ & ad vomendum conamina permanserunt. Tertio ab invasione die copiosæ infestabant, præcedente anxietate, vomitiones & quidem materiæ, tam subrufo colore quam spumescencia, liquidas quæ alvo dejiciuntur fæces referentis, conquerente etiam femina de malo odore. Ejusmodi vomitus per tres fere continuabant dies; quibus ingens corruptorum humorum illuvies fuit protrusa. Ego re paulo curatius pensitata, materiam stercoream non habendam esse, ut adstantes volebant, judicavi, ob nimiam ejetorum quantitatem, quæ in intestinis crassioribus non po-

*Dolor & spasmus ilei ex uvis comestis, in herniosa, mercurio vitocuratus.*

terat colligi, cum liquidorum descensus, ob incarcerationam ilei portionem prorsus esset interceptus. Cum vero & alvi constipatio, & ventris tormina & vomitiones & vigiliæ assiduæ, vires in dies magis dejicerent, & præsentaneum levamen usque eo usurpata remedia non adferrent, veni in hanc cogitationem, anne argentum vivum intro haustum possit in hoc casu opportunum habere locum? Ego, cum medendi hæc ratio plane extraordinaria & plurimis suspecta sit, nolui solus hoc experimentum facere: ideoque petii ut Medicus, quem ob candorem semper æstimavi, advocaretur. Ille, cum meas perciperet rationes, idem sentiit, asserens, quod sine omni periculo id fieri & forsan desideratissimo cum successu possit. Mane itaque, dato prius pingui juscule libram dimidiam rite depurgati argenti vivi uno haustu sumendam porreximus, desuper bibendum brodium carnis cum aliquot uncis olei amygdalarum dulcium. Promte ægra assumpsit. Post horam, leniorem per conclave deambulationem suasimus. A medicamento sumto omnis prorsus desistebat vomendi conatus, & horas quinque post, in lecto, præter opinionem, alvus solvebatur. Linteis inspectis apparebat mucida grysei coloris materia multis argenti vivi globulis intermixtis, qui diligenter collecti unciam præter propter æquabant. Ex quo factum est, ut afflictionum omnium fere, quibus ante angebatur, facta fuerit remissio. Alvum semel sponte dejectam postea clysteribus demulcentibus & emollientibus, paucis stimulo salino addito, eluere & crassa intestina purgare constituimus: interne quoque laxans rhabarbarinum & mannatum cum cremore tartari ex vino dedimus. Ita insignis copia progressu temporis materiae excrementitiæ, permixta nunquam non portione argenti vivi, secessit, idque ultra duas fere hebdomades. Ex quo per DEI gratiam evenit, ut periculose ægrotans femina meliuscule semper habens ex orci quasi faucibus hoc reme-



remedio erepta fuerit. Ultimo vero loco id non præter-  
eundum esse censeo, quod collectis licet viribus somnoque  
ac appetitu redeunte, tremorem in artubus, atque vacilla-  
tionem & impotentiam in pedibus ultra mensis adhuc spa-  
tium perceperit: quæ permolestæ affectiones, dextro ni-  
hilominus balneorum usu prorsus demum sublatae & discut-  
sæ fuerunt.

*Epicrisis.*

Ex huius morbi & curationis progressu, id demum  
in usum practicum depromere licet, quod passio iliaca acu-  
ti alias periculi atque exitii, opportune datis medicamentis  
quæ inflammationem arcant & dolores mitigant, in affe-  
ctum quasi chronicum minoris periculi possit converti.  
Deinceps non contemnendum in hoc atroci malo, sed po-  
tius incomparabilem usum & efficaciam argenti vivi esse, ex  
hac curatione intelligi & edisci potest, licet modus operandi  
non adeo explicatu facilis sit. Ego tamen ita rem con-  
cipio: argentum vivum intro haultum, dum fundum ven-  
triculi petit, pondere suo resistit eius subversioni, sive in-  
versa eius motioni peristalticæ, ut potius meo quidem iu-  
dicio, eam ad inferiora, facta in contrarium compressione,  
rursus dirigat atque convertat: & hinc etiam ratio red-  
di poterit, quare globuli plumbei paulo maioris molis intus  
deglutiti, ad curandum hunc difficillimum affectum commert-  
dentur; de cuius remedii salutari usu quamvis multa mihi re-  
lata fuerint, nunquam tamen me experimentum fecisse in-  
genue fateor. Tandem hoc addendum esse existimavi,  
quod deiectiones illæ spumascens liquidæ & biliosæ,  
quarum materia partim per assumta, partim per continu-  
um humoris bilioli & lymphatici per glandulas in intesti-  
na secreti affluxum, in ileo, progressu temporis colligi-  
tur, non modo a vulgo, sed etiam a Medicis pro veris  
stercoribus habeatur; licet in totum negare nolim, per  
vehementiorem intestini coli spasmum quippiam ex eo pu-  
tridi

tridi liquaminis ad tenuia conscendere & ibi contenta inquinare possit.

## OBSERVATIO. IV.

*Pasfo iliaca in infante ex terrore nutricis & dato auro fulmin.*

Infans puer, unius anni, lac adhuc ex mammis fūgens, ex terrore nutricis, continuo eiulatu ac clamore noctem infomnem degebat, absque dubio ventris torminibus, quæ parca alvus & viridescentes atque coagulatae fæces denunciabant, per duos dies & noctes imo ultra excruciatu. Medicus ordinarius, cum ex clysterum applicatione & usu pulveris laxantis nullum conspiceret levamen, duo auri fulminantis grana cum pulvere absorbente permixta præbere decrevit. Inde vero nihil secutum levaminis, ut potius sub maiori alvi clausura, vomitus & quidem viridescentes infecuti fuerint; quibus demum convulsiones epilepticæ iungebantur & mors. Concessa a parentibus, ad petitum meum, abdominis apertione, cui etiam Medicus ordinarius interfuit, offendimus in medio ileo, mutuum ad articulum digiti, intestini ingressum. Supra quem tenuia intestina ileon, ieiunum, imo ventriculus, in quo subviridescens putridus humor inventus, flatibus valde erant turgida.

*Epicrisis.*

Graves & ut plurimum funestæ, quæ per animi affectus inque primis terrorem, a nutricibus in infantes derivantur, sunt afflictiones. Horum enim ea est indoles, ut pernitiæ vim, maxime in intestina tanquam partes valde nervosas exerant, quarum tonum & motum penitus subvertendo & pene infringendo, ventris tormina, alvi constipationem, convulsiones & epilepsiam quam facile accersunt. Quibus infantum morbis ordinario fere deiectiones virides coniunguntur, non aliam ob rationem, quam quod retenta excrementa acidam corrosivam ob moram induant naturam, ut bilis permixta inde viridem colorem, non secus ac fieri solet, quando spiritus nitri cum bile

bile miscetur, contrahant. Uti vero aurum fulminans vel mercurialis profapiae medicamentum, ab admixtis salibus valde corrodentem & virulentam indolem acquirit, ita summopere cavendum est, ne infantibus tenerioribus, praesertim si acrium humorum copia obfessa sunt intestina, eiusmodi medicamenta porrigamus. Illa involutio quae in conspectum venit ilei intestini, ab atrocibus torminibus & spasticis intestinorum contorsionibus absque omni fuit dubio oborta.

## OBSERVATIO. V.

Honoratior femina, quadraginta & aliquot annorum, animi in affectus valde prona, corporis gracilioris, vitam sine motu amans quietam, venae sectionem ab aliquot annis, circa tempora aequinoctialia consuetam, vere praeteriti anni intermisit, purgans vero infusum, quo post sanguinis missionem circa haec etiam tempora subinde fuerat usa, per tres dies usurpavit. Interea vehementiori commovetur irae affectu, quam inappetentia, virium languor ac artuum tremor sequebatur; alvus quamvis esset obstructa, nihilominus ad eam exonerandam agra saepius sollicitabatur. Mox acerbis in regione hypogastrica dolores & tormina, cum praecordiorum angustia & crebra flatuum per os eructatione, persequentibus. Ego accersitus, ad alvum referendam, clysterem ordinavi emollientem, cuius tantum levis portio fuit admissa. Interne ad status discutendos, liquorem meum mineralem anodynum cum essentia corticum aurantium bene praeparata aequali miscui pondere & per intervalla praebui. Externe lintheum aqua Reginae Hungariae & balsamo nostro vitae ebrium abdomini applicari iubebam. Sedatis doloribus agra quievit & coenavit; clausa vero permansit alvus. Sequenti die rursus vocatus sum, & tum dolores patiebatur prioribus longe acutiores & saeviora tormina, cum ingen-

*Dolor & spasmus ilei in femina plethorica & herniosa, ex ira vehementi.*

ti abdominis inflatione, umbilici retractione, extremorum frigore & continuo ad vomendum conatu. Tum mihi aperiebat, quod ex laborioso partu, ante multos iam annos, in inguine sinistro contraxerit tumorem, qui sine singulari sanitatis incommodo modo prodiret modo regressiretur; nunc vero longe maior & valde durus sine regressu persisteret. Et quoniam nobilissima patiens omnia quæ ore assumerat vomitu reddebat, iliacum malum imminere non sine ratione iudicavi. Prima itaque & princeps, cum statum animadverterem plethoricum, fuit intentio, inflammationem, qua nihil sane in hoc affectu est perniciosius, avertere. Ad aliquot igitur uncias sanguinem e vena pedis detrahi iussi. Dein ad alvum ante omnia referendam medendi consilium direxi: sed quoniam ob firmam clausuram, clysterem non admitteret, decrevi ut successive leni siphunculo aliquot unciaæ olei raparum & chamomillæ cocti immitterentur, quo postea intestino recto relaxato, eo facilius clysteres infundi possint; quod etiam consecuti sumus, & duo applicati fuerunt, sed nihil educebant. Igitur quum præfata afflictiones, vomitus, singultus, inquietudo, vigilia, anxietas cum extremorum frigore persisterent; visum mihi fuit, singulis bihoriis, clysterem ex sola ptisana, oleo olivarum & syrupo dialthea FERNELII infundere & ad potum aquam fontanam puram frigidam, aqua menthæ correctam, cuius libræ salis absynthii drachmam unam & succi citri unciam semis adieci, commendare: abdomine cum linimento ex axungia humana, camphora, spermate ceti, & oleo hyoscyami quod constabat, calide inuncto. Post sex clysteres iniectos, status secesserunt copiosi: quibus continuatis, in balneum aquæ dulcis ægram dimitti iubebam. Paulo post egressa, alvum intra horam ter deponebat. Continuatum fuit balneum, & interne infusum mannatum cum aqua foeniculi, addito cremore tartari & nitro anti-

moni.

moniato propinatum : ita ingens mucidæ, crassæ & liquidæ biliosæ materiæ copia alvo fuit educata. Sequebatur hinc statim singulorum pathematum remissio, largusque sudor cum virium & pulsus augmento, quem promovere, exhibita mixtura sudorifera, ex tinctura antimonii, liquore anodyno minerali & spiritu tartari composita, studui. Sic permolesta hæc affectio, Divinæ benignitatis adjutorio feliciter fuit depulsa.

*Epicripsis.*

Ex præfata historia id animadvertere licet, herniam, quanquam per longum tempus sine valetudinis incommodo geri possit, nunquam tamen tutam sed formidandam esse. Hoc in casu ad iliaci morbi genesin, plethoricus status, assumtum purgans & demum superveniens gravis iræ affectus symbolum suum contulerunt : utpote quæ omnia nervæ intestinorum substantiæ sunt infensissima, naturalem & placidum fibrarum intestinalium versus inferiora tendentem motum pervertendo & invertendo; quod ex flatuum & excrementorum pertinaci intra intestina retentione & inde pullulantibus ceteris symptomatibus judicandum est. Sanguinis missio, quam tantopere ceu summum hujus affectus remedium veteres, ut HIPPOCRATES, CORNELIVS CELSVS & CAELIVS AVRELIANVS, laudarunt, in hoc casu summe proficua ac necessaria fuit. Quoniam vero ob spasmm vehementem, intra intestina crassa consistentem, superiora summo cum dolore instantur, rationi utique consentaneum est, hanc stricturam tollere: quod omnium optime fieri potest, per oleosa humida in magna copia injecta, ut strictæ inde fibræ flaccidæ & relaxatæ evadant. Placuit mihi præ ceteris cura quam CELSVS *Lib. IV. cap. XIII.* his verbis proponit. *Si dolor non quiescit, etiam in alvum, ex parte inferiore, tres aut quatuor cyathos calidi olei dare convenit;*

*venit.* Et balnei usum HIPPOCRATES ad felicem curam mirifice commendat. Cura absoluta primum quod huic foeminae consilium dedi, fuit, ut exquisitam semper habeat vitæ & victus rationem, atque ab omni animi affectu se temperet: multiplici enim experientia edoctus sum, his neglectis, malum quam promptè recidivare; id quod præter HIPPOCRATEM ipse CELSVS loco citato notavit: *facile, inquit, id malum redire consuevit, & cum frigus subit, sive aliqua jactatio, nisi bene jam confirmatis intestinis, revertitur.*

## OBSERVATIO VI.

*Iliaca passio  
ex ingluvie  
& sumto va-  
lido pur-  
gante.*

Berolini cum olim agerem, vir in Regiis servitiis constitutus, quadraginta & ultra annorum, gracilioris corporis habitus & naturæ cholericæ, ingenti semper gaudebat appetitu & varii generis eduliis ventrem quotidie infarciebat, nec jejunii patiens, vinum liberalius quoque hauriebat; alvus ordinario pigra erat & obstructa; vomitus subinde pituitosi liquaminis matutino præsertim tempore experiebatur. Posteaquam in solennitate quadam, supra modum, placentas, carnes assatas, acetaria, condita mala cydonia devorasset, & alvus per aliquot dies clausa nihil egressisset, male habuit. Venter enim durus, renitens, rugitibus & borborygmis hinc inde discurrentibus turgidus erat, atque continua ad vomendum aderat proclivitas. Opera medicastri usus pilulas ad alvum aperiendam sumsit purgantes; sed sine successu. Augebantur potius anxietates circa præcordia cum continua nausea. Rursus ab eodem sumsit pulverem purgantem, qui tamen nullam movebat sedem, sed decumbens omnia quæ assumerat ore rejiciebat. Suppositoria & clysteres omni effectû carebant. Vxor vehementer & anxie a me petiit consilium. Ego accedens ægrum per decem dies nihil per alvum emississe deprehendi. Venter contactu erat durus,

durus, inflatus, & magna inquietudo atque anxietas, vigilia quoque affligebant. Bono vero cum DEO hac methodo miser patiens est sanatus. Primum ad vomitionem componendam præscripti mixturam Riverianam, quæ componitur, ex aquæ communis libra, succi citri uncia & salis abfinthii drachma, quam per vices assumfit. Dein ægrum chirurgo commiffi, cui injunxi, ut clyfteres ex decocto emolliente, in quo fufficiens faponis Veneti quantitas soluta, fingulis horis ano infunderet, & postea in balneum ex herbis emollientibus & femine lini paratum ægrum dimitteret. Venti quoque applicare linimentum ex oleis expressis, atque interne, cum jusculo oleum amygdalarum dulcium, addito pauxillo vini, præbere jussi: quæ cura alternis vicibus aliquoties fuit repetita, adeo felici cum successu, ut brevi temporis progressu ingens copia fæcum conglobatarum durissimarum & pituitæ glutinosæ, quibus postea successerunt liquidiores, multis sedibus intra duos dies fuerit eduçta; quam excretionem, semel aperta alvo, feri lactis potu per vices sumto, in cujus mensura cremoris tartari uncia dimidia & mannæ electæ unciæ tres solutæ erant, promovendam decrevi: & ita per DEI gratiam a gravi malo æger fuit liberatus.

*Epicriffs.*

A sola diutina fæcum alvinarum retentione, iliæcum morbum subnasci posse, præfenti edocemur historia; ex qua animadvertere etiam licet, tali in casu purgantibus præfertim validioribus intro sumtis nihil esse perniciosius, utpote quæ frustra plane dantur, cum summo potius detrimento: nam dum fortiter stimulando intestina, materiam immobilem & fæces aridas per inferiora movere & deturbare nequeunt, invertendo potius peristalticum intestinale motum, malum reddunt deterius, atque anxietates & vomitus augment. Balnea vero tem-

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

Rr

pera-

perata, dum externe, & clysteres interne, fibras tensas emolliunt, fæces dissolvunt & colliquant, non omisiss interis congruis laxantibus, convenientissimum præbent auxilium; quia ipsam causam & originem mali expugnandi efficaciam satis præstabilem possident.

## OBSERVATIO. VII.

*Passio iliaca  
ex vermibus  
funesta.*

Puer septem annorum spongiosioris habitus & coloris albidioris, dulcibus & fructibus horæis nimium usus, carnes ac panem supra modum appetens, qui aliquot ante menses unum vel alterum alvo dimiserat lumbricum, in tormina ventris, alvi obstructionem & inquietudinem incidebat. Frustra applicati clysteres, & data fuerunt carminativa atque laxantia; augebantur potius cruciatus, assidui accedebant vomitus, & interdum per horam semi-mortuus in syncope miser infans jacebat. Fædos ex ore halitus & fæces reddidit: subsequiebantur singultus & epilepsia, tandem mors.

*Eperisis.*

Minime dubitandum est, affectum hunc fuisse iliacum, a lumbricis vel in intestino vel ventriculo residentibus subortum. Uti vero hi arrodendo & lancinando tunicas teneriorum intestinorum nerveas, graves in universo nervorum systemate concitant passiones: ita etiam motum intestinorum peristalticum penitus subvertendi utique sufficienti vi ac facultate pollent. Verique omnino simillimum est, lumbricos in ventriculo existentes huius mali exitialis causam fuisse. Incidit mihi in confirmationem hujus rei historia, quam ex relatione BEATI MEIBOMII habeo: Helmstadii Studiosus, ante aliquot annos, supra umbilicum ferro vulneratus, continuo vomere cœpit primum cibos, dein materiam stercoris instar; sub finem secundi diei mortuus est. Vulnerata quidem



dem intestina arbitratus Medicus, sed sectio facta plane ostendebat, ventriculum antrorsum & retrorsum esse læsum, tam late penetrante vulnere. Ex quo discimus, læso tantum ventriculo, salvis intestinis, totum posse intestinum canalem inverti; nihil juvantibus suppositoriis & clysteribus. Alias in tali affectu, aqua cum mercurio vivo puro decocta, addita vini quarta parte, remedium nescio præstantius: hac enim & necantur vermes & alvus solvitur; sed tempestive, antequam ventriculi & intestinorum tunicæ sint laceratæ, debet exhiberi.

CAPVT V.  
DE  
INTESTINORVM  
DOLORIBVS  
ATQVE IN SPECIE  
DE  
COLICA FLATVLENTA  
ET SPASMODICA.

*THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

**I**Nter graves generis nervosi afflictiones, non immerito referri debent vehementes dolores, qui intestina ceu partes valde nervosas & sensiles motuque propulsorio præditas obsident, atque per consensum alias etiam nervosi generis partes, in locis remotioribus consistentes, afficiendo, perniciosas subinde afflictiones pariunt.

*In dolore in  
testinorum  
nervosa  
partes patie  
untur.*

§. II.

Quemadmodum tenuia & crassa intestina, ratione texture, capacitatis, functionis & situs differunt: ita etiam dolores, prout in iis sedem suam figunt, ratione vehementiæ differunt.

*Ratione loci  
& vehementiæ  
differunt.*

tia, periculi & aliorum accedentium affectuum differunt.

## §. III.

*In tenuioribus acutiores sunt.*

Observamus longe acerbiores & acutiores oboriri dolores in tenuioribus quam in crassis: id quod luculenter validiora purgantia & venena caustica indolis testatum faciunt, cum tormina supra & infra umbilicum atque in medio etiam hujus compareant saevissima. Et hanc ob causam ab HIPPOCRATE in genere omnes intestinorum dolores, iliaci denominantur; nulla facta in monumentis suis doloris colici mentione: quum nostro tempore omnes fere qui intestina obsident dolores, colici dicantur atque habeantur.

## §. IV.

*Quinam dicantur iliaci? qui colici?*

Rectius itaque iliaci censendi erunt illi, qui medicum graviter affligunt ventrem, sive spasmodice illum constringendo, sive vehementer inflando; quum contra colici illi obtineant, qui in hypochondrio dextro & sinistro haerent, & pressione ac distensione ingentes creant molestias. HOLLERIVS *de morb. intern. Cap. XXXIX.* ita colici dolorem descripsit: *insistit in certo loco instar infixi pali; subinde tamen vagus ad inguina, sinistrum & utrumque renem, sursum aliquando revolvitur, & locum mutat, ut sunt flexus intestini coli, quod relicto recto in sinistrum inguen divertit. Ascendit inde ad sinistrum renem ubi angustius est, que angustia & simul ibi occurrens flexura, causa est, ut hoc in parte dolor sit intensior. Hinc ad splenem laxius intenditur, subitque hepar, atque aliquando in cystide fellis haeret; postremo in dextrum ileon descendit, ubi desinit in caecum.*

## §. V.

*Totus intestinorum tractus subiectum colicæ præbet.*

Nos omnem intestinorum tractum pro subiecto & sede dolorum agnoscimus, ita tamen, ut una ejus parte graviter affecta, totus nervosus canalus a faucibus ad podicem

dicem trahatur in consensum, sive rectius præternaturales motiones imo inversiones & læsiones motus peristaltici, reliquis omnibus communicentur, adeo ut si vehementior causa fuerit, etiam totum universi corporis systema nervosum gravius simul afficiatur.

## §. VI.

Affectiones & symptomata acerbiora, quæ intestini jejuni, ilei, coli, vel recti, ut apparet in hæmorrhoidibus cœcis, dolores comitantur vel subsequuntur, a spasmo partium nervosarum quam maxime oriuntur & sunt sequentia: horror, tremor partium externarum, sudor frigidus, virum omnium prostratio, inquietudo, corporis jactatio, summa anxietas & interna angustia, singultus, vomitus, alvus constipata, tenesmus, urinæ suppressio, spasmus vesicæ, febris, pulsus contractus, spirandi difficultas, quandoque delirium & convulsiones epilepticæ.

Symptoma-  
ta.

## §. VII.

Sicut ratio formalis sive proxima causa omnis doloris est nimis vehemens tunicarum & partium nervosarum distensio, distractio atque expansio, vel earundem validior & spastica contractio & coarctatio: ita etiam ab iisdem causis intestinorum proficiscitur dolor. Vel enim a flatibus retentis & oclusis, supra modum certi intestinorum tractus distenduntur & divelluntur, ut quasi continui solutionem moliantur; vel ab humore mordaci caustico intra intestina vel etiam in eorum substantia membranacea contento, spasmodica contractione crispantur, coarctantur, cum valde molesta & sensibili passione: qua de causa etiam in scholis Medicis distinctio inter dolorem intestinorum, sive colicam flatulentam & spasmodicam, adhuc viget & locum obtinet.

Ratio formalis est vel spasmus, vel nimia distensio.

## §. VIII.

In dolore tenuium flatulento, mire abdomen inflatur & turgescit; & tanta sæpius flatuum vis est, ut cutem

Distinctio colicæ flatulentiæ.

ita distendat, ut dolor ipso tactu exacerbetur: neque exempla deficiunt, a vehementia flatuum herniam umbilicalem fuisse subortam. Dolores sunt acuti, alvus valde constipata, summa angustia, sique simul ventriculus inflatur, respiratio valde difficilis evadit, & eructationes cum levi levamine subsequuntur; accedunt cardialgicæ passiones & inanes vomendi conatus.

## §. IX.

*a colica spasmodica.*

In colica sic dicta spasmodica & convulsiva, ventris arctior fit compressio & umbilici introrsum retractio, alvus est constipatissima, ut neque flatus transmittat, neque clysterem facile recipiat. Adest simul ingens in lumbis dolor, ipsumque peritoneum musculique abdominis violenter contrahuntur: extremorum adest refrigeratio, tremor, horror, pulsus durus & contractus, summa anxietas & quam facile animi deliquium supervenit.

## §. X.

*Discrimen inter flatulentiam & colicam flatulentiam.*

Nos hoc loco monendum ducimus, insignem esse differentiam inter flatulentiam intestinorum, & dolorem intestinorum flatulentum. Nam hic a sola atonia, motu & robore intestinorum labefactato, in senibus potissimum & qui cibus instantibus frigidis nimium utuntur, item in corporibus a prægresso morbo labefactatis nascitur. Illa vero nunquam sine labe intestinorum est, neque tam facile tollitur, & graviora habet accidentia, cum hic per ructus, per flatus & alvi solutionem facile terminetur.

## §. XI.

*inter dolorem nephriticum & colicum.*

Illud quoque monitum non est prætereundum, dolorem nephriticum & qui a calculo renali fit, non confundendum esse cum eo cujus causa in ipsis intestinis residet: de qua confusione jam olim a GALENO & ejus affectis instituta fuit quærela. Utut vero ratione symptomatum & effectuum multum inter se convenient; in eo tamen est differentia posita, quod dolor, si est a calculo, in lumbis  
fixior

fixior, pertinacior & acutior sit quam in colica spasmodica; in hac alvus longe constipatiore & fortius occlusa ac in dolore nephritico: dein quod, alvo per enema soluta, remissio doloris colici fiat, quod non contingit in nephritide calculosa: ad urinam quoque emittendam major in calculo adest stimulus, eaque tenuis, in paroxysmo aquosa & subinde arenosa apparet. Et postremo, dolor secundum ureterum tractum successive protenditur: id quod in intestinorum non observatur doloribus. Longe vero facilius est in iis qui semel vel bis dolore ex calculo laborarunt, notas ejus characteristicas discernere.

## §. XII.

In theoria vero dolorum intestinalium id maxime attendendum venit, quod horum causa, a qua oriuntur, longe aliam sedem fixam habeat, quam ubi eorum exacerbatio percipitur. Ita nunquam fit inflatio intestini, nisi in alia parte vel tractu, cujusdam intestini strictura spastica, angustia vel etiam obstructio ab excrementis aut alio humore tenaci præcedat vel conjuncta sit: siquidem flatus in intestinorum canale, propter calorem & humorem aqueum semper præsentem, nunquam desunt, sed nullam creant molestiam, quia liberum habent spatium & æqualiter se expandere possunt; simulac vero obiceposito, non possunt transmitti, & intercipiuntur, sed in certo loco coacervantur, occluduntur & quasi incarcerantur, tunc magna vi expansiva agunt in intestinorum tunicas, eas supra modum distendendo & distrahendo.

*Causa efficiens in alia parte ac do- lente hæret.*

## §. XIII.

Quandocunque in tenuioris intestini quadam parte, sicut in hernia scrotali, vel etiam a vermibus aut fæcibus induratis evenit, spasmus, occlusio vel nimia coarctatio producit, vel etiam quando in principio coli in dextro latere excrementorum copia stagnat, nec loco movetur,

*Quid fiat, si tenuia spasmo afficiantur.*

ingens

ingens & acerbe dolorifica abdominis inflatio, supra, infra umbilicum & in medio ejus, oritur.

## §. XIV.

*sive Tum aut  
colon*

*vel principi-  
um jejuni.*

Quod si vero intestinum rectum vel inferior coli tractus vehementem patitur spasmus, mire inflatur coli magna flexura in sinistro hypochondrio versus splenem, una cum illo, qui infra ventriculum tractus protenditur & juxta hepar positus est. Quando autem, quod frequentius in malo sic dicto hypochondriaco & hysterico occurrit, principium jejuni, vel finis duodeni spastice afficitur, ob vicinum & supra illud decurrentem ramum superiorem mesentericum & intercostalem, ingens in lumbis oritur dolor, ipsumque duodenum & ventriculus flatibus mire implentur, diaphragmatis quoque liber motus impeditur; unde ingens illa præcordiorum anxietas, spirandique angustia, & ructus cum impetu, frequenter & fere sine fine, erumpunt. Non semel ego sed aliquoties observavi in colica spasmodica inferiorem coli partem funis instar contortam & convolutam, tenue vero intestinum ad crassitiam brachii expansum fuisse repertum.

## §. XV.

*Colica subie-  
ctum.*

Intestinorum dolores adeo frequentes sunt, ut nulla ætas, nullus sexus, nullus corporis habitus & nullum temperamentum ab iis sit immune. Infestant autem quam maxime infantes, feminas, atque etiam senes, & quicumque tenerioris, debilioris & sensibilibioris sunt nature.

## §. XVI.

*Causa & ge-  
neratio coli-  
cæ flatulen-  
sa.*

Acerbæ & torminosa hæ intestinorum affectiones diversi generis agnoscunt causas, & pro harum differenti natura, genio & vehementia, variant symptomata, variat etiam & intenditur subinde periculum. Frequentissimam vero alvi scybala retenta & indurata, in intestinis crassis, interdum in tenuioribus hærentia, causam præbent. Atque

que multum huc cruditarum acido-viscidarum copia, cibi sicci, aridi, adstringentes, diuturnior somnus & vitæ genus motus ac laboris expers contribuunt. Et quodcumque sub pigra & obstructa alvo, cibi dulces, fermentescibiles, carnes pingues præsertim vervecinæ, cum potu frigido, vel refrigerationes pedum atque abdominis accedunt, inflatio abdominis intenditur & dolor acerbior fit. Atque in eo colicæ potissimum flatulentæ, & quæ veteribus a causa frigida producta dicitur, ratio & genius versatur: cujus generatio & crebra inuatio imbecillitatem & atoniam intestinorum eorumque toni ac roboris defectionem indicat atque supponit; hinc obelis, phlegmaticis, senibus & debilibus admodum familiaris est, præsertim si frigus improvide ad pedes, dorsum & ventrem admittatur.

## §. XVII.

Alia colicæ species est biliosa, quæ secundum veteres, a causa calida subnascitur, atque ab humore bilioso, acri, corrupto, in intestinis tenuibus præsertim duodeno copiosius collecto & stagnante ortum suum trahit, a gravi frequentius ira, præsertim in corporibus calidæ & siccæ constitutionis, sub æstate fervida & ætate juvenili, vel virili, aut ab assumtis potibus nimis spirituosis & calidis proficiscitur, maioriq; tormentorum, post frigidum sumtum potum vel transpirationem prohibitam, sese prodit sævitia. Symptomata quæ hanc insequuntur potissima sunt vox rauca, cardialgia, continuum ciborum fastidium, vomitus materiæ biliosæ porraceæ, singultus, intemperies æstuosa & febriculosa, inquietudo, sitis intensa, os amaricans, urina pauca & rufa, cui quandoque alvi dejectio biliosa & crebra succedit.

*biliosa*

## §. XVIII.

Datur quoque valde atrox & torminosus intestinorum dolor in infantibus, a lacte stagnante per miscelam bilis valde corrupto & corrosivo reddito, unde fæces ple-

*in infantibus lactantibus.**(Hoffm. Syst. T. IV, P. II.)*

Ss

rumque

rumque secedunt virides, pauca & coagulata, & ab arro-  
sione tunicarum intestinalium subinde convulsiones epilep-  
ticae lethiferae tragœdiam ludunt.

## §. XIX.

*in pueris*

Pueris valde familiaris & frequens est colica, quae  
fit a vermibus si convoluti in intestino ileo hærent, cui  
sæpe febris continua & syncope, ventrisque lancinatio ac  
si terebra perforetur, jungitur. Qualia exempla, apud  
ZACVT. LVSITANVM *Prax. admir. Lib. II. obs. 33.* &  
HILDANVM *cent. I. obs. 57.* legi atque conferri pos-  
sunt.

## §. XX.

*in puerpe-  
ris.*

Neque puerperæ ab immanibus abdominis dolori-  
bus immunes degunt, præsertim quando lochiorum fluxus  
deficit, & post partum abdomen non decenter ligatur, vel  
partium ventris accedit refrigeratio.

## §. XXI.

*Hypochon-  
driacos sæpe  
vexat.*

Frequentissimum etiam hypochondriacorum sym-  
ptoma est atrox colicus dolor, isque maxime occupat la-  
tera, & vel in dextro hypochondrio infra sub osse ilii, ubi  
principium coli flatibus & stercoribus infarctum est, vel  
sub hepate in flexura, quam colon facit, flatibus vel scyba-  
lis distenta, maxime omnium vero in sinistro hypochon-  
drio sub diaphragmate & liene, ob maximam coli flexu-  
ram, tensivus consistit, cum alvi obstipatione, urinæ dif-  
ficultate, anxietate, angustia, interna inquietudine virium-  
que dejectione junctus. Nam, quia in sic dicto hypochon-  
driaco morbo valde læsus & vitiatus est intestinorum peri-  
stalticus motus, nec flatus, nec stercora versus inferiora  
rite moventur & descendunt; hinc in flexuris maxime in-  
testinorum, ubi diminuta est vis motrix contractilis & ela-  
stica, illa morantur, stagnant, & graves ac dolorificas e-  
jusmodi distensiones pariunt.

## §. XXII.



## §. XXII.

Alia adhuc ratio & natura est eorum dolorum intestinalium torquentium, qui fiunt a materia intra tunicas intestinales hærente, sero videlicet impuro & acri. Et talis in corporibus scorbuticis ac purpura scorbutica vel scabie infectis, in arthriticis quoque & podagricis sæpe numero observatur; quando vitiosa materia, deficiente naturæ robore, retinetur, nec ad extremas partes transmittitur, vel etiam ab iisdem, ob varias externas causas, intra corpus per metastasin transponitur. Et hæc species colicæ spasmodicæ maxime se exerens, ad spasmodico-convulsivam spectat & sæva conjuncta habet symptomata, difficilis etiam est curationis, ac inflammationem minatur, neque facile conquiescit, nisi relegata materia ad extimas partes fuerit.

*Colica spasmodica a sero acro intra tunicas hærente.*

## §. XXIII.

Neque prætereunda erit gravior & identidem spasmodico-convulsiva colica, a nonnullis sanguinea vocari solita, a sanguine nimium intra intestinorum, coli præsertim tunicas congesto, stagnante & sensiles nerveas tunicas valde distendente. Et hæc fieri solet in feminis a mensium fluxu suppresso: tunc hysterica vocatur; vel etiam a consueto hæmorrhoidum fluxu deficiente, vel violenter cohibito aut suppresso: tunc recte dici solet hæmorrhoidalidis. Quæ sicut sæpius in praxi occurrit, ita etiam ejus causa Medicis ut plurimum incognita est. Hac sapissime homines boni, robusti & sanguinei, habitus eufarci, qui lautius & liberius, sub meri præsertim potu, degunt, otiosam colentes vitam, afficiuntur. Cujus colicæ sanguinæ multa exempla & observationes Doctissimus CAROLVS PISO in egregio tract. *de morbis e colluvie serosa oriundis* vid. *Sect. IV. cap. II.* posteritati reliquit.

*a sanguine.*

## §. XXIV.

Immanis quoque est illa colicæ spasmodicæ species, quæ a fumis saturninis, ore haustis & cum saliva deglutitis

*Colica saturnina.*

ortum suum ducit, atque iis qui mineras Saturni igne tractant & calcinant, vel plumbum ab argento in docimasticis furnis separant, ut in Hercinia fit, familiarissima est, vulgo dicitur *die Zücten-Katze*. Dolor est in intestinis intolerabilis, alvus constipatissima, nec clysteribus neque laxantibus facile cedit, umbilici fit introrsum retractio, summa adest inquietudo & artuum tractio, nausea & assiduus ad vomendum conatus, in parestin vel veram paralyfin vel asthma spasmodicum quam facile terminatur, ac diu & misere sæpius ægrotantes torquet. Eiusdem generis dolori, figuli qui vasa figulina vitro ex plumbo obducunt, vulgo *glasiren*, obnoxii sunt. Testantur quoque observationes practicae, quod medicamenta quæ Saturnus ingreditur, ut tinctura antiphthisica *Germanni* vel magisterium Saturni, quibus Medicattri in gonorrhœa supprimenda frequentius uti solent, invincibilem alvi stricturam cum immanibus tormentis stipatam relinquunt. Quam gravia & periculosa valetudinis damna atque incommoda, a vinis acidis lithargyrio immisso dulcificatis, ante aliquot annos in Suevia oborta fuerint, id exquisite & docte in Dissertatione, Præside *Clar. ZELLERO* habita, *de noxa vini lithargyrio mangonifati*, est deductum. Inde enim non modo dolores stomachi, abdominis, sinistri hypochondrii cum forti alvi strictura, item colica convulsiva, sed & asthma convulsivum oborta fuere.

## §. XXV.

*Colica endemia spasmodica.*

Restat adhuc alia colicæ species, quæ rectius endemia vocari potest, quia certis regionibus familiaris admodum est: ita Moravia, Austria, atque Hungariæ incolæ atrocissimo colico dolore spasmodico & convulsivo creberrime divexantur. Cujus rei nulla mihi alia suppetit ratio ac causa, quam vinorum in hisce regionibus valde spirituosorum largior potus & abusus, præsertim si corporis accedat refrigeratio; ex quo fit, ut sanguis nimium ebul-

ebulliens, & in concitatiorem motum adactus, si neque per naturalem, neque per artificialem evacuationem inveni-erit exitum, in intestina incumbat & ibi accumulatus dira symptomata inferat. Cæterum hæc quoque jure referri ad colicam sanguineam & spasmodicam meretur.

## §. XXVI.

Dantur etiam atroces colici dolores, qui alios morbos progressos excipiunt: ita extant passim observationes, & nota mihi quoque sunt exempla, ubi ex diarrhœa ab adstringentibus cito suppressa, item post dysenteriam, ab incauta diætâ, & alimentis instantibus & fermentescibilibus copiose admissis, graves & exitiales ventris dolores successerunt. A cydoniato largiori manu in diarrhœa exhibito, sævissimos ventris dolores atque torsiones, ad sterco-ris usque vomitiones lethales vidit FERNELIVS *libr. VI. Pathol. c. X.* quod identidem a fortioribus purgantibus haud raro observavimus. Neque iis qui in artis exercitio fre-quentius versantur, obscurum esse poterit, post intermit-tentes, tertianam, quartanam, perperam curatas, prava præ-ferim diætâ accedente, sævissima subinde in abdomine secu-ta fuisse tormenta: testante illud BINNINGERO *cent. III. obs. 34. cent. IV. obs. 41. it. lib. IV. obs. 8. & 9.* quibus submovendis non tam facilis conceditur locus; siquidem in modo memoratis morbis ingentem labem & vitium jam contraxit intestinorum canalıs, ejusque functio, quæ maxima ex parte, a convenienti, ordinata & successiva constrictione & dilatatione, sive peristaltica motione de-pendet, adeo læsa ac labefactata est, ut dein multo facilius vitioforum humorum colluvies ibi consistere, & causam ejusmodi & aliorum pravorum affectuum possit submini-strare.

## §. XXVII.

Porro colica spasmodica, frequens imo assiduum fere aliorum affectuum & dolorum esse solet symptoma:

*Colica ex morbis pro-gressis.*

*Symptoma tica, a cal-culo renali*

sic nihil frequentius contingit, quam quod dolori, ex calculo renum per ureteres descendente & ad vesicam iter faciente, gravis sæpius abdominis cruciatus, cardialgia, nausea & vomitio adjungatur: idque maxime fit ob consensum harum partium, quam nervus intercostalis hisce communis præstat. Qua de causa nonnulli Medicorum colicum dolorem cum calculoso sæpe confundere, nec rite discernere solent: cujus jam supra facta mentio. Observamus quoque in praxi, a dentitione infantum dolorifica, convulsivam colicam cum alvi forti adstrictione, quam demum epilepsia sequitur, subortam; idque tantum ob mirificum illum nervosarum partium cum aliis consensum.

## §. XXVIII.

*a calculo fel-  
leo,*

A biliario calculo, in cystide fellea detento, ejus ductum lancinante, ventris dolorem subortum, præter alia, defunctorum disseccionem testatum fecerunt. Ita in colicorum cadaveribus vesicam felleam lapidibus referatam BALLONIVS *lib. II. epidem. pag. 253.* item M. N. C. *ann. VI. & VII. observ. 220.* fidem faciunt. Et HORSTIVS *lib. IV. obs. 47.* colicæ gravissimæ, CCXXXIII. calculorum mediocris magnitudinis e folliculo fellis rejectione sedatæ meminit. Quo loco non possum non peculiarem doloris colici causam insinuare, quam *Clar. NICOL. TVLPIVS* disertis verbis in *Observ. Lib. II. c. 37.* prodidit, ita habentibus: *Colicus dolor sæpissime fit a bile flava, innatante huic intestino, quæ sæpius ab anatomicis cum animadvertatur, verisimile est eam transsudare paulatim per tunicas folliculi fellis, huic intestino quam aliis vicinioris. Qua propter male sibi consulunt illi, qui præ nimio studio validius comprimunt iecur: exprimit quippe prona hæc flexi corporis incurvatio bilem.*

## §. XXIX.

*ab erosione  
intestino-  
rum exter-  
na.*

Neque absonum sed verisimile potius videtur, ab acri humore tunicas intestinales externe arrodente, dolores

res in toto intestinorum volumine concitare posse. Quam sententiam clariorem faciunt observationes, quibus per sectionem defunctorum constat, ex abscessu mesenterii rupto, purulentam materiam intestinis inhaerentem ante mortem sanos dolores & tormenta produxisse. Quales WILLISIVS, BENIVENIVS, & WARTHONVS scriptis suis passim insinuant.

## §. XXX.

Præter dolores autem intestinorum, qui acutioris sunt indolis & vel in salutem vel in mortem brevi terminantur, dantur etiam chronici qui sunt generis, & diutius insistant, ac per multos hebdomades imo per anni aliquando spatium excruciant, licet per intervalla suas habeant remissiones & exacerbationes. Horum post mortem demum fuit inventa causa, quæ in eo consistit, quod in quadam parte intestinum fortiter angustatum, contractum, scirrhosum vel callosum fuerit deprehensum: quare in totum motus intestinorum æqualis destruitur. Ita KERCKRINGIVS *Spicileg. Anatom. Obs. 50.* in puero tormentis intestinorum qui obierat, cuncta flatu distenta, pylorum vero adeo exiguo foramine pervium vidit, ut flatum vix transmitteret; duodeni vero atque recti parietes subsidentes, conglutinatos & quasi filo contractos, ut nullus flatus ea perumpere potuerit, invenit. Scirrhum coli HOLLERIVS *de morb. intern. Lib. I. cap. 41.* & RHODIVS *cent. II. obs. 76.* describunt. A callo quoque in intestinis colicam productam BENIVENIVS conspexit: vid. *Libr. V. de abdit. cap. 30. & 34.* Intestinorum vero coalitum post dysenteriam RHODIVS *cent. II. obs. 77. it. 82.* annotavit; de qua re BARTHOLINVS *cent. VI. obs. 38. & obs. 2. it. M. N. C. ao. 1672.* conferri possunt. Angustati quoque intestini & cartilagine obducti meminit BALLONIVS *epidem. Lib. I. p. 58.* Præterea de angustia intestinorum, perdocta dissertatio Clariss. WALTHERI

*Colica chronica.*

*Lipsi-*

*Lipsienſium Prof.* lectu digniſſima eſt. Sæpius quoque in ſectiõibus cadaverum colica ſpaſmodica demortuorum implicatio omenti obſervatur, maniſeſto documento, vige-  
 gere etiam in hoc morum quendam ſpaſticum. Ab hepate male affecto abdominis dolores chronicos obortos non raro vidimus, ita ut illud albicans induratum fuerit inven-  
 tum, & cýſtis fellea calculis repleta. Quocumque enim liberior ſanguinis per hepar tranſitus impeditur, a bilioſis ſordibus non bene depuratur, & impetus quoque ejus ad inteſtina ruit; ubi ob copiam & nimiam diſtenſionem vaſorum tardius progrediens, ſtagnationes dolorificas in inteſtinorum membranis efficit.

## §. XXXI.

*Anatome colica defunctorum.*

Ceterum, qui ſubito ex acuto inteſtinorum dolore pereunt, in iis plerumque inteſtina inflammata & ſphaceloſa reperiuntur. Ita SPIGELIVS in *libr. de Semiviviana*, in diſſectis hac febre extinctorum cadaveribus, qui ante immani dolore quali colico fuerant excruciiati, inteſtina inflammata & eryſipelatoſa detexit: & adjicit, his in caſibus phlebotomiam omittere & purgationem, ut vulgus ſolet, ſubſtituere nefas eſſe. Sphacelatum quoque inteſtinum rectum, ab hæmorrhoidibus cœcis male curatis, nos vidimus.

## §. XXXII.

*Quando dolores ſalutariter ſolvuntur.*

Salutariter vero ſæpe numero horum dolorum ſolvi ſolet atrocia, per ſudorem copioſe obortum, vel etiam per hæmorrhagiam narium, aut hæmorrhoidum fluxum ſupervenientem, item per expulſionem purpuræ ad extimas partes, aut per arthritidem & podagram ſuccedentem, vel macularum ſcorbuticarum proventum. Crebra enim & perquam notatu digna hinc inde reperiuntur exempla ubi ex arthritide repulſa factæ fuerunt pertinaces colicæ, qua redeunte ubi illæ ceſſarunt. Sic colicæ ſæpius bilioſæ diarrhœa ſuperveniente ſolvuntur, qua putrida & nigra mate-

materia evacuatur. Spectat huc quoque insignis locus apud HIPPOCRATEM *libr. de hum. §. 11. cui intestinum in dextra parte dolebat & articulari morbo correptus, quietior erat.* Neque parum salutis promittitur, si dolores locum atque sedem mutaverint.

## §. XXXIII.

Minus salutariter, colicæ inprimis spasmodicæ & convulsivæ, viribus plane deiectis & dissipatis, ac sudore, colliquativo suborto, vel in veram paralyfin vel in notham sive parefin, vel in manuum & pedum stuporem terminantur; vel etiam si atrocior dolor urget, epilepsia, convulsiones, vel aliæ graves capitis affectiones, ut lethargus, carus, apoplexia finem vitæ faciunt. Multum vero periculi alit colica sive convulsiva sive biliosa, quæ cum actuali invadit horrore & atrocius affligit: nam designat inflammationem, quam, si non succuramus, sphacelus excipit.

*Quando minus salutariter terminatur.*

## SYRATIO CVM METHODO MEDENDI.

## §. I.

Sicut ex antecedentibus plenius perspicere ac animadvertere licet, causas dirum hunc affectum excitantes mirum variare: ita nunc identidem colligi poterit, medendi methodum, pro differentia causarum quæ intestinorum dolores fovent, longe aliam atque aliam esse instituendam.

*Medendi methodus, pro differentia causarum variat.*

## §. II.

Quando itaque consueto hæmorrhoidum vel mensium fluxu suppresso, in corporibus præsertim sanguine abundantibus, immanis abdomen infestat dolor, cum gravi æstu ac pulsû citatione iunctus, venæ sectio in pede instituta, clysmata emollientia, pulveres antispasmodici leniter nitrosi & cinnabarini momento castorei remixti, nec non liquor noster anodynus mineralis, additis essentia castorei

*Quid agendum, si, a fluxu sanguineo critico suppresso dolor.*

& spiritu salis ammoniaci vinosi, neque minus pediluvia, dolorum sævitiam mirifice mitigando, omne curationis in ipso paroxysmo absolvunt punctum. Extra vero illud tempus, & præservationis gratia laborandum est, ut mensium in feminis & hæmorrhoidum in viris solennis restituatur fluxio; quo maxime omnium faciunt conveniens acidularum, thermarum, balnearumque vernali cum primis tempore susceptus usus, præter hunc, pediluvia, motus & exercitatio corporis debito modo instituta, diæta commoda, pilulæ balsamicæ, atque infusa theiformia ex herbis partim carminativis, partim uterinis composita erunt adhibenda.

## §. III.

*Si a bile copiosa causata.*

Quando dolor intestinorum a copia bilis efferae & causticæ suam mutuatur causam & originem, eadem prope præcedente §. memorata remedia proficiunt. Palmam vero inter alia, pulvis nitrosus, una vel altera gutta olei millefolii veri destillati commixtus, ex aquæ florum chamomillæ vulgaris unciis III. vel IV. propinatus, quæ gravior adhuc & virtute præstantior redditur, adiectione syrupi papaveris albi & spiritus nitri dulcis rite præparati, iure sibi vindicat: sicut autem hæc aqua, in omni abdominis dolore vehiculum remediorum præbet convenientissimum; ita multo felicior operationem suam exeret, si eius destillatio cum cerevisia triticea instituat. Præstat quoque in hac colicæ specie medicamenta in vehiculo subfrigido quam calido exhibere, & abstinere a decoctis & infusis calidioribus pariter a regimine sudorifero & balneis calidis: eo quod hac ratione biliosus ferocior redditur humor, & partes nervosas intimius penetrat. Hinc observationibus practicis edocemur, huiusmodi in casu, solum aquæ frigidæ potum, quo ipse GALENVS in colica biliosa usus est, optime profuisse atque malum depulisse. Maiorem autem hoc monitum attentionem meretur, si ex ira suscitata fuerit torminosa affectio.

## §. IV.



## §. IV.

Si fixus & tensivus in dextro vel sinistro hypochondrio vel infra ventriculum hæserit dolor, certum indicium est, flatus vel excrementa coli flexuris incarcerata hanc scenam ludere. Tunc præcipuum curationis in eo positum est momentum, ut enemata emolliendi, discutiendi & roborandi virtute prædita injiciantur; non omissis externis linimentis carminativis & emollientibus, parti dolenti applicandis. Aperta sic alvo, flatibusque discussis atque propulsis, pilulæ nostræ balsamicæ ad Becheri exemplar compositæ, interposito sale digestivo, vel decocto mannato, cremore vel terra foliata tartari, & uno vel altero cochleare oleo amygdalarum dulcium permixto, porrigi debent.

*Si a flatibus vel excrementis incarceratis.*

## §. V.

Vbi rectum & intestini coli portio, in sinistro præsertim latere, fortiori spastica strictura afficitur, ita ut alvus nec flatui nec excrementis exitum concedat, neque clyster commodo ano immitti queat; tunc totum abdomen oleis calidis & pinguibus fovendum est; v. g. oleo chamomillæ, anethi, rutæ, coctis, pinguedine taxi, canis, vulpis, castorei, humana, quæ etiam per clysterem ad spasticam illam stricturam relaxandam ano infundi possunt; quo factò, infusum mannatum, quod supra memoravimus, erit offerendum.

*Si a spastica recti & coli strictura.*

## §. VI.

Colica flatulenta ex atonia & imbecillitate ventriculi & intestinorum, a cibis crudis male digestis & inflantibus, enata, carminativa & paulo calidiora admittit quorum censum subeunt aquæ carminativæ spirituosæ, ex femine cymini & carvi, corticibus aurantium, floribus chamomillæ vulgaris & Romanæ ac cardamomo cum vino destillatæ, essentia carminativa *B. Wedeli*, essentia corticum aurantium probe saturata, spiritu salis ammoniaci exalta-

*In colica flatulenta quid conferat.*

tata, liquor anodynus mineralis cum balsamo nostro liquido, quod vitæ audit, permixtus, vel sequens liquor carminativus: Recipe spiritus nitri dulcis vel liquoris nostri anodyni mineralis, essentia corticum aurantium, tinctura tartari ana drachmas tres, spiritus falis ammoniaci drachmam, olei carvi destillati, cymini, de cedro, chamomillæ vulgaris destillati, singulorum guttas VI. M. D. Dosis constituunt guttæ XXX. ad L. Haustus insuper vini sic dicti *Hippocratici* ex speciebus aromaticis, v. g. corticibus aurantium, citri, macere, caryophyllis, cardamomo & saccharo parati, senibus præsertim & ubi ex refrigeratione abdominis & externarum partium malum traxit originem, insigne & præsentaneum solet levamen præbere. Perutile quoque est, abdominis regionem tegulis & marmoribus calidis, item sacculis avena, sale communi, tostis, semine carvi, milii, baccis lauri atque iuniperi repletis, subinde fovere.

## §. VII.

quid, si a  
matoria re-  
trophusa,  
orta.

Dolores abdominis, ubi a retropulsa materia exanthematica vel excretionem critica, scabie, purpura, podagra, arthritide, rheumatismo, erysipelate proficiscuntur, nihil aliud agere prudens & rebus suis satagens Medicus debet, quam ut leniter diaphoresin promovere studeat; id quod ego nonnunquam, essentia scordii probe saturata cum spiritu florum sambuci non intense rectificato extracta, liquori anodyno nostro ad dimidiam partem admixta, si ad guttas XXX. vel XL. in infuso calido bis de die propinatur, felicissime perfeci: circa læti vero introitum pulverem meum bezoardicum, pauillo nitri & cinnabaris mixtum, adiecta succi citri recentis portione in idoneo vehiculo obtuli; non prætermisissis emollientibus & demulcentibus clysteribus, atque corporis in blanda diaphoresi constitutione.

## §. VIII.

## §. VIII.

Quando ex vermibus intestinorum dolor in iunioribus oboritur, ad dolorem sopiendum primo decoctum ex emollientibus & paregoricis, floribus videlicet sambuci, chamomillæ vulgaris, meliloti, verbasci, semine foenu græci, anethi, anisi, croco, & lacte paratum, vel vesicæ suillæ inclusum, vel linteis exceptum abdomini applicari potest. Dein clysteres ex iisdem speciebus in usum frequentiore ducendi sunt, qui etiam ex lacte recenter mulcto parandi. Interne vero tinctura rhabarbari & tanaceti, quæ herba vere specificum est anthelminticum, alvus sollicitanda, & quandoque aquæ cum mercurio vivo coctæ usus est interpolandus. Non raro contingit, ut hac ratione vermium glomera, quæ intestina obfesserant & angustarant, eiciantur, sedatis & placatis mox omnibus symptomatibus & gravissimis abdominis tormentis.

*Si a vermibus.*

## §. IX.

Neque prætereundus est acerrimus ille & prope intolerabilis dolor, qui intestini recti tunicæ nerveæ exquisitissimæ sensationis subinde insidet & universi fere corporis partes in consensum trahit, a sanguine hæmorrhoidali minima vascula obsidente ortum ducens, cœcarum hæmorrhoidum nomine notus: is enim peculiare curationis genus exoptulat. Venam tunc ego non in pede, sed in brachio secari præcipio, ad meliorem sanguinis a partibus inferioribus ad superiores derivationem. Exterius vero duo remedia expertissimæ virtutis deprehendi, quorum alterum est linimentum, quod ex drachmis tribus spermatis ceti, olei hyociani drachma, camphoræ granis VI. & croci granis X. constat, quo calide iungunt tumores debent; alterum est epithema, quod ex aqua calcis vivæ, cum aqua rorasum & florum sambuci temperata, saturni saccharo & spiritu vini camphorato compositum, linteis tepide applicandum.

*Si ab hæmorrhoidibus coactis.*

## §. X.

*Colica saturnina curatio.*

In immani illa colica sic dicta saturnina vere convulsivo-spasmodica, quæ metallurgos afflictim & immaniter excruciare solet, non invenitur præstantius præservativum, quam mane sumtum iusculum pingue : in ipsa vero cura clysteres mere oleosi item oleum amygdalarum dulcium in copia haustum, cum vel sine decocto mannato, omne exhauriunt punctum. Ad paresin vero sanandam balnea aquæ dulcis, & post eorum usum, inunctio spinæ dorsi & abdominis cum linimento, quod habet axungiam humanam, oleum nucistæ expressum, hyosciami, crocum & oleum rosmarini, vix datur præsentius & certius auxilium.

*CAVTELÆ ET OBSERVATIONES  
CLINICÆ.*

## §. I.

*In colica spasmodica purgantia vitanda.*

In spasmodico & convulsivo intestinorum & abdominis dolore, ubi alvus firmissime est clausa, cane peius & angue acria purgantia, & ex iisdem quoque parata clysmata sunt vitanda. Novimus, hac ratione inflammationem & mortem fuisse productam.

## §. II.

*Clysteres plus una vice injiciendi.*

Ad alvum longo temporis intervallo clausam, si excrementis & scybalis induratis referta sunt intestina, referendam, non sufficit una clysteris iniectio, sed duos vel tres intra horæ sæpius spatium injicere oportet.

## §. III.

*Recto duris fecibus obfesso, fetus conserunt.*

Aliquando accidit, ut induratum & compactum excrementum intestinum rectum occupans, flatuum ac scybalorum exitum penitus impediat. Tunc fortibus emollientibus fovenda anus, & suppositoriis pinguibus & salinis stimulanda alvus, nec non uncix aliquot olei lini vel raparum cum decocto emolliente, in quo prius sufficiens

sapo-

faponis Veneti portio soluta, ut durities scybalorum emolliatur, per syphonem immitendæ.

## §. IV.

Solus tabaci fumus per accommodatam syringam immissus, ad aperiendam alvum, omnia fere alia remediorum genera, testantibus id observationibus, fausto suo effectu superare creditur, utut ego certa de singulari eius efficacia promittere nequeam. Id vero scio, quod experimentum hoc in equis ad alvum valide adstrictam aperiendam maximi sit virtutis. Novi etiam homines quosdam plebeios atroci intestinorum dolore vexatos, fumi tabacini sola deglutitione, ab omnibus cruciatibus in instanti fuisse liberatos.

*Fumus tabaci quid præstet.*

## §. V.

In omni graviore intestinorum dolore, antequam alvus fuerit soluta, calidiora carminativa & sudorifera, balnea quoque nocentissima sunt. Nam, dum materiam biliosam vel corrosivam invehunt sanguini nec ad partes exteriores præcipitant, anxietates augentur, & paralyfes, contracturæ, febres hæcticæ imo convulsiones epilepticæ haud raro inducuntur.

*Alvo clausa, carminativa nocens.*

## §. VI.

In senibus & imbecillis corporibus, si infestantur dolore abdominis opiata magis adhuc narcotica penitus exulent, item quando acerbiores dolores diutius perseverantes vires admodum fregerunt. Quod etiam tenendum erit, si ex summa debilitate, nimis sudoribus corpora perfunduntur: paralyfin enim tam veram quam spuriam inde suscitatum fuisse, vel etiam sphacelum internarum partium inde productum fuisse meminimus.

*Opiata in senibus exulent.*

## §. VII.

Nihilominus in hypochondriacis & hysterica passione detentis, vel ubi simul affligit ferina tussis, cum gravibus abdominis doloribus & erosionibus, pilulæ balsamicæ

*Vbi profint?*

cæ

cæ nostræ, vel aloëphanginæ extracto panchymagogo *Crolii* acuatæ, uno vel altero grano laudani opiati rite parati vel theriacæ coelestis adiecto, interpositis pulveribus nitrososalinis & absorbentibus, insigne dolorum & spasmodorum levamentum afferunt. Ita pilulas purgantes cum refracta dosi laudani opiati mixtas, multi celebres Medici, nominatim RIVERIUS, POTERIUS, CRANIUS, HOLLERIUS & FORESTIUS mirifice in abdominis doloribus deprecant. Neque deficit ratio utpote remittente dolore & spasmo, purgantis operatio longe promptior & felicior sæcum alvinarum deiectione sequitur.

## §. VIII.

*Colica pe-  
riodica quo-  
modo tra-  
ctanda.*

Si atrox intestinorum dolor, certo temporis spatio recurrit; quod pluries mensibus *Martio* & *Octobri* contingit, flante & faviente maxime Borea vento, probabile est eius causam sanguinem intra intestinorum tunica congestum esse, quia sub tali tempestate ob regurgitantem sanguinem, eius in sedis venis fit accumulatio. Qua de causa venæ sectio in pede, ad hæmorrhoidum fluxum, si natura eius fuerit assueta, promovendum, præservationis gratia, commodissime instituitur. Sin vero quis criticæ huius sanguinis excretionis fuerit expertus, consultius ego semper deprehendi, brachii venam secare, quo sanguis a partibus inferioribus derivetur ad superiores, cum, si non invenit exitum per hæmorrhoides, maior, per crebras sectiones in pede administratas, ad partes inferiores fiat impetus atque affluxus.

## §. IX.

*Therma &  
acidula qui-  
bus profint.*

Hypochondriaci & hæmorrhoidarii flatulentis ac ventriculi & intestinorum doloribus perpetuo fere exercentur. Si itaque malum inveteratum neque domesticis, neque e pharmacis petitis obtemperare vult remediis, ego sane nec præsestius nec efficacius, nisi in thermarum *Carolinarum*, vel aquarum mineralium temperatarum ut *Sel-*

*tevanarum*, imo *Embsensum*, convenienti interno & *Toepliensum* externo per balnea usi, unquam deprehendi auxilium; præprimis, si decente & sat frequenti motu & exercitio corporis secundetur, diætæ quoque selectæ habeatur ratio.

## §. X.

Puerperis intestinorum & lumborum dolores sunt familiarissimi, præsertim si lochia non debito modo, quantitate ac tempore procedunt, ex quibus postea doloribus febres exanthematicæ, quæ si ingravescent puerperam tollere consueverunt, oriuntur. Qua de re circumspectus eo animum advertere debet Medicus, ut convenienti methodo horum dolorum sævitiam componat; quod optime fit, sanguinis lochialis promotione, qui si medicaminibus morem gerere recuset, venæ sectio in pede tutissime celebratur, post quam statim sæpe numero prodeunt lochia, & dolores penitus sopiuntur: quod crebra me docuit experientia.

*Colica puerperarum venæ sectione profuganda.*

## METHODVS PRÆSERVATORIA.

Qui intestinorum & imi ventris doloribus frequenter recurrentibus infestantur; quod ego haud raro, in arthriticis, nephriticis, item hypochondriacis & hæmorrhoidariis animadverti; iis ante omnia exquisita diætæ & accurato vitæ regimine superveniendum est. Id quod in eo maxima ex parte consistit, ut primum sedulo & omni studio, quascunque occasiones ad nocentissimas animi perturbationes, ut terrorem, iram & tristitiam, fugiant: nihil enim reperitur, quod generi nervoso adeo insensum, & morbos in eo desidentes tam confestim resuscitare magis idoneum est, quam vehementior animi commotio. Dein frigus Boreale, cujus ea est natura ac conditio, ut nervosi generis morbos revocandi & exacerbandi maximam vim habeat, omni modo vitetur, & regio lumbaris, præcordialis

lis & pedes quoque ab eo diligentius defendantur. Tum prospiciendum est, ne legumina & inter hæc maxime pisa, faba, brassica, caro pinguis vervecina, & frigidus præcipue huic superingestus potus, admittantur. Denique, ut corpus non diu otiosum maneat, sed frequentius exercetur. Optime enim TRALLIANVS & etiam rectissime *libr. X.* in hisce morbis motus commendat remedium, ita perhibens: *motus quicumque, & omnis exercitatio insigniter iis conferunt, qui diutius tali morbo laborarunt & frequentius eo corripuntur, si pedibus, si per equum, si etiam navigio movere corpus velint, item palaestra & totius corporis perfricatio, locique mutatio & longa perigrinatio. Hæc enim omnia extenuant discutiuntque & totum corpus excrementis liberum reddunt, universum habitum corroborantia, ut in posterum affectæ partes frigidum humorem colligere nequeant, imo ne aliunde influentem promte in se recipiant.* Postremo parcio rem potum spirituosorum & præsertim aquæ vitæ stomachalis carminativæ omnibus suadeo, utpote qui plus noxæ & incommodi quam fructus, a copiosiori harum rerum usu resultasse, crebro observavi: vulgaris quippe & damnandus error est, ad meliorem ciborum dissolutionem & digestionem potus hosce conferre; quum tamen hæc ipsa a latice salivali potissimum dependeat, neque ciborum solutionem ullo modo spirituosâ protus attingat; sed potius e contrario, partes chylosas in intestinis præcipitando, incrassando, & poros obstruendo, materiam ad ructus & flatu subministrent.

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO. I.

Femina nobilioris conditionis erat, quæ quinquagesimum & ultra jam annum attigerat, staturæ mediocris sanguine & succis plena. Per duos jam annos mēstrualis

*Colica s. of-  
modico con-  
vulsiva ex  
ira & super-  
veniente  
terrore.*

lis



lis filebat purgatio; ceterum sana & vegeta. Vehementi afficitur ira, & elapsis aliquot horis, ob infortunium quod ipsi nunciatur, summo & panico terrore atque tremore animus & corpus percussuntur. Nox erat inquieta. Sequenti confestim die regionem lumbarem & ingens frigoris sensus & dolor tensivus tam acerbis corripit, ut in erecta statura corpus ægerrime retinere potuerit. Brevi post, horrorem & refrigerationem præsertim partium externarum percipit; quam ventris dolores & tormina insequabantur, cum ingenti præcordiorum anxietate. Persuasio fuit, spinam dorsii passam esse subluxationem. Unde spinæ facta fuit distractio; sed dolores magis ingravescebant. Die tertio, postquam noctem inquietam transigerat, cardialgiæ accedebant anxietates cum summa spirandi angustia junctæ, inanesque urgebant ad vomendum conatus. Pulsus erat celer & durus, pedes frigidi, alvus obstipata, & ad urinam stimulus, sed ejus parcius fluxus, & dolor lancinans in dorso. In consilium ego vocatus quæsi, quia mater eius per plures annos obnoxia erat renum calculo, an nunquam laboraverit hoc affectu? Negavit id ipsum. Porro interrogavi, an sanguinis missionem neglexisset? Respondit annum esse elapsum. Aperuit mihi causam morbi supra tactam. Consultum ante omnia visum fuit, alvum injectis clysteribus solvere, qui parum tamen utilitatis attulerunt. Postea venam pedis secari jussi. Eduximus sanguinem cum virium constantia & euphoria ad IX. uncias. atque ingens mox dolorum & symptomatum, cardialgiæ præsertim & vomitionis sequebatur mitigatio; sed dolor circa hypochondrium dextrum lancinatorius cum abdominis inflatione permansit, neque alvus flatuum vel stercoreis quicquam transmisit. Clysteribus carminativis & emollientibus, ac fomentis ejusdem indolis abdomini applicatis insistere placuit. Interne vero nihil aliud dedimus, quam oleum amygdalarum dulcium in jusculo avenaceo

naceo ex quo flores chamomillæ vulgaris decocti, item pulverem marchionis & bezoardicum, adjecto nitro, cinnabari & gutta olei chamomillæ veri, it. liquorem anodynum nostrum, cui essentiæ castorei quarta pars admiscebatur; potum paulo frigidiorum melius tulit quam calidum. Alvus paruit clysteribus: sed permanerunt dicta symptomata. Memorabile fuit, quod alternatim abdomeri mirifice fuerit inflatum cum tensivo dolore, adeo ut tactum manus ferre nequiverit. Alio tempore summa fuit umbilici retractio cum spasmodica ventris strictura. Urinæ difficultas permansit: dolor vero in dorso & hypochondrio dextro, ubi prima lumbaris vertebra est, incipiebat. Hæc symptomata & meum & cognatorum animi tenuerunt dubium atque suspensum, num morbus ex calculo renali proveniret, an colica convulsiva hysterica sit? qua tamen nunquam fuit correpta. Die quæ erat ab invasione septima, mixturam præscripsi sequentem in modum Rec. tincturæ antimonii acris, liquoris anodyni mineralis, utriusque unciam dimidiam, spiritus tartari drachmas duas, essentiæ anodynæ gt. XII. M. Singulis tribus horis sumsit triginta guttas cum aqua florum chamomillæ vulgaris, florum sambuci & ceraforum nigrorum. Et inde obortus ingens per totum corpus sudor, durans per totam noctem, ut lintea madefacta nimis mutare conveniens visum fuerit: ægra ceterum insignissimum levamen percipiente. Pulsus a naturali vix deflectere cœpit. Appetitus rediit & somnus; non tamen cedebat dolor in dorso. Urina secedebat naturalis coloris, sed sine ulla arena vel crasso sedimento. Pílulæ datæ polychrestæ, interposito sale digestivo: & alvus etiam respondit; ubi multa fœtida & putrida egesta fuerunt. Et ita sensim collectis viribus, adistente Divina benedictione, ægra cum atroci hoc morbo rediit in gratiam.

*Epicrisis.*

Hic affectus rectissime colicæ convulsivæ titulum meretur, quæ a bile per iram copiosius in intestinum duodenum, cujus situs ad dorsum reflectitur, quod primam causam ipsius morbi sustentabat, effusa ortum duxit. Unde cardialgicæ anxietates, vomitiones & angustia sequebantur. Quia vero a vehementia terroris, mox iram subsequens, sanguis ab exterioribus ad interiora maxime ad mesenterium ipsaque intestina fuit repressus & compulsus, flatulenta illa & spasmodica intestinorum affectio est secuta. Fixus ille in dorso dolor, nostra sententia, ramo mesenterico nervi intercostalis maioris, qui ut notum ex anatomicis est, una cum ramo mesenterico arterioso ipsum duodenum supergreditur, ab hujus inflatione & copia sanguinis, distento & compresso debetur. Neque vero hic gravior dolor & spasmus tantum, in intestinorum volumine sedem habuit, sed & peritoneum, ipsius abdominis musculos & lineam albam, ob plexum mesentericum & intercostales nervos partibus his communes, in consensum traxit: a qua causa retractionem umbilici & abdominis ducendam esse arbitror. Sanguinis missionem in tali statu plethorico, ubi tanta est spasmodorum juncta atrocitas, ad arcendam inflammationem, quæ, nisi sanguine vel sponte vel arte evacuato, promte sequitur, perutilem imò necessariam judicavi: suadente id ipsum HIPPOCRATE in *coac. Sect. III. dolores* ubi inquit, *in lumbis sanguinis fluxionem inducunt, & spine distorsionem ac spirandi difficultatem sanguinis fluxio solvit.* Præter alia & hoc videtur notatu dignum, quod hic dolor typum febrilem servaverit, horrore & terrore incœperit, & sudore septimo die sublatus fuerit, ut adeo recte dolor intestinorum spasmodicus acutæ indolis nuncupari queat.

## OBSERVATIO. II.

*Colica spasmodica, chronica, berniam producent, Carolinis & Toepl. curata.*

Triennium est, & quod excurrit, cum vir honestæ conditionis, mediocris staturæ & strictioris corporis habitus, vitæque sedentariæ & lucubrationibus addictissimus, doloribus in dorso & abdomine cum inappetentia & virium collapsu torqueretur. Quorum causam Medicus in molimina hæmorrhoidalia rejiciens, ad hunc fluxum movendum varia præscribebat remedia; sed nihil sanguinis, multum autem tenacis & albidæ materiæ, per alvum, alternis vicibus secedebat. Iter cum susciperet Berolinum, exquisitos & pungitivos in dextro hypochondrio sub inguine, alvo simul valde adstricta, patiebatur dolores; quos protuberans tandem tumor excepit, qui procedente tempore ex inguine in ipsum scrotum descendebat, multum ægro molestiarum faceffens. Consuluit celebrem in eadem urbe Medicum, qui pilulis suis & aliis adhibitis medicamentibus, id quidem effecit, ut semel sanguis per anum cum ægri quodam levamine erumperet. At vero fluxus hic, quum per annum restitasset, nullo medicamento revocari potuit: sed dolores truculenti, quamvis per venam pedis sanguis educus fuerit, repetebant, & immaniter abdomen cruciabant; ingravescentes quando e lecto surgebat & leniter obambulabat, vel auræ frigidiori se exponebat. Acutus in regione umbilici constitit dolor, & permolesta, quasi ingentis globi ibi hærentis & prementis sensatio, quæ tam graviter sæpe torquebat, ut æger corpus in cretæ situ vix servare, sed incurvare debuerit, lamentabili sæpius voce doloris exprimens sevitiâ: nam tum prolapsum intestinum cum dolore lancinatorio & ardente valde distendebatur, atque in hypochondriis, dorso & femoribus tam dolorificæ rosiones & stricturæ urgebant, ut rigidum & contractum corpus æger plane e loco dimovere non potuerit. Alvus firmiter erat occlusa, ut nec flatibus

tibus exitum concederet, nec clysterem intromitteret. Accessio doloris, ab hora octava matutina fuit, qui ad meridiem duravit, vomituque desivit; atque ingenti virium languore, abdominis ad tactum increfcescente dolore, nausea, ciborum inappetentia, sudore nocturno, tussi sicca, præcordiorum anxietate, marcore, urinæ suppressione comitatus agrum mire maceravit. Misit ad me historiam morbi. Suasi, ad levandum malum, pulveris antispasmodici usum, qui ex lapidibus cancrorum, nitro, cinnabari & castoreo erat compositus, item liquorem anodynum cum refracta dosi spiritus bezoardici *Buffii* remixtum, nec non elixir viscerale inter cibos assumendum: balneum etiam aquæ dulcis & hirudinum ad anum applicationem, atque ut, loco cerevisiæ, aquam Selteranam cum pauxillo vini vel ptisanam biberet, & alvum clystere oleoso & emolliente apertam servaret, ordinavi. Proximo autem vere, meo ex consilio, thermas Carolinas adiit; & absoluta cum iis cura balneo Tœplicensi, optimo & sperato cum successu ac levamine, usus est.

#### *Epicripsis.*

Dolores intestinorum spasmodici & flatulenti, si chronici sunt, plerumque originem suam sanguini intra tunicas intestinales nimium congesto & stagnanti, ob impeditiorem per mesenterium & hepar circuitum, sub vita ad otium & quietem composita, debent. Neque hic corpus facile deserunt, nisi natura sponte sanguinem per sedis venas emittat, si videlicet naturalis quædam ad hunc fluxum adsit dispositio; qua deficiente nil perniciosius est, ac sanguinem commoventibus, aloëticis præsertim, & pilulis balsamicis, cujuscunque etiam fuerint generis vel Acetoris, ad hunc fluxum naturam cogere velle. Tantum enim abest, ut symptomata inde remittant, quin potius a commoto & ebulliente inter tunicas nerveas stagnante

gnante sanguine, spasmi & dolores exacerbentur, cum tanta læpius vehementia, ut etiam nervus mesentericus magnus intercostalis & omnes partes ad quas ille ramos suos dispergit, peritoneum quoque & muscoli abdominis cum intestinis in consensum rapiantur: atqui exinde herniam inguinalem & postea scrotalem fuisse subsecutam aliquoties notavi; quemadmodum similem effectum a validissime operantibus drastis & emeticis enatum vidi. Tunc vero semper deterior fit ægrotantium ejusmodi conditio: nam ubi labem notabilem vel vitium quoddam intestinum vel tantum pars ejus contraxit, sicut in herniis contingit, colica non modo affectos, sed hypochondriacos quoque gravissime luere perpetuum fere est; excrementa quippe in ejusmodi tumore intestinali quam facile congeruntur & sistuntur, atque ita totum motus peristaltici adeo necessarium negotium perturbatur. Per remedia dietetica & accuratum vitæ regimen, moderationem animi affectuum, sanguinis decentem per venas evacuationem, aquarum mineralium quæ temperie gaudent tam externum quam internum usum, melius & citius, quam per multa medicamina nervina, calefacientia & purgantia ad desideratam sanitatem ægrotantes perveniunt: sicut ego quoque in ejusmodi morbis abstinentiam ab omni cerevisia, & potum quo puriorem & simpliciore eo præstantiorem commendo.

## OBSERVATIO III.

*Colica biliosa iliaca in anopota, ex frigore, epistibonate &c. curata.*

Quadraginta abhinc circiter annis, cum officio Physici Mindæ fungerer, vir honoratior annorum XL, cholericæ & in iram valde proclivis naturæ, ingenii vero acuti & vividi, cibos infumatos & salitos in deliciis habebat, & liberaliter quoque vino & spiritu vini utebatur. Hyeme, sub aura valde algida, ex itinere domum reversus, de dolore lumbari, acerbis ventris torminibus, alvo dura & constricta; quæ trium clysterum injectionem elusif,

con-

conquerebatur. Aderat calor præternaturalis, summa fitis & vigilia. Admissis clysteribus primo emollientibus, deinde carminativis, item sumto decocto mannato cum oleo amygdalarum dulcium, & mixtura ex aqua menthæ, spiritu nitri dulcis, syrupo papaveris albi & pulvere præcipitante nitroso propinata, malum fuit depulsum. At vero elapso vix duarum hebdomadum spatio in eundem morbum ægrotans incidit, qui profligatus, etiam tertia vice repetiit, tam vehementi gradu, ut ego & Medici adstantes summum timeremus vitæ discrimen. Nam atrox dolor assidue affligebat, cum intenso calore, siti inexhausta, animi defectione, ingestorum & medicamentorum per superiora rejectione, præter aquæ simplicis frigidæ potum cui quippiam calidi panis injectum, quem retinebat: alvus nullis clysteribus vinci poterat: iliacum morbum ante oculos conspicebamus: neque ab ullo medicamento tam externo quam interno quicquam levaminis recipiebatur. Æger vero, quia per quinque continuos dies, assiduis vigiliis & jactatione corporis detinebatur, in extremum virium lapsum conjectus erat. Igitur, ad somnum conciliandum, sequens excogitavi epithema, Rec. florum rosarum, sambuci, lavendulæ ana pugillos tres, seminis papaveris albi, hyosciami, anethi, nucistæ, nucleorum Perficorum, singulorum drachmam unam semis, croci drachmam; quæ species concisæ & contusæ, postquam in lacte ebullierant, applicatæ toti capiti fuerunt. Hujus tam felix erat operatio, ut per totam noctem placide miser ægrotans dormiverit: a quo tempore omnia priora symptomata, conatus vomendi, dolor vehemens, inquietudo & anxietas conquieverunt, alvus quoque admoto suppositorio respondit. Datis postea convenientibus & temperatis stomachum & intestina roborantibus integre restitutus fuit. Ad præcavendam vero tam atrocis morbi vim & recursionem, consilium dedi, ut, quia non assuetus erat

(*Hoffm. Syst. T. IV. P. II.*) X x venæ

venæ sectioni, eam bis vel ter quotannis admitteret; dein ut duriorē victum & largiorē vini, adhuc magis vero, spiritus vini potum evitaret. Mixture quam ad stomachum roborandum præscripsi, ex essentiæ carminativæ *Wedelii* uncia dimidia, essentiæ cascarillæ drachma & dimidia, spiritus oleosi *Sylvii*, guttis LX. constabat; quam, ante & post cibum sumtum, per annum usurpavit. Pro potu aquam simplicem commendavi, cui panis calidus recenter ex furno extractus injiciebatur. Ita a recurso hujus mali plenarie fuit vindicatus.

#### *Epicriffs.*

Ex hac morbi historia & curatione paulo pensuculatus considerata, evidenter apparet, primo, sub omni graviore dolore in parte quadam nervosa suscitato, universum nervorum systema in consensum rapi & atrociam in variis partibus induci posse pathemata. Dein quoque ingens illa capitis membranarum cum ventriculo & intestinis consensio, ex ea evincitur; cum capiti ceu parti a dolore valde remoto exterius tantum applicatum sedativum remedium, in dissitis partibus graviter affectis, vim suam & efficaciam exeruerit. Sicut vero omnes affectus nervosi generis, ita etiam intestinorum & ventriculi dolores, facile ex neglecto vitæ regimine, inque primis per affectus animi immoderatos, per frigus & ventum Borealem exterioribus improvide admissum, nec non cibum & potum minus convenientem, recidunt: id quod facillime, in cholericis & ad iram proclivis temperamenti corporibus evenit; quibus aquæ frigidæ potus vino multo est convenientior: docente id ipsum GALENO *Libr. X. method. cap. VII.* De cujus etiam salnari usu AMAT. LVSITANVS testatur, se atrocem intestinorum dolorem, aquæ frigidæ exhibitione, subito & incantamenti instar sustulisse.



## OBSERVATIO. IV.

Anno circiter supra millesimum sexcentissimum, octogesimo quinto, cum Halberstadii Provincialis Medici nomine degerem, ad monasterium Hammerslebense, cui Medicus alius ordinarius præerat, ob plures religiosos ibi graviter laborantes, fui vocatus. Offendi ibi numero plures qui per longum tempus atrocibus ventris torminibus cum alvo pigerrima & constricta conflictabantur, de frigore quod sustinere, horas primo mane in templo frequentando, debebant, contraxerat: quidam ex iis herniam inguinalem & scrotalem sibi contraxerant: alii qui liberati erant, paralyti & stupore manuum affecti. Erant homines repleti, eufarci, sanguineæ complexionis, qui venæ sectionem in anno vix semel admittebant, lauteque viventes mero non parum indulgebant. A dictis vero malis liberi permanserunt, qui tenuiori victu & cerevisia simpliciori se sustentabant. Igitur cum ex nimia sanguinis abundantia ejusque stagnatione inter intestina morbum prognatum judicarem, consilium dedi, ut impostero sanguinis missionem frequentius celebrarent, & ptisanam cum vini portione remixtam biberent: datis medicamentis magis refrigerantibus & leniter carminativis, spiritu nitri dulcis præsertim, & ipso nitro cum lapidibus cancerorum & croco permixto, quam valde calidis, quibus antea erant usi. Suasor quoque fui, ut vere approximante acidulas Pyramontanas vel Egranas regimine cum convenienti biberent. Ad paralytin vero tollendam, post balneum aquæ dulcis, linimento ex aqua Anhaltina, spiritu & sale volatili lumbricorum terrestrium, oleo nucistæ expresso, camphora & castoreo parato, partes affectas ut probe inungerent suasi & edixi. Neque exiguum inde levamen consecuti sunt.

*Colica sanguinea ex diæta lauta & vinosâ, venæ sectione & aqua potu curata.*

*Epicrisis.*

Sicut colica vulgo & in scholis Medicis in biliosam & pituitosam distingui solet: ita etiam sanguineam, in plethoricis præsertim, ab iis rebus, quæ sanguinem nimium in vasis accumulunt, excitari posse experientia nos crebrior docet. Nam ex mensium, in feminis, in viris, hæmorrhoidum suppresso fluxu, acerbos abdominis dolores gravibus symptomatibus stipatos oboriri, nostro tempore non novum est; licet veteribus hæc morbi species videatur incognita. Equidem apud HIPPOCRATEM *Lib. III. de morbis hæmatitis ilei* nomen occurrit: sed si pensiculate, quem describit morbum consideramus, longe alius est quam iliacus, cujus signa in eodem loco proponit: adeo ut nihil fere cum hoc habeat commune. Nam ileos, quo nomine omnes dolores ventris complectitur, vera historia *lib. III. §. 15.* cumulate & perfecte traditur. Rectius, optimus HIPPOCRATIS interpret FOESIVS in *oeconomia* sua, ac non sine ratione, suspectum esse hunc locum, & defectum atque mendum subesse judicat. Neque etiam in regionibus calidioribus, in quibus venerandus Senex egit, tam frequenter ex plethora vel fluxu hæmorrhoidali oboriuntur ægitudines, quam in nostris meridionalibus & temperatioribus. Solent vero hujusmodi dolores esse & longiores & atrociores, maxime quando cacochymia concurrat: hinc fit, ut, debilitato valde genere nervoso, in paralyfin, epilepsiam vel alios morbos nervorum & capitis terminentur, præsertim, si non rite, per calidiora videlicet interna & externa, anodyna immoderate sumta, tractentur. In regionibus præcalidis in Italia & præsertim Romæ, item in Hungaria, superiori Austria, Moravia, ob abusum vini generosi, sanguineæ & biliosæ colicæ frequentiores sunt. Neque ibi datur ad eas tollendas, præter usum refrigerantium & præsertim aquæ frigidæ, præsidium facile convenientius & efficacius. Et ob hanc rationem

tionem non modo AMATVS, sed & ZACVTVS, LV-SITANI *hist.* 295. pag. 351. colicam a bile factam, aquæ frigidaë potu & *Lib. II. obs.* 25. *prax. adm.* nive curatam meminerunt. Conf. hac de re *M.N.C. cent. V. p.* 193. 194. *cent. X. p.* 273. item *Decur. II. An. VIII. obs.* 13. & *Anno X. observat.* 139. Vidi quoque in paralyfi ab eadem causa exorta, balnea paulo frigidiora, plus efficaciam quam calida præstitisse.

## OBSERVATIO. V.

Anni propemodum sex elapsi sunt, quum Beat. D. *Colica sanguinea, ex mensibus* D. NABOTH me Lipsiæ degentem, ad feminam mercatoris primarii viduam, quæ gravissimis abdominis doloribus, ex mensibus per vehementem terrorem suppressis torquebatur, duceret. Deliberatione invicem habita, primo sanguinem e vena emittendum, dein clysteres emollientes & oleosos cum stimulo salino injiciendos curavimus, & mixturas carminativas ac sedativas, quarum princeps ingrediens spiritus niri dulcis fuit, propinavimus: sed sine effectu. Ipse asseverabat, se modo in hac ipsa ægrotante, valde sanguinea, quæ ante dimidium anni eodem morbo fuerat correpta, miro cum effectu & dolorum levamine, solo aquæ frigidaë usum fuisse potu. Nolui prius in ejus descendere sententiam, quum inflammationem vererer: sed ipse cum assertis & promissis suis insisteret, nolui morosius repugnare: & res etiam feliciter, ac putaram, successit. Hic itaque aquæ frigidaë simplicis potum ad II. cyathos de die per vices sumendum, tecto prius probe corpore & pedibus, curavit. Subsecuto largo sudore, postea placido somno, omnes dolores abdominis conquieverunt. Affirmavit quoque, quod lintea aqua frigida madefacta, felicissimo sæpius cum effectu, in tali casu applicasset.

*terrore suppressi, aqua frigida curata.*

*Epicriffs.*

Quod in aqua frigida summa lateat medicina, ego multa experientia, qui ipse: *de aqua medicina universalis*, dissertationem scripsi, edoctus fui. Sed uti omnia magnæ efficacix remedia, quæ a Medicis sagacioribus heroica audiunt, exquisitum iudicium ac prudentiam, omniumque causarum considerationem desiderant; ita id ipsum de aquæ frigidæ interno & externo usu, maxime valere existimo. Nam imprudenter & intempestive data, præsertim ubi metus inflammationis est, non potest non summum periculum, imo necem afferre. Nihilominus ad calidam acrem materiam temperandam, nimium sanguinis ebullientis æstum reprimendum, ad vires ab immodico fervore collapsas restituendas, ad roborandum partium tonum, & systolen cordis & vasorum augendam, remedium efficacissimum utique præbet. Vidi ab ejus potu in cholericâ passione miraculosos plane effectus. Neque indignus animadversione est locus apud LVDOV. SEPTALIVM, quem *libr. VII. animadvers.* p. 248. insinuat, & huc integer adduci meretur. *Contingit, scribit, aliquando ut colici dolores adeo vehementes sint, ut omnem medicamentorum operam eludant, ac quocunque auxilio adhibito potius augeantur. In quo casu erit ad contrariâ transeundum. Quum enim colici dolores maiori ex parte, a materia frigida fiant aut a flatibus distendentibus; sit aliquando, ut aut ratione vigiliarum, dolorum, aut mororis ob contumaciam aut invalescant nimium, aut intestina, accedentibus etiam calidis & foris apposis remediiis, aut phlogosi quadam tententur, aut etiam vera inflammatione incipiunt affici, aut multa præexistens bilis ibidem transfundatur. Vnde ad contraria erit transeundum & insigniter refrigerandum. Quod mihi præterito contigit, in nobili quodam Hispano, qui cum colicis doloribus per aliquot dies acerrime fuisse conflictatus, ut iamiam mors esset præ foribus,*

bus, nulli persentirentur arteriarum, pulsus, sudores essent resolutorii, nulla denique superesset spes salutis, ne quidem apud Medicos etiam præstantissimos: accersitus & ego, cum sitim inextinguibilem, linguæ scabritiem, nigrorem atque duritiem; peractis autem hypochondriis & ventre inferiori, calorem illum in partibus æstuantem adesse observassem, Hispano aquam multam nive etiam refrigeratam, bibendam exhibui, cum natura abstemius esset. Et multa aque potator in somnum prolapsus est, & quatuor horarum spatio cum dormisset, dolore quodam inferioris ventris, a primo maxime, ut ipse referebat, diverso, excitatus a somno, miram bilis flavæ copiam evacuavit & a doloribus liber evasit. Unde collegi, Medicos, qui illius curationem susceperant, in causa morbi illius longe deceptos fuisse, cum calidis remediis curationem instituissem, a frigida materia morbum factum iudicantes. Neque in colica flatulenta, a causa calida, frigida exterius applicata penitus improbanda veniunt; qua in re auctoritate eximiorum Medicorum CRATONIS, item VALESCI de TARANTA niti licet, qui lintea aqua frigida madefacta & ventri imposita in colicis doloribus sedandis magni faciunt. Cui experientiæ, adstipulantem quoque habemus rationem: nam flatus qui valide & mirifice tunicas & parietes intestinorum distendunt, nihil aliud sunt ac ær calore rarefactus, elatere ejus valde adaucto; frigida igitur, ut experimentis mechanicis compertum est, cum aërem nimis rarefactum condensent, atque in angustium spatium cogant, nec non fibris nimis relaxatis tonicam vim reddant, ut calefacto corpore sanguis majori velocitate propellatur, efficiunt.

## OBSERVATIO VI.

Juvenis XXII. annorum studiis operam navans, gracilioris corporis structuræ, ex impura Venere, gonorrhœam sibi contraxit; ad quam curandam Chirurghi opera usus est. Hic primum fortiter corpus purgabat, dein adstringentia, *Colica convulsiva, ex gonorrhœa adstringentibus suppressa.*

tincturam sulphuris vitrioli, antiphthificam *Grammani* & pulveres ex magisterio Saturni, terra sigillata, succino & osse sepiae compositos, ad sistendum fluxum copiose adhibuit. A quorum usu per septimanam continuato hæc mala infecuta: atroces cruciatus in abdomine, quod durum tensum & renitens erat, oborti, alvo prorsus obstipata; aderat inappetentia, inquietudo, & tremore ac tractionibus artus, femora, pedes torquebantur. Enixe meum exposcebat auxilium. Neque infeliciter successit curatio, quæ clysteribus emollientibus & oleosis crebrius injectis, infuso mannato, ex sero lactis, quod stimulo salino erat armatum, & pinguioribus jusculis, blandisque internis carminativis, & balneo aquæ dulcis, intra novem dies absolvebatur.

*Epicrisis.*

Quantam noxam improvide data adstringentia, ventriculo & intestinis ceu partibus valde nervosis & membranosis inferant, tonum & motum eorum plane turbando & invertendo, dici vix potest. Atque innumeris exemplis, quam pernitiæ ea, in alvi, sanguinis, feminis fluxu sistendo, effectus exerant, confirmare & illustrare possemus. Ex horum vero numero pejoris adhuc notæ sunt, quæ ex Saturno depromuntur. Hæc uti exterius non carent sua laude & virtute: ita interius usurpata, fibras nerveas intestinales constringendo, veri veneni naturam & vim habent; adeo ut ipsa, ceu per se quidem non damnata, tamen quoad usum internum damnanda, e re publica medica, jure meritoque exterminari debeant. Memoratus morbus recte dici potest colica convulsiva, quæ ab HIPPOCRATE *libr. de victu acutor.* §. 61. cholera sicca nomine venit; qui hunc in modum ejus naturam & curationem perite & optime exponit: *In cholera sicca venter inflatus est & strepitus insunt. Dolor laterum ac lumborum: secedit autem nihil deorsum, sed alvus adstricta est.*

*Talem*

*Talem observato, ut ne vomant, sed alvus subeat. Infusum itaque calidum ac pinguisimum quam citissime per clysterem immittito, & oleo illitum in aquam plurimam calidam paulatim affundens, & si calefcenti ipsi alvus subierit, morbus solutus est, a cibis vero absteineat: sique non remiserit dolor, asinum lac bibendum dato, donec purgatus fuerit.*

## OBSERVATIO VII.

Vir quidam plebejæ sortis, robusti & obesi corporis, XXX. circiter annorum, cerevisia ebrius, rixando in diversorio cum sui similibus, domum brumali tempore revertitur, & carnem suillam pinguiorem cum magna panis copia ingerit. Alvi fluxus cum torminibus insequatur; sed, cum sub coelo frigido alvum deponeret, sistebatur. Vnde dolores sævissimi totum occupabant abdomen, lumbos, hypochondria: atque alvus erat valde obstipata, artus frigidi tremiscebant, summa aderat anxietas & inquietudo, internaque præcordiorum angustia & constrictio; demum spasmus & dolor genua infestabat eaque constringebat. Curatus fuit jusculo avenaceo, in quo flores chamomillæ & sambuci cocti, quod cum salis Ebsoniensis & nitri dosi atque oleo amygdalarum dulcium per vices fumfit, non omisissis clysteribus oleosis & emollientibus, atque internis carminativis & anodynis. Postea crebro balnei aquæ dulcis usu, ad convulsivas artuum tractiones leniendas, sanatus est.

*Colica flatulenta ex ira  
& superingesta carne  
suilla.*

*Epicriss.*

Ad subitam atrocis hujus ventris doloris generationem, variæ, sed validæ concurrebant causæ: ebrietas, affectus iræ, & post hanc ingesta pinguium & viscidorum ciborum copia, frigus, & ab hoc alvi fluxus suppressio. Non mirum hinc est, ex flatibus intra intestinorum cavitatem excitatis a spasticis tunicarum intestinalium contractionibus, intus retentis & incarceratis, tam atroces dolores & gravissimas nervosarum partium afflictiones fuisse productas. Et quia ob-

structio alvi proxima causa horum malorum fuit, eam rursus aperiri expediebat. Quod vero non promiscue per purgantia & fortiter stimulantia, quæ dolores & spasmos potius excitant, fieri debet, sed per salia oleosis & demulcentibus mixta, quo nomine sal Ebsoniense laudamus, quod ad unciam in aqua solutum & exhibitum, præmissis clysteribus, ad flatum & excrementa provocanda, præ omnibus aliis laudem & commendationem promeretur. Balneis aquæ dulcis ex emollientibus & roborantibus paratis, ad robur partibus externis conciliandum, quod a vehementi dolore & spasmo plane læditur & destruitur, in fine ejusmodi morborum nil est convenientius, nil efficacius; cum veteres, inter quos HIPPOCRATES, CÆL. AVRELIANVS, TRALLIANVS, ARETÆVS, vsum eorum mirifice tollant atque commendent.

## OBSERVATIO. VIII.

*Colica sanguinea chronica, alternans cum arthritide, Carolinæ curata.*

Serenissimus S. R. J. Princeps ante aliquot annos per Archiatrum adversam suam valetudinem, salutare consilium suppeditandi causa, ad me perscribere jussit. Is cum in flore ætate constitutus, boni & sanguinei corporis habitus, ingenii valde vividi & alacris, narium hæmorrhagiæ in juventute valde obnoxius esset; per integrum fere annum sævis doloribus, & atrocibus intestinorum tormentis fuit affectus: quo factum est, ut in ingentem virium lapsum atque in corporis tabescentiam conjectus fuerit. Ad fluxum hæmorrhoidalem quædam adfuit suspicio; qui tamen non rite & ex voto procedebat. Ad hunc promovendum & dolores mitigandos varia usurpata fuere remedia, & hæc quoque pilularum polychrestarum & ad exemplar Becherianarum paratarum frequens usus intercessit: qui parum tamen profecit. Quasitum itaque ex me fuit: utrum thermæ Carolinæ convenienti regimine usurpata, tuto & exoptato cum fructu possint adhiberi? Ego responsum dedi, quod tam ad arthritidem, quam ad dolores ventris spasmodicos, nec tutius, nec præstantius, harum thermarum



marum usu, cognitum mihi sit atque perspectum auxilium: quod multis exemplis confirmare valerem. Huic consilio multi, & Medici quoque, ob anceps remedium & verendum periculum, sese opponebant; dubio procul ex hac causa, quod nullam prorsus de hisce salutiferis fontibus, ratione ingredientium & virium, habuerint notitiam & experientiam. Serenissimus Princeps autem, pro eo quo pollebat iudicii acumine, utpote omni hætenus destitutus fuerat auxilio, sententiam meam amplexus, iter suscepit, per hanc civitatem transiens: & fatigatus ex itinere hic advenit, sed in uno pede tumore erysipelaceo ingenti correptus, qui sano vel triplo grandior erat. Altero die intolerabiles abdomen invadebant dolores, tanta cum ferocia, ut clamores & lamentationes exprimerent, & omnem somnum adimerent. Ad quos sopiendos & ego & alius loci hujus Medicus accersēbamur, sed præter clysteres emollientes & carminativos atque linimentum externum, pulverem ex antimONIO diaphoretico, nitro, sale absinthii & lapidibus cancerorum paratum per vices dedimus; sanguinem quoque e pedis vena emittendum curavimus; sed parum inde levaminis persensit. Per tres & ultra dies dolorum persistit atrocitas. Tandem consultum duximus, præmissa fotu, hirudines quinque ano applicare, quæ sanguinis aliquot uncias extrahebant: quo factò insignis dolorum remissio & sensim plenaria sanitatis restitutio, Divino sub adjutorio est secuta. Data instructione de usu harum aquarum decenti, adiit Carolinas & per IV. fere hebdomades iis interne usus est: balneum quippe interdixi; pediluvium vero pro discussione tumoris in dies adhibuit. Quæ cura ex voto successit: & ad nos sanus & incolumis Serenissimus est reversus, non sine insigni comitatus gaudio & applausu. Immunis a truculento affectu tam colico quam podagrico per integrum mansit annum. Altero anno & iter & curam hanc repetiit, majorique virium augmento rediit, integra etiamnum, ut mihi relatum est, valetudine gaudens.

*Epicrisis.*

Quin arthriticus & colicus spasmodicus dolor nimiam sanguinis abundantiam, ejusque impeditiorem per mesenterium & viscera abdominis transitum, pro vera causa agnoscat, nihil dubitandum est. Minus recte, sed perperam horum malorum, per promotionem fluxus hæmorrhoidalis tentata fuit depulsio. Permultis ego exemplis compertum habeo, quod si natura non inclinaret ad hunc fluxum, & meatus ad egerendum sanguinem non satis sint dispositi, ejusmodi calida gummoso-resinosa & aloëtica, urgendo sanguinem ad intestina, colon & rectum, detrimentum potius quam emolumentum afferre. Jam vero ipsa dicitur sana ratio, quod longe tutior & certior hisce malis medendi sit via, si per viscera abdominis inque primis hepar, liber sanguinis motus & circuitus promoveatur: quod omnino per convenientem aquarum mineralium & maxime Carolinarum usum præstari & confici potest; cum multa mihi hisce sanatorum morborum obvia sint auspiciatissimi successus exempla. De cetero singularis & plane admirabilis, in sedandis ejusmodi doloribus, ex admotione hirudinum effectus meretur animadversionem. Et inde luculenter intelligimus, sanguinis missionem, quæ fit in partibus a loco affecto remotis, non tanti esse momenti & usus, ac illam, quæ in locis propinquioribus instituitur; quamvis non negaverim, tali etiam in casu, si corpora sanguine nimium exundant, ante hirudinum applicationem, venæ sectionem sæpe numero utilissimam observari.

## OBSERVATIO IX.

*Tuta methodus curandi colicam ex morbis prægressis oritur.*

Post crebriores ex calculo renali dolores, post alvi fluxus atque intermittentes perperam curatas, sæpe numero ego in praxi intestinorum tonum & motum naturalem labefactatum & destructum notavi. Nam ab eo tempore, & alvus non rite respondit, & flatulentis, borborygmis & assiduis eructationibus, concurrente præsertim sedentaria vita, per

per longum temporis spatium decumbentes affecti fuerunt. Ad quas molestias & incommoda avertenda & tollenda, sequenti methodo haud infeliciter sæpe numero usus sum. Piliulas meæ compositionis leniter laxantes balsamicas, bis in septimana ad grana XV. vel XX. mane sumendas ordinavi, ubi præcedente die circa lecti introitum, salis aperitivi dosis, quod e.g. extartaro vitriolato, nitro, sale Ebsoniensi, terra foliata tartari concinnari potest, præmissa fuit. Dein ad labefactatum intestinale tonum & labem restituendum, essentiam carminativam B. *Wedelii*, quæ ob spiritum nitri, ejus compositionem ingredientem, singulari flatu discutiendi facultate pollet, quando cum dimidio essentiaë cascarillaë, item una parte spiritus de tribus miscetur, ego non satis dilaudare possum: cuius medicamenti conveniens pro circumstantiarum ratione dosis, bis de die, mane scilicet & finita post prandium concoctione, in idoneo exhiberi potest vehiculo. Sed opera danda est, ut cibi fermentescibiles inflantes, pingues & qui difficilioris sunt concoctionis, atque ante omnia frigus evitentur. Præterea & id quoque compluries in praxi mea annotavi, quod dolores colici & flatulenti, cum borborygmis & ructationibus, interna angustia atque gravitatis circa præcordia sensu, a sola sphincteris ani valida constrictione & angustia producti, hæc vero a copiosiori sanguinis vel feri affluxu ad ejus venas internas vel externas hæmorrhoidales suborta fuerit: ex quo fit, ut nec flatus, nec excrementa liberum habeant exitum, sed retenta resiliant & versus superiora ferantur, plurimum molestiaë & incommodi procreando. Tali in casu, quando fortior fit ad excernendam alvum nitus, is plane inanis est: exprimit quippe mucum instar albuminis ovi & quandoque prolapsum recti efficit; imo vidi herniam inguinalem inde productam, sique hæc, vel scrotalis iam præfens fuerit, eam longe grandioreni factam. Atque hic tenendum, quod suppositoria, præsertim stimulantia, & acriorem dolorem & majorem affluxum excitando, malum exasperent: quin potius

clysteres emollientes & interne pulveres absorbentes nitrosos, item infusum mannatum cum cremore tartari, & interdum si plethora urget, venæ sectionem, commodissimum invenisse locum testari possum.

*Epicrisis.*

Ad tonum & motum intestinorum labefactatum, qui obstructionis, flatuum, dolorum & multorum aliorum incommodorum causa ac fons est, reparandum & confirmandum, ego non modo remediis internis, sed etiam clysteribus accommodatis & idoneis usus sum felicissime. Et tales sunt, qui ex speciebus, quæ non tam evacuante sed & roborante efficacia pollent, parantur; cujusmodi sunt herba salviæ, rutæ, flores chamomillæ Romanæ, bacca lauri, juniperi, semen anethi, carvi, myrrha, quæ leni facta ebullitione, in vini Gallici & aquæ communis aequali portione, extrahantur & injiciantur. Quandoque portionem balsami nostri liquidi vitæ, clysteribus carminativis adjiciendam curavi. Sed necessarium est, ut ante horum usum, alvus aperta & a flatibus libera sit. Præterea, & hoc loco id monere consultum duco, quod, ubi tumor in extremitate intestini recti, flatuum & incommodorum in imo ventre, obstructionis quoque alvinæ causa sit, pilulæ purgantes, item quæ aloën recipiunt & motum sanguinis ad intestina crassa dirigunt, nisi malum exacerbare & revocare velimus, plane non, vel cautissime exhibendæ sint.

OBSERVATIO. X.

*Curatio colicæ, ex morbis exanthematicis, vel retrocedentibus, vel non expulsi.*

Placet in genere quasdam adhuc insinuare observationes practicas non exigui momenti, quarum attentior consideratio Medicis junioribus haud parum utilitatis & adjumenti, in sanandis intestinorum dolorificis affectionibus afferet. Nam sæpius annotavi, familiarissimo nostro ævo qui feminas præcipue corripit morbo, purpuræ videlicet, intestinorum dolorem sæpius adjungi, idque maxime evenire, quando incauta victus ratione, vel importuna medicina, materia vitiosa non satis ad habitum

bitum corporis protruditur, sed intus retinetur, aut a superficie corporis retrocedit: qua ad intestinorum tunicas delata, subito tormina, aliaque gravia accidentia incidunt. Neque vero tam facilis labor est, peccantem humorem ad extimam rursus cutem prolicere, sed moderationis, temporis & patientiæ beneficio opus est. Lenissima vero & æqualis est procuranda diaphoresis, per crebrius datos pulveres diapnoicos cum tantillo nitri & cinnabaris: liquor etiam anodynus mineralis paucioribus liquoris *Bussi* guttulis animatus, ad foras excludendam pessimæ indolis materiam, plurimum valet. Uti vero in hoc morbo potus cerevisiæ nunquam non noxius; ita plus detrimenti, si retrocedens materia interiores nerveas partes obsidet, certo affert. Commodum itaque, ex demulcentibus & acrimoniam temperantibus placideque diaphoreticis speciebus decoctum cum aqua paratum, per totum morbi decursum offerendum. At vero cum ex frequenti observatione compertum habeam, dolorem colicum in iis qui purpuræ scorbuticæ sunt obnoxii sæpius repetere & gravibus accidentibus ægrotantes torquere, sine ullo in extimis partibus apparente exanthemate; ego quidem ad avertenda hæc mala non efficacius remedium, præter usum acidularum temperatarum cum tertia lactis vaccini, vel quod ego protulerim, alinini parte facta miscela, verno tempore susceptum, reperire potui.

Deinceps frequentius id in praxi mea observavi, quod dolores intestinorum paulo acriores, ubi in extrema ætate constitutos adoriuntur, & paulo diutius insistent, vitalibus viribus valde attritis lethalem plerumque exitum post se relinquunt. Cujus eventus ratio, mihi hæc videtur, quod senes ordinario, ob virium languorem & discrasiam humorum intemperatam & scorbuticam, ex levi etiam partis externa læsione, in sphacelum sint proclives. Quod multo magis evenire puto, quando a dolore & spasmo intestina, velut partes texturæ profusæ nervosæ & fibrosæ, paulo acrius infestantur. Ex quo intelligitur, quam caute & provide, circa

Circa res diæteticas infirmi senes se gerere debeant, ne quicquam admittant, quod dolores & spasmos in intestinis excitare aptum sit.

Neque dum in hac materia versamur, quæ non minoris in praxi momenti est, hanc observationem præterire possum ac debeo, quod biliosa colica, ea præprimis quæ ex gravi progignitur ira, tertianæ sive continuæ sive intermittenti superueniens, magni non expers sit periculi, utpote quæ perperam per purgantia, emetica aut sudorifera, vel nimium calorem externum tractata, quam facile in intestinorum tenuium inflammationem lethalem, præeuntibus anxietatibus & convulsionibus, transeat, & die paroxyfmi mortem plerumque accersat. Ex quo discere Tyrones possunt, quam provide & caute tractare debeant tertiana alias benigna detentos, tam gravi symptomate incidente. Ego in demulcentibus & temperantibus potionibus ac lenioribus laxantibus, cujus generis sunt serum lactis bene depuratum, decoctum avenaccum, ex floribus chamomillæ vulgaris, emulsio amygdalarum dulcium, papaveris & seminum IV. frigidorum majorum cum ptisana præparata, pulvis *Marchionis*, vel ex lapidibus cancrorum, nitro & rhabarbaro confectus, atque clysteres emollientes, optimum & præsentaneum auxilium deprehendi.

## CAPVT VI.

DE

# ACVTO DOLORE ET SPASMO EX CALCULO RENALI.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I.

*Dolor ex calculo renali difficilius dignoscitur.*

**D**olor, qui ex calculo renali firmiter urinæ meatibus impacto proficiscitur, uti omnium quidem passionum, quæ genus humanum misere torquent, est acerbissima:

ma: ita sæpius fit, ut is, si quis prima præsertim vice ex hoc laboret, difficillime ab aliis, quæ circa regionem lumbarem consistunt dolorificis affectionibus discernatur.

## §. II.

Communis sed pessimus mox invaluit, ut, si quis circa regionem lumbarem doleat, statim ex calculo renum se dolere existimetur; cum tamen ibi complures valde sensibilis indolis & dolori obnoxie sint partes, ut musculi lumborum externi & interni, ligamenta vertebrarum lumbarium nervæ, plexus nervorum superior mesentericus, ramus arteriæ meseraicæ superioris, & circa vicinia, flexuosus intestini duodeni finis, neque minus sigmoidea coli flexura; quæ singulæ, quando a vitioso ibi stagnante, sive sanguineo, sive seroso impuro humore, vel nimis distenduntur, vel comprimuntur, dolorem satis gravem exhibent. Fit etiam quandoque, ut a rheumatismo has partes occupante tantus exurgat dolor, ut quasi lumbis per medium sectis incurvatus incedere debeat æger, nec surgere queat. Quod itidem fieri solet, si a casu, vel a magna oneris levatione, vertebræ cum nervis tantillum a propria sede recedunt. Neque tam raro evenit, ut a sola sanguinis copia, circa plexum mesentericum, & circa arterias emulgentes stagnante, in plethoricis vel hæmorrhoidariis, vel a neglecta consueta venæ sectione, ingens circa lumbos oboritur dolor, qui vulgo pro calculoso, sed perperam, habetur: dum vel solius venæ sectionis in pede beneficio, vel pulvere nitroso discutiente subito sæpe desinit.

*Non omnis  
dolor circa  
lumbos est  
ex calculo  
renali.*

## §. III.

Id vero frequentius contingit, ut dolor colicus cum nephritico calculoso confundatur: nam, quando flexura coli circa lumbos quæ jacet, vel flatibus nimium distenditur, vel spasmodice constringitur, non modo atrox in regione lumbari fit dolor, sed & ipse ad præcordia transit, nauseam ac vomendi conatum efficit, urinæ fluxum impedit, alvum constringit, imo totum abdomen cruciatibus torquet, non secus

*Quomodo  
discernendus  
a colica.*

ac a calculo fieri solet. Sed tamen, quia hic dolor spasmodicus, non assiduus, non fixus, sed magis vagus est, ac clysteribus emollientibus alvo infusis magnopere levatur: hinc peritus utique Medicus, hunc a calculoso, non adeo difficulter distinguere potest: cum hic magis pressorius sit, quod germanice exprimunt: *Es drücke sie, als ein Kloß*, atque vires non tam intense destruat, per intervalla etiam remittat, ut ægotantes sapius surgere & ambulare possint; quod in acerbissimo intestinorum dolore non accidit. Deinceps vomitus & nausea, a calculo si dolor est, jejuno ventriculo magis urget, ac in uretra imo ipsa glande titillatio & sensus punctorius percipitur, urina sabulo referta, testiculi quoque retractio ac femoris stupor & contractio ejusdem lateris fit, quod in dolore intestinorum vix observatur.

## §. IV.

*Calculus non nisi fe-  
de sua di-  
motus atro-  
citer affli-  
xit.*

Notabile est, quod calculi etiam prægrandis magnitudinis & ramis insignibus præditi in renum substantia, placide sine ullo doloris incommodo, per aliquot annos quieti delitescere possint; simulac vero e fede sua dimoventur, & in angustos nerveo musculosos canales, ureteres dictos descendunt, perque hos in vesicam exitum moliantur, mox gravissima invadunt symptomata: adeo, ut hi ipsi canales veram & fixam dolorum ex calculo sedem ac domicilium constituent, qui tamen pro differente calculi magnitudine, asperitate, ac figura, tunicas nerveas plus minus distendente & lancinante, vel intensiores vel leviores evadunt. Quandoque tam crudeles sunt, ut præter extremorum horrorem & refrigerationem, nauseam, vomitum, spasticam præcordiorum constrictionem, difficilem urinæ mictum, alvi strictionem, spirandique angustiam, stuporem cruris, retractionem testiculi ad os pubis, inquietudinem, ingentem virium lapsum, syncopen, convulsiones etiam epilepticas concitent, vel plane fatalem ischuriam inducant. Vidimus aliquando ægotantes conquestos fuisse, se non alium sensum percipere, ac si quis cultro acuto vulnus pro-



profundum, secundum longitudinem spinæ, versus vesicam continuo indigeret; ubi, in defunctis, ureteres instar farciminum a copia urinæ, cujus in vesicam influxum calculus circa introitum ureteris in vesicam hærens interceptit, extenli & turgidi comparuerunt.

## §. V.

Res est experientia confirmata, quod interdum longo tempore lapis in uretere, sine singulari dolore sine mictus interceptione hæreere & conquiescere possit, ubi tamen mox subito & ex improvise dolor revertitur acerbis, cum ciborum subsequente fastidio, nausea, vomitu & urinæ interceptione; forsitan quod ab incommodo motu situm suum mutaverit lapis, & sic asperitate sua, tunicæ nerveæ fibras magis offendat. Neque etiam semper iisdem symptomatibus hic affectus stipatur: nam, ut ERASMVS de suo calculo loquitur in *Epistol. ad Perckmeyerum*, subinde se novat, ut plane credatur aliud esse malum, quod maximam partem inde pendet, quod alia symptomata sint ab initio, alia in progressu, interdum quiescat, interdum se moveat & locum mutet.

## §. VI.

Atqui etiam illud attentionem excitare debet, quod calculi sinistrum renem, præ dextro, frequentius obsideant; quo fit, ut dolores ex renali calculo longe crebriores in sinistro, quam in dextro latere observentur: id quod confirmat CAROL. PISO in *tract. de morbis ex serosa colluv. oriund. c. II.* dum scribit: *ex centum calculosa nephritide laborantibus octoginta & amplius renem sinistrum dolent.* Neque hujus eventus ratio, adeo in obscuro posita est: in rene enim dextro, quia hepatis amplo viscere tegitur & majori præ altero calore fovetur, promptior multo atque expeditior evadit sanguinis per hujus renis vasa progressio, seri itidem urinosi separatio: hinc non tam facile sanguinis & urinæ fieri in hoc possunt stagnationes, ac in sinistro, qui coli flexura obsessus, ob frequentem flatuum restagnationem magis premitur; ex

quo fit, ut liberior sanguinis per vasa compressa interceptus cursus, difficiliorem laticis urinosi per tubulos transcolationem, atque promptiorem ibi stagnationem & materiæ tartareæ secessionem & concretionem reddat atque efficiat.

## §. VII.

*Causa eum  
e rene di-  
moventes.*

Notabile idque experientia pariter suffultum est, quod calculus diutius in renum parenchymate vel pelvi delitescens, pluribus modis ac causis, e loco suo dimoveri atque in ureteris principium propelli possit: & inter has, primas fere tenent, fortior animi per iram conturbatio, corporis subita & vehemens per vecturam sive equitationem commotio, inque primis penetrans, quod venti e plaga septentrionali præbent, frigus improvide lumbis admissum, item diureticorum, cujus generis sunt terebinthinacea, juniperina, cetera, quibus subinde sed perperam Medici ad præservationem a calculo uti solent, liberalior usus: Non semel quoque, sed iterum iterumque observavimus, quod dolores colicæ flarulentæ, item spasmi hypochondriacis, hysteris, hæmorrhoidariis familiares, nucleos calculosos papillis renalibus inhærentes protrudendo, occasionem ad crudeles istos dolores subministraverint.

## §. VIII.

*Causa re-  
mota calcu-  
li renalis.*

Quod attinet ad causas remotas & sic dictas naturales, quæ ad gignendos in renibus calculos & inde provenientes dolores symbolum suum conferunt; temperamentum sic dictum sanguineum, inter has non ultimum tenet locum. Nam corpora mollioris & spongiosioris texturæ, feminini præfertim sexus & quæ copiosum alunt in venis sanguinem, diæta lauta & vinosâ utuntur, otioque & vitæ sedentariæ indulgent, nec non placent in lacte, caseo delectantur, post quinqueagesimum maxime annum, tributo lunari cessante, doloribus ex calculo fiunt obnoxia; a quibus plerumque libera & immunita, fluxu mensium rite se habente, persistunt. Ex Viris ii, qui in adolescentia hæmorrhagiis narium, capitis doloribus fre-

frequentibus subjecti fuerunt, item qui hæmorrhoidali fluxui sunt assueti, hoc cessante vel imminuto, calculosis & podagricis affectionibus, sub provectiori ætate, subinde tentantur. Senilem vero ætatem frequentius & calculo renum & vesicæ infestari experientia docemur, quia humores fiunt crassiores & cibi in ventriculo acefcunt, alvus fit pigrior & otium quoque calculorum generationi multum patrocinator. Quo fortasse respiciens ERASMVS de suo malo ipse ita jocatur. *Illud mirum videri potest, cum femine sterilescent ætate, in senectus fecit foecundiores: nam indices crebrius parturio.*

## §. IX.

Accedit etiam hoc, quod vix ullus affectus tam crebro ex parentibus in liberos transmigrare observetur, quam Calculus & podagra, quippe quæ cum illo, ratione dispositionis solidorum & fluidorum plurimum affinitatis habet, quia uterque adfectus non modo hominibus sanguine plenis, & qui vulgo dicuntur sanguinei, est infestus, sed ambo etiam in quadam nativa debilitate & atonia solidorum, videlicet in nephriticis, renum; in podagricis ligamentorum quæ articulos vinciunt, fundati sunt. Crebrius quoque animadvertimus, morbos rheumaticos, arthriticos, podagricos quam facile transmigrare in nephriticos & hos rursus per metastasin in illos transformari & transponi, adeo ut etiam, si a dolore ex podagra quis diu immunis fuerit, in calculosam nephritidem facile incidat, & vice versa. Neque raro contingit, utrumque affectum conjunctim & uno tempore atroci dolore hominem torquere.

## §. X.

Quod attinet ad generationem calculorum in renibus, hanc tali modo concipere licet: quando, a nimis vehementi sanguinis appulsu, ejusque regressu per venas difficiliore, vasa renum sanguinea nimium distenduntur & infarciuntur, fit tandem, ut minima arteriolarum, ubi in papillulas & syphunculos urinosos abeunt, aperiantur ac dirumpantur, & ita a

stagnante & extravasato sero sanguineo, primum parvi abscessus atque ulcuscula generentur, quæ successive majora fiunt; in quibus, quando serum urinosum multis tartareis limosis partibus refertum subsistit, particulæ graviores & acuminatæ secedunt ac invicem concresecunt, ita quidem, ut materia primo crassior ac rudior sabulosa, dein etiam granis compactiora gignantur, quæ urinæ copiosius secretæ beneficio facile eluuntur, & sæpius non sine dolore foras propelluntur: ubi igitur tale crassum ac grave sabulum, in urina subsidet, haud dubium calculosæ nephritidis indicium præbet. Quando vero hi acini, vel nuclei calculosi, substantiæ renum ulcerosæ insidentes, successiva accretione majores & duriores facti, alluvione seri urinosi tartareis partibus referti, vel aliis ex causis ad pelvim & principium ureterum feruntur, majores utique cruciatus, & atrocior symptomatum concursus omnino metuendi sunt, si videlicet, per angustos hos exquisitoris sensus meatus, iter suum versus vesicam conficere debent; ad quam si fuerint delapsi, protinus omnimoda symptomatum, cum ingenti decumbentis gaudio & virium restitutione, fit sublatio.

## §. XI.

quæ demon-  
stratur.

Quod calculi autem in ipso renum parenchymate ex ichoroso vel sanguineo purulento quodam stagnante humore generentur; id inter alia vel hæc evincunt, quod in nephriticis sæpe quippiam purulenti vel sanguinei, ut olim a CELSO jam notatum, cum urina secedat, calculosis etiam mictio cruenta familiaris sit, & renes post mortem valde magni flaccidi, atque exulcerati inveniantur: quid quod curatio id ipsum testetur, quæ omnium optime, per abstergentia, vulneraria, consolidantia, leniter constringentia perficitur. Neque vero ego inficias iverim, citra præviã substantiæ renalis læsionem, in pelvi vel majoribus renum syphunculis, ex urina stagnante, materiam etiam tartaream live arenulas aggeri & concresecere sensim paulatimque in insignis molis lapil-

pillos posse. Prout vero materia illa, five sit ichorosa, five tartarea, ratione coloris, crasseos & consistentiæ differt & accretio major vel minor est; varii generis etiam lapilli concreverunt: alii quippe sunt prope saxei, dura constantes substantia; alii friabiles & male compacti, alii pallidi cinerei rubri ac Sanderachini; alii majores, minores, plus minus angulosi & asperi deprehenduntur.

## §. XII.

Omnes morbos nephriticos, ut sunt renum infarctus, inflammationes, exulcerationes, dolores ex calculo, difficilius in senioribus sanari experientia confirmat; quæ etiam HIPPOCRATIS testimonio, quod *aphor. VI. Sect. VI.* extat, ulterius stabilitur. Nam sicut læsiones & exulcerationes internarum partium, propter humorum intemperiem & excrementorum abundantiam, quæ in provectiori ætate increfcit; ita etiam, quæ renibus & vesicæ inhærescunt, propter urinæ ingentem acrimoniam, difficillime ad sanationem perducentur.

*Renum affectus difficilius in senibus sanantur.*

## §. XIII.

Si quando dolor atrox per plures dies & noctes non remittit, sed assidue torquet, & vires valde atterit ac nullis vult medicamentis expertissimæ alias virtutis cedere, omnimoda quoque urinæ accedit suppressio, cum extremorum frigore & convulsione tendinum, mortem in propinquo esse, indicio est. Maxime vero omnium, dolor ex calculo, iis, exitum atque periculum minatur, qui antea diuturno animi mœrore læcerati, vires amiserunt: nam major virium mox sequitur dejectio, partiumque internarum sphacelatio. Neque res boni ominis est, quando lapis, longo tempore ureteri continuo inhærescit; perit enim ciborum inappetentia ac digestio, nausea vero, & firmiter conatus ad vomendum, anxietasque diutius perlistens, tandemque lentus hæcticus calor, virium & carnis substantiam penitus consumens, mortem accelerat.

*Quæ mortem præse-giant.*

## §. XIV.

## §. XIV.

*Tabes renalis perimit.**It. inflammatio superveniens.*

Post mortem miræ sæpe magnitudinis valdeque compactus & ramis majoribus instructus calculus in renibus, qui toti per exulcerationem consumti & membrana duriore tecti comparuerunt, repertus fuit, cum de dolore per vitam nunquam quis fuerit conquestus: & tali malo adfecti tabe moriuntur, quæ renalis vocatur. Quidam vero ex calculi doloribus brevi tempore succumbunt, & morbo acuto pereunt, dum acutissimum dolorem, ventriculi vel intestinorum, tandem inflammatio subsequitur: quidam ob totalem urinæ suppressionem, in hydropem pectoris, lethargum vel convulsiones incidunt.

## CURATIO.

## §. I.

*Indicationes curatorie.*

Momentum profecto omne curationis positum esse videtur, tum in facili & ab omni molestia immuni calculorum exclusione, tum in impedienda sabuli excrementitii generatione tanquam occasionis & objecti sævissimi doloris & aliorum symptomatum. Longe enim alia medendi via ac ratio est in ejus accessione; alia extra eam, quæ præservatoria est.

## §. II.

*In paroxysmo dolor & spasmus sedandus.*

In ipso paroxysmo, ubi symptomatum ingens est exacerbatio, & ab atroci dolore tota œconomia functionum vitalium turbatur, primo omnium eo respiciendum est, ut dolorum vehementia idoneis remediis mitigetur, atque spasticæ stricturæ, quæ non modo partes vicinas, sed totum subinde nervosarum partium systema lege consensionis afficiunt, idoneis remediis componantur ac sopiantur; idque maxime eam ob causam, quia sub tanto spasmorum, qui meatus urinarios constringunt, impetu, calculi iter per ureterem in vesicam ægerrime perficitur. Inter probatæ vero & spectatæ virtutis remedia, quæ huic intentioni satisfaciunt, non possum non liquorem meum anodynum mineralem, ob efficacem

cem & securum utum, dilaudare; quippe qui pariori sed repetita dosi sumtus, spasmos circa primas vias sedando, molestam illam sensationem, nauseam ac vomitionem egregie tollit. Qui hujus autem medicamenti copia caret, huic spiritum nitri, rite, methodo nostra, quam præscripsimus in *Observat. physico-chym:* præparatum, plurimum commendamus; hic enim nullo amplius acore imbutus, blanda sulphurea exhalatione, & status discutit, & spasticas stricuras relaxat. Commodissime vero hi spiritus cum aquis sedativis, ut sunt, cerasorum nigrorum, florum acaciæ, sambuci, papaveris rhœados, tilia, primulæ veris, liliorum convallium, ulmaria, & præcipue omnium florum chamomillæ & summitatum millefolii, adjecto syrupo papaveris rhœados vel albi: vel etiam in brodio carnis, cum aliquot cochlearibus olei amygdalini recentis & purissimi, sine tostione prævia parati, exhiberi possunt. Spectant huc quoque emulsiones, ex amygdalis dulcibus, seminibus IV. frigidis, papaveris, milii solis, semine dauci, cum jam dictis aquis præparatæ, & syrupi papaveris albi sufficienti quantitate edulcoratæ. Quando vero leniora hæc, dolori mitigando non sufficiunt, ad paulo validiora transeundum, & quidem opiata, per aliorum additionem valde correctæ & secunda reddita, cujus generis sunt: massa pilularum *Wildegansii*, *Starkii*, laudanum liquidum *Sydenhamii*, & cœlestis theriaca; item trochisci de *Alkekengi*, qui ob virtutis præstantiam & ingredientia dolori mulcendo aptissima, laudè omnino dignissimi sunt.

## §. III.

Præter hæc dicta; nitrosa, & inter hæc nitrum tantum *Laudantur*  
purificatum & crystallatum, vel artificiale ex spiritu nitri & *ex nitro.*  
sale tartari compositum, vel nitrum antimoniatum, in compescendis præcalidis gravibus & acutis doloribus cum sanguinis & humorum exæstuationibus junctis, certe omnibus aliis remediorum generibus, virtute ac securo usu, superiora sunt, atque in morbis nephriticis laudem insignem promerentur.

(Hoffm. Syll. T. IV. P. II.)

Aaa

Quam

Quam optime vero cum cancrorum lapidibus, cum cinnabari, vel pulvere Marchionis & aliquot granis trochiscorum alkekengi vel massæ pilular. *Wildegansii* miscentur, & cum emulsione vel sero lactis dulci propinantur.

## §. IV.

*Clysteres.*

Enim vero, ubi dolorum & spasmodorum vehementia fere intolerabilis est, sola interna huic sedando non sufficiunt, sed externis etiam occurrere oportet. Inter omnia autem desideratissimi effectus clysteres sunt, ex emollientibus floribus, præsertim malvæ hortensis, sambuci, papaveris rhœados, millefolii, chamomillæ vulgaris, & verbaſci, cum sero lactis decoctis, addito syrupo dialthææ *Fernelii*, nitro & sale Ebsoniense confecti. Quando inferior recti & coli pars constrictissima est, ut flatus transmitti nequeant, sed ad superiora vergentes, anxietates augeant, enemata ex oleis & pinguedinibus, ano injecta, mirabilem attulisse opem, non una sed pluribus vicibus a nobis est observatum. Alvo aperta, flatibusque sic exitu parato, stomachi vomibundæ inversiones, cum anxiiis præcordiorum intensioribus, protinus remittunt.

## §. V.

*nec non bal-  
nea magna  
efficacie  
sunt.*

Deinceps, in mitigandis hisce doloribus, veterum inque primis HIPPOCRATIS methodum, uti antiquissimam, ita optimam maximique habendam esse censemus, dum *lib. V. de intern. affection.* hæc tradit: *cum dolor in renibus presserit, multa calida lavato, & tepesactoria, qua parte maxime dolet, adhibeo.* Idem remedium TRALLIANVS *lib. IX. cap. 4.* his verbis valde commendat; *omnium optimum est balneum, ut quod non solum mitiget, sed & curare possit: nam colicos frequenter solummodo lenit; nephriticos vero utraque ratione juvat, utantur vero acri loci inunctione, chamemelo, in balneo & diutius morentur, non semel tantum in die sed bis vel ter lavare expedit.* Et profecto, balnea & infusus ex aqua dulci, præsertim pluviali temperate calida, in sistendis

accr-



acerbissimis tormentis, vix habent sui similia, si modo crebrius repetantur. Atqui linimenta, ex axungia humana, cati sylvestris, canis, castorei, unguento dialtheæ parata, vel etiam vesicam, decocto florum emollientium antea recensitorum, ex lacte, repletam, ac parti intense dolenti applicatam, singularem plane exerere virtutem & efficaciam, multiplici usu confirmatam habemus.

*it. linimenta.*

### §. VI.

Quandocunque, legitimum horum usum notabilis spasmodorum sequitur remissio, pulsus sedatior & mollior evadit, calor madidus ac æquabilis totum corpus occupat, & flatus probe ex ano descendunt; protrusio calculi idoneis remediis, sub debita tamen adhibita cautione, tentanda venit. Vidimus ad obtinendum hunc scopum varia præsentissimi fuisse effectus, atque inter hæc largissime assumtum infusum herbæ veronicæ & petroselini, vel ex seminibus dauci, selleri, fœniculi, baccis alkekengi, radice glyzirrhyzæ, summitatibus millefolii, paratum, eximum attulisse levamen, cumprimis si potus quodammodo spirituosus, ut malvaticum juniperinum, horum usum exceperit. Mirabilem quoque, in educendo ex viarum angustis calculo, decocti antinephritici *Foresti* largiorem potum, adjuncto corporis motu, efficaciam subinde præstitisse, a nobis observatum est. Sed interdum paulo fortioribus pellentibus opus est, quæ inter eminent ac tutissima sunt mater perlarum, vel cochleæ aut testæ ovorum ustæ cum succo citri in convenienti vehiculo exhibitæ.

*Spasmo sedato, calculi protrusio tentanda.*

## METHODVS PRÆSERVATORIA.

### §. I.

Præservatio pernicialis hujus mali, uti in principio quidem facillima, ita in progressu, si ex renum magno vitio & exulceratione, calculorum prognata fuerit ubertas, dolorumque crebrior recursus, multis sane difficultatibus implicata ac circumscripta est. Nam quia, complures, ut supra exposuimus, ex fan-

*Præservatio in progressu morbi difficilis.*

guine vel præter naturam exsuperante, vel multorum incongruorum viscidorum ac acidorum alimentorum assumptione crudiori ac spissiore reddito, quam facile in hoc malum incidunt; certe sanguinis decenti missione, motu & exercitatione corporis sufficiente, nec non potionibus diluentibus, aquis medicatis præsertim *Selteranis*, item sero lactis dulci & acidulo, ad arcendum molestissimum hunc & exitialem morbum, nihil facile præstabilius ac efficacius reperire licet.

## §. II.

*Quando traumatica conferant.*

Vbi vero continuus fit calculorum partus, opus est, ut ea in usum ducantur, quæ virtute traumatica leniter consolidante & adstringente gaudent; quare a multis retro temporibus est observatum, imo plebejis & domesticis constat experimentis, decoctorum vel etiam infusorum, ex herbis vulnerariis, & aqua vel cerevisia paratorum, ac cum butyro infuso, vel cum melle mixtorum longiori usu, quosdam penitus a malo hoc calculoso fuisse liberatos: cujus generis præcipuæ sunt, equisetum, virga aurea, hederæ terrestris, fragaria, marubium album, veronica, parietaria, millefolium cum summitatibus, malva, cortex radicis acaciæ, lycopodium, bacca juniperi tostæ, fraga exsiccata, acini & fructus cynosbati tostæ; ex quibus speciebus, cum melle Prussico albo, quod identidem consolidante & balsamica sua virtute renum morbis admodum amicum, electuarium paratum & mane ad cochleare dimidium usurpatum, superbibendo infusum Thee, ingens solamen iis, qui per multos annos nephritide calculosa laborarunt, attulisse, observatum est.

## §. III.

*Quando alcalina.*

Alia jam, præservandi a calculo, via ac ratio suppetit, per alcalina, quæ acidum & glutinosum, tanquam præcipuum calculosæ concretionis fundamentum, domant atque destrunt; & hinc est, quod cancerorum lapides, mater perlarum, testæ ovorum, conchæ & cochleæ simpliciter paratæ, vel etiam ustæ, lapis lycnis & judaicus, nec non pulvis famigeratissimus

fimus *Volkhammeri*, qui ex lapidibus pretiosis calcinatis concinnatus creditur, vel simplex tantum oleum tartari per deliquium, liquor cinerum clavellatorum, vel nitri fixi, tinctura tartari, antimonii acris, frequentius in usum ducta, calculorum generationem egregie impediunt, & ab atrociori dolorum concursu corpus vindicent.

## §. IV.

Sunt quoque adhuc plura, non minoris ad præservandum efficaciam, præsidia, quorum legitimus usus calculosis admodum observatur proficiuus. Et hæc sunt quæ oleosis, pinguiusculis ac temperatis & quodammodo anodynis, demulcentibus particulis, spiculatorum salinorum unionem, quæ ad concretionem solidescens est necessaria, impediunt; quantum enim pinguis, exigua etiam dosi admixta, crystallisationis negotium impediunt, ex chymicis perquam notum est. Ad hanc classem merito referre possumus, fructus & semina quæ blando & dulci oleo gaudent, ut sunt, semina IV. frigida majora, milii solis, saxifragæ, papaveris albi, cardui marie, amygdalæ dulces & amaræ; nuclei cerasorum & malorum *Perlicorum*, quæ vel in pulverem cum saccharo vel in emulsionem redacta, frequentiusve usurpata, non satis ab iis, qui huic adfectui obnoxii frequenter sunt, dilaudari possunt. Neque vero, inter optima & specifica ad renum vitia corrigenda præsidia, radix glyzirrhizæ, silentio prætereunda est, cujus pulvis vel infusum in demulcendis & contemperandis acribus salium particulis, in detergendis mucositatibus, magnæ efficaciam est. Atque etiam ex compluribus aliis millefolium ejusque summitates in renum vitis specificam plane & mirabilem edunt efficaciam, quando ejus infusum vel decoctum per longum satis tempus quotidie usurpatur. Vidimus hoc modo aliquot ab omni calculosa affectione, cui diutius obnoxii erant, prorsus liberatos: nam hæc herba multiplici ratione proficua est, & præter virtutem consolidantem & demulcentem, ob oleum vere anodynum, quod exacte cum oleo

*Quando demulcentia.*

florum chamomillæ ratione coloris & virtutis convenit, dolores & spasmos sedandi efficacia pollet.

§. V.

*Alvi habenda ratio.*

Ante omnia vero, sicut in cunctis morbis chronicis, ita etiam in calculo præcavendo, ventriculi & ejus digestionis, nec non alvinæ excretionis, ut hæc singula se recte habeant, ratio habenda est. Placuit mihi hac in re insignis plane locus AETII, quem *cap. XVI. p. 177.* prodidit, ita se habens: *preservat a calculo moderatus cibus bonæ concoctionis; nam cruditates non solum exasperant morbum, sed etiam gignunt; inde abstineant ægri, a satietate, a cœna, sæpe vomant & absinthium assidue bibant, ac per certum tempus per ventrem se purgent. Cibos sumant, e quibus neque satietates neque cruditates eveniunt. Urinam etiam cientibus utantur, pastinacam in dies edentes valde percoctam, fœniculum, pulegium, calaminthen; ex marinis Strombos, locustas, gammuros; per plures autem dies radicis eryngii decoctum bibant, similiter dietamni. Oportet aquam per omnem visam esse purissimam & percolatam, vinum tenue album, urinam ciens; exercitationibus utendum modicis & frictionibus in balneo, ex nitro assuto, ac fece vini usta & pumice.* In quo genere TRALLIANVS quoque audiendus, qui *l. c.* hanc dietæ rationem præscribit: *probe faciunt, qui bibunt aquam & evitant omnia quæ ex pipere constant, & non solum acres, sed & crassi succi cibos, ut similaginem, ova dura, placentas & quæ ex lacte parantur, ipsum lac & caseum, item vina admodum nigra & austera.* Ad hæc cavendum, *ne ægri culcitris indormiant ex anserum plumis confectis, hæc siquidem renes valde calefaciunt. Præterea, ne multum stent; magis vero studendum, ut vel moveantur vel consideant.* Et paulo ante: *bibere oportet, ante omnem cibum, aquam tepidam: nihil renes enim a recremento magis vacuos temperatosque reddis, ut non amplius calculos procreare possint; nam temporis spatium igneus eorum calor a tepore aquæ extinguitur.* Exinde dubio omni procul prodiit secretum illud eximiunt

ximum ZECCHII relatum in suis *Consultation.* nempe haustus aquæ calidæ ad libram unam circiter, statim ante prandium. Et CAROL. PISO, multis ante *Zecchium* annis, hoc idem aquæ calidæ remedium comprobavit, dicens, quod post primum excretum calculum, nunquam in posterum alii geniti fuerint, si quis usum hunc aquæ calidæ multo tempore continuaverit.

CAVTELÆ ET OBSERVATIONES  
PRACTICÆ.

§. I.

At vero, cum ad persanandum æque ac protelandum hoc malum, potissimum Medici momentum in eo sit repositum, ut pro differenti corporum constitutione, ratione ætatis, temperamenti, læsionis functionum, nec non sensibilitatis aliarumque causarum, alia atque alia medicamenta, debito tempore, & convenienti ordine adhibeat; e re utique duxi, quasdam cautiones & observationes, in praxi utiles atque necessarias, hoc loco subnectere. Primo omnium, attente & pensitate considerare oportet: remedia, quæ præservationis vel curationis gratia in usum veniunt, non æque omnibus convenire, neque semper eundem effectum ac levamen præstare, ob differentem valde & mutabilem corporis, ratione fluidorum dispositionem, & solidarum plane peculiarem texturam & inde pendentem sensationem, quæ Græcis idiosyncrasia vocatur; quare interdum variari debent medicamenta, siquidem successu temporis, etiam ipsa natura iis assuescere solet, ut effectum laudato, quem ante ediderunt, nunc care obferventur.

*Respicendum ad corpus aegrotantis.*

§. II.

Observatum quoque sæpius est, ex improvise, naturam nullis remediis coactam, sed sibi relictam, se ad calculum protrudendum accingere & feliciter id præstare. Simile quid

*Sæpe natura sponte calculum protrudit.*

quid subinde in partu animadvertimus ; cum non ante facile remedia proficiant aliquid, quam in subsidium venerit natura : qua de causa fit, ut empyrici saepe suis inanibus remediis gloriam reportent. Solers itaque & in sanandis morbis occupatus Medicus, id probe attendat, quod natura saepe sola, nulla remediorum ope adiuta, a violentis spasmis, doloribus & motibus remittat & conquiescat ; (id quod tamen non intellectui imaginario vitali adscribendum est ; cum causæ ac rationes physicae subsint,) siquidem magna prudentiæ Medicæ pars in eo consistit, ut temporis illud momentum, quo natura se ad agendum & corpus a morbo liberandum armat, sedulo aestimetur. Hinc consultum quandoque est, ubi ad tempus frustra adhibita fuere medicamenta, subsistere ac ferias agere, ut quies quasi naturæ concilietur, quia ipsa sæpius sua sponte & præter omnium opinionem, plus præstat, quam Medicus cogendo & stimulando.

## §. III.

*Quando diuretica exhibenda ?*

Quemadmodum diuretica & urinam pellentia, eaque paulo acriora & vehementiora, ut sunt terebinthinacea, juniperina, succinata, alliacea, porracea, & ex petroselino parata, neque ad præsertionem in plethoricis, neque in paroxysmo nephritico, sive is simplex tantum sit, sive simul calculosus, unquam proficiunt, sed malum deterius reddunt atque symptomata exasperant : ita prudens eorum usus non plane damnandus & interdicendus est. Quare in plebejis, robustioribus, humidioris & segnioris naturæ corporibus, præsertim ubi præsertionem sine exhibentur, non modo tonum vasorum renalium roborando, sed & copiam feri impuri tartarei, per renes, eijciendo, commodam collocare operam possunt.

## §. IV.

*Circa motum cautelæ.*

Uti tempestiva, modica ac æqualis motio sive vestio, naturæ in calculis pellendis admodum idonea, & congruorum pellentium usum, diluentia, præsertim quæ mole operantur, ut acidulæ,

dulæ, therae, lactis serum egregie secundat, ut celeriter sæpe calculi, e sede sua, quam occuparunt fixam, dimoveantur: ita etiam observatum fuit, intempestivam vectionem vel equitationem, plurimis damnum attulisse, quia e sede sua non incommoda calculum expulsum, in transversum egerunt, ut nunc acutis suis angulis membranæ sensili nervæ magis fuerit allisus; subsequente inde majori spasmodum sævitia, imo lethali quandoque ischuria.

## §. V.

Tempestiva & sufficiente venæ sectione non modo ad præservandum a calculo, non facile superius ac efficacius reperitur præsidium, præsertim, ubi corporis natura ad excernendam nimiam sanguinis quantitatem est disposita; sed ejusdem quoque remedii utilitas, non raro in ipso paroxysmo sese commendat, nimirum, ubi plethora cum pulsu celeri, magno æstu ac intensa siti associata est. Doloris enim vehementioris ea indoles ac vis est, ut, spasmodis liberio rem sanguinis circuitum per venas maxime impediens, cum impetu ad alia incongrua loca copiosum sanguinem adducendo, epilepsiam, convulsiones, lethargum, delirium, apoplexiam sanguineam, niictum cruentum, febres inflammatorias & hujus generis alia, de quibus nobis exempla sunt nota ac obvia, concitet; quæ singula prudenti sanguinis missione averti possunt.

*Vena Sc.F.  
etiam in  
paroxysmo  
non inutilis-  
ter celebra-  
tur.*

## §. VI.

Quando nephritis calculosa incidit in corpus scorbuticum, sive impuris excrementitiis humoribus refertum, & nostro tempore, purpuræ grassanti chronicæ obnoxium; sub ipso paroxysmo, concurrente simul impuritate scorbutica, varia & terroris plena se immiscent symptomata, quæ insignem, in præscribendis medicamentis, Medici prudentiam requirunt ac desiderant. Neque enim facile alia, nisi diluentia, ac demulcentia, ut serum lactis acidulum, vel dulce, præbenda sunt; ab omni cerevisiæ & vini potu abstinendum;

*In scorbuticis calculosis, diluentia ac demulcentia danda.*

ferum lactis vero calide, vel temperate frigidum sumtum, cum temperatis diaphoreticis, tali in casu maximi usus fuisse observavimus.

## §. VII.

*Plethorici a  
balneis ab-  
stineant.*

Balnea, utut quandoque præsentissimi levaminis & magnæ necessitatis sint; abstinendum tamen ab iis penitus, in plethoricis nimis repletis & pinguibus corporibus, ubi simul spirandi angustia ac difficultas adest. Ante itaque horum usum, solvenda plethora, alvus laxanda, & dolorum vehementia compescenda.

## §. VIII.

*Colica hæ-  
morrhoida-  
lis supervo-  
nens quo-  
modo tra-  
ctanda?*

Non raro jungitur affectioni calculosæ colica ex hæmorrhoidum vitio, convulsiva; prudentis hinc Medici est, hæc omnia probe discernere, & caute in prognosi & curatione procedere: maxime omnium vero, ratio est habenda atrocis intestinorum doloris, ut vel venæ sectione, vel hirudinum applicatione, vel alvi, per clysteres commodos, apertione, ei succurramus. Sæpe fit, ut, quando calculus uno & maximo impetu fertur per ureteres, intolerabilis per dorsum & totius abdominis regionem, cum magna virium jactura oborietur dolor, qui tamen protinus uno quasi momento conquiescit, quando videlicet celeri itinere calculus in vesicam delabitur.

## §. IX.

*In virium  
prostratio-  
ne opiata  
fugienda.*

Vbi diutius torquet dolor & virium adest prostratio, ætas quoque senilis vel animi mœror præcessit, pulsumque observatur debilitas; opiata instar veneni esse fugienda, inter quæ pessima massa pilularum de cynoglossa, & ratione, & experientia multiplici confirmatum habemus. Præstat tunc potius naturam analepticis leniter spirituosis aquis, ut sunt, aqua menthæ, melissæ, liliorum convallium, cinnamomi sine vino, addito uno vel altero grano ambre & extracti croci, modico quoque vini usu, erigere, nec non exterius, ni-  
mis



mis debilitatum tonum intestinorum, linimentis spirituosis balsamicis, quantum fieri potest, restituere.

## §. X.

Ex aquis mineralibus & quidem thermalibus, nullæ sunt, quæ, ob calcaream qua pollent terram, potentius calculosam tartaream materiam resolvunt & exturbant, quam ipsæ *Caroline*; cum quibus tamen provide agendum. Vidimus, post harum usum internum, intra mensis spatium, quingentos & ultra calculos, leves, qui lentis & ciceris magnitudinem æquabant, successive fuisse excretos. Sed postea blande consolidantibus & temperate balsamicis opus est, ut cavitates renum calculis exclusis exhaustæ, in se coeant & carne replantur: omnium vero securissimum, & usui tam præservatorio quam curatorio, aptissimum esse fontem *Sel-sevanum*, qui præter subtiliorem aquam, sal alcalinum in sinu suo fovet, neque minus in vitiis & læsionibus vesicæ reliquis omnibus remediis superior est, innumerabili experientia evictum habemus & scribimus. Dein quoque, ubi magna scorbutica humoribus inhæret impuritas, atque simul adest partium exulceratio, dictum fontem cum lacte, debito modo miscere, & sufficienti satis temporis spatio adhibere, consultissimum est.

*Inter aquas minerales, Caroline optima sunt.*

## ENARRATIONES MORBORVM.

## OBSERVATIO I.

Vir generosus in dignitate Consilarii Camerae constitutus, quinquagenarius, complexionis admodum robustæ, quindecim jam ante annos a tertiana febre, insignem sibi contraxit ventriculi imbecillitatem, cum flatulentia abdominis & crebrioribus ructibus conjunctam. Ante X. annos vertigo caput crebrius corripuit, quæ superveniente e naribus hæmorrhagia mox cessavit. Posteaquam vero circa æquinoctia venæ sectionem admittere cœpit, immunis prorsus ab hoc affectu

*Vertigo cum nephritide calculosa ex plethora.*

permanisset, nisi venæ sectio fuerit omissa, ubi brevi post insultum quendam de novo est expertus. Sexennium elapsum est, ex quo graviore sæpe numero a calculo renis sinistri passus est dolores; postquam nempe vitam magis sedentariam coluit. Major doloris atrocitas in regione inguinali sentitur, calculo circa introitum vesicæ persistente, & tunc pauca cum ardore prodit urina: acerbior in lecto dolor est, mitior, si ambulare potest atque etiam sub motu & largiori infusi Thée potu; ita calculi descensum in vesicam cum insigni levamine sæpius procuravit. A clysteribus & linimentis anodynis, item ab oleo amygdalarum dulcium interne sumto, insignis percipit levamen. Si dolor urget, facies flava evadit, corpus sudore frigido perfunditur, adest nausea, vomitus & præcordialis anxietas. Debet sedulo sibi cavere a cibis qui instant atque etiam a frigore boreali: ab his enim paroxysmus facile resuscitatur. Extra accessionem urina multum semper sabuli continet. Colica etiam flatulenta sæpius ipsum affligebat. Consilium quod a me expetiit, dedi, ut mutaret potum, qui erat domestica crassioris substantiæ cerevisia: & nostram *Labejün-nensem* diuretica & antinephritica virtute celebratissimam biberet. Dein suasi, ut singulo mane infusum summitatum millefolii cum radice glyzirrhizæ largius paulo sumeret, & ter in mense pilulas meas balsamicas mane usurparet, sumta prius, præcedenti die circa somni horam, salis mei aperitivi drachma. Essentiæ quoque carminativæ B. *Wedelij* cum liquore anodyno mixtæ usum interpolandum, ad flatuum discussionem ordinavi. Qua methodo per aliquot jam annos a dolore ex calculo prorsus liberatus est: neque a flatibus & ructibus tam molesta, ut antea, sentit incommoda.

*Epicrisis.*

Et vertiginem & nephritidem calculosam in hoc ægro, tum a nimia sanguinis & humorum exundantia, tum a pravo primarum viarum statu originem suam accepisse, extra omnem dubi-

dubitationem collocatum est, ubi concurrens vita sedentaria & potus cerevisiæ crassioris & minus diureticæ, ac flatuum in primis viis, præsertim quæ hypochondrium sinistrum occupant, copia, ad calculorum ortum & generationem, in sinistro præsertim rene plurimum contulit. De cerevisia Löbejünensi, quæ ex aqua valde levi & subtili, scaturiente ex petroso tractu, coquitur, insuper valde tenuis, minus spirituosa & alba est, ac cito per urinam decedit, hoc memoratu dignum est, quod & a calculo & a podagra omnes fere immunes sint, qui ordinario eam bibunt. Maximum profecto & curationis & præservationis a calculo momentum, in quotidiano congruo potu positum est: hinc qui dispositionem, sive hæreditariam, sive adscititiam ad calculum habent, cerevisias inebriantes & crassiores omni studio vitare debent: laudantur vero cerevisiæ tenues, albæ, valde diureticæ & quæ non flatus ingenerant. Vbi non salubris haberi potest cerevisia, ego decoctum, radicis eryngij, graminis, asparagi, chinæ, fœniculi, cichorei, glyzyrrhizæ, addito pauxillo nitri ad potum, non sine insigni subsequente successu commendare solitus sum. Neque omne vinum calculosis utile est: Mosellanum ad præservationem, quia citius per alvum & urinam redditur, omnium est optimum. Vbi autem calculi partus ex labe renum inveteravit, vinum mulfum bonæ notæ vel recens Hungaricum moderata dosi sumtum est valde proficuum.

## OBSERVATIO. II.

Vir in L. ætatis anno constitutus lautæ semper ac vinosæ diætæ assuetus, sanguinis ac succi plenus, ceterum satis sanus, inopinato in ipso itinere, per aliquot milliaria curru quo vehebatur succussus, dolore in regione lumbari valde acerbo afficitur; domum reversus dolor increfcit, & ad umbilici regionem se protendit. Accedit tussis vehemens, alvus constipata & urina guttatim cum ardore exit. Remittunt per intervalla dolores. Nihil ad fopendum dolorem & quod ad

*Dolor & spasmus ex calculo renali in plethorica.*

facilem calculi exclusionem pertinet ex remediis diæticis & pharmaceuticis fuit omiffum: sed citra præfentaneum effectum. Ex confilio amici fumfit infufum Thée, cum aliquot olei amygdalarum dulcium unciiis, ad menfuram & ultra. Inde excitatus eft vomitus & cum magno nifu multa eiecit aquea & pituitofa: non ita multo poft, dolores & alia tymptomata quieverunt, & altero die insignis magnitudinis calculus cum urina excretus eft. Petiit a me ad recidivam præcavendam, remedium. Suafi venæ fectionem ter in quovis anno celebrandam & infufum herbæ veronicæ, fummitatum millefolii & radicis glyzyrrhizæ multa in quantitate fumendum. Et nunquam abhinc rurfus a calculo moleftias perfenfit.

#### *Epicrifis.*

Non femel fed sæpius, a motu paulo fortiori per curum vel per equitationem, calculum protrufum derepente acerbiffimas paffiones produxiffe novimus. Evenit hoc, quando in pelvi concretus calculus latitat, falvo renum parenchymate. Annotavi quoque aliquoties, & a motu corporis validiori, & fortiori in vomitum nifu, lapidem ex anguftiis meatuum, infperato in veficam elicitum fuiffe, præfentaneo mox fequente levamento & tymptomatum mitigatione. Venæ fectionem, ubi fanguis abundat, ego ad præfervandum & calculum arcendum, maximi femper feci & facio: nam ficut hæmorrhoidum fluxus, teftante id Hippocrate vetuiffimo Medicinæ parente, ab hoc malo præfervat: ita ubi hic fluxus deficit, vicariam venæ fectionem præftare operam poffe, & fanæ rationi & experientiæ confentaneum eft.

#### OBSERVATIO. III.

*Dolor nephriticus notus Venæ Sect. fublatus.*

Vir qui vix quadragesimum annum attingit, fanguineæ constitutionis, texturæ mediocris & macilentioris, nullo unquam morbo nedum calculo correptus fuit, commeffationibus

bus & poculis sæpius interfuit; derepente in vehementem circa regionem lumbarem incidit dolorem, cum horrore & refrigeratione extremorum. Succedit vehemens æstus cum pulsu celeri & magna siti: alvus est dura & flatibus distenta. Quidam morbum pro subluxatione vertebrarum dorsi, ad quam tamen defuit occasio, existimarunt; alii habebant pro febre ardente. Sed quum conatus adesset ad vomitum, & urina pauca cum ardore proflueret, circa vias urinarias vitium subesse judicavi. Dedi, præmissis clysteribus & fomentis externis, liquorem anodynum, decoctum hordei cum amygdalis dulcibus in emulsionem redactum; cui portio nitri ad æstum restinguendum adjecta fuit. Sed levamenti inde nihil sequebatur. Quum vero sitis, æstus & dolor urgerent, die quæ erat quarta, ad arcendam quam verebar inflammationem, venæ sectionem in pede suasi; & sanguine ad aliquot uncias educto, non ita multo post magna remissio omnium dictorum symptomatum sequebatur. Continuavimus cum ante dictis remediis, alvus clystere aperta, urina liberalius profluxit, dolores sopiti, sudor occupabat totum corpus, & septimo ab invasione die, per urinam, arenacea tantummodo grana, splendida & acuminata, nullus vero calculus prodibant.

#### *Epicrisis.*

Dolores ex lumbis acriores quando repente invadunt, febrilem interdum typum servant: quo sæpe factum est; ut morbus pro febre ardente habitus fuerit; quod maxime fit in sanguine repletis, quando plexus nervi mesenterici vel a flatibus in duodeno vel colo stagnantibus, vel potius ab adjacente arteria meseraica superiore sanguine valde distenta fortiter premitur, & demum ipsi renes & ureteres nervosi per consensum sive secundo compatiuntur. Rectius vero secundum meam sententiam hic morbus, dolor nephriticus nothus vocari potest, uti videmus in *Riverii obs. 58. cent. II.* Frustra tunc sola antinephritica opponuntur, quæ nisi per-  
venæ

venæ sectionem, sanguinis in locis affectis congestio tollatur, omni propemodum effectu carent. Misso sanguine clysteres carminativos alvum subducentes & quæ nimiam sanguinis ebullitionem sedant, præsentaneam opem tulisse observavi: quin imo in dolore valde acuto a calculo, venæ sectionem ad arcendam inflammationem in corpore sanguine pleno salutarem, & feliciorē semper medicamentorum operationem animadverti, quo ex TRALLIANO *lib. IX.* insignis locus respicit: *Si sanguinis copiam subesse aut inflammationem una cum calculi obstructione suspiceris, venæ omnino sectionem prius adhibito: ita nempe haud delinques, si medicamentum offeras; laxatione enim facta, & meatibus rarefactis multo magis auxilia quæ adhibentur propriam vim ostendunt.* Quæ sententia observatione *XV. cent. II.* a RIVERO notata magis adhuc confirmatur: *vidua dolore nephritico vehementissimo vexabatur, qui a reno sinistro ad pubem usque, secundum longitudinem ureteris exporrigebatur, cum urina acrimonia & frequenti micturitione: huic neque clysteres cum aqua benedicta neque cum terebinthina; neque cum laudano, neque vomitus ingens qui sponte veniebat; neque semicupium; neque laudanum assumptum quicquam profuere, dolore clamoso per biduum perseverante. Tandem aperta fuit vena malleoli, & statim sanguine missa dolor ingens quievit, superflite tamen dolore obtusiori.*

## OBSERVATIO. IV.

*Nephritis  
calculosa  
hereditaria.*

Femina annos quæ habebat XL. a parentibus calculosis nata, ante viginti jam annos, bis minimum in anno tormento hoc cum consuetis symptomatibus comitato, excruciatata fuit. Singulis noviluniis alli quædam frustula cum spiritu vini ad præservationem sumfit. Venæ sectione rarius usa; ac jam modo per annum & ultra eam omiserat. Per sex menses permolestus in lumbo sinistro continuo afflixit dolor, qui protensus ad inferiora, ejusdem pedis in eodem latere movendi potentiam & contracturam induxit. Perpetuus in urina emit-

emittenda est ardor. Afflicto lateri incumbere ægerrime potest: nam increfcit femper dolor & fit acerbior. Abdomen flatibus turget, appetitus languet, liquida plus juſto appetit, pedes femper frigidi, ut ab admotis valde calidis integumentis vix incaleſcant. Menſes quidem tempus ſuum adhuc ſervant; ſed quando imminent atrox dolor & ſpaſmus totum abdomen pervadit. Quæſitum a me fuit, ane hoc malum tolli penitus poſſit, & an thermæ Carolinæ proficuæ ſint?

*Epiſiſis.*

Plura ſunt in hoc caſu, quæ & obſervationem & cenſuram merentur. Primo uti omnes ægri tudines, quæ a parentibus ad liberos transmittuntur: ita etiam nephritides calculoſæ difficillime evelli & eradicari poſſunt, & mox in adoleſcentiæ vel juventutis annis ſeſe ſiſtunt, atque accuratiſſimam vitæ rationem expoſtulant: nam *calculoſam hæreditariam diſpoſitionem*, ut eleganter dicit ARETÆVS *Lib. II, cap. III, foecundam, ſterilem nemo reddere poeſt: facilius enim eſt uterum a pariendo prohibere*; quæ ſi non obſervatur & morbus per multos jam annos inveteravit; nulla convaleſcentiæ ſpes ſuperest: ob hanc potiſſimum rationem, quia affectuum hæreditariorum ratio in ſolidarum partium nativa labe & vitio poſita eſt: quod in ætatem deductum creſcentibus annis majorem vim acquirit. Quam pernicioſus ſit, in tali affectione hæreditaria, pellentium ut alii & aliorum præmaturus uſus, exprimi vix poteſt: nam cauſticis ejuſmodi rebus plus adhuc renum ſubſtantia læditur; quam ob rem non mirum eſt, in valde miſerum ægram noſtram ſtatim fuiſſe conjectam, cum procul omni dubio in rene ſiniſtro inſignis ulceroſa jam præſens fuit corruptio: ubi ab aquarum mineralium & præſertim *Carolinarum* potu, qui ſi proficere debet, largiſſimus ſit neceſſe eſt, lubens abſtineo, ne ſubſiſtentes aquæ ſolidæ partis corruptionem magis augeant. Ego ſub tali ſtatu ad mitigandos dolores balnea aquæ dulcis commendare ſoleo, ſique

(*Hoffm. Syſt. T. IV, P. II.*)      Ccc      acer-

acerbiores sunt, trochiscos de alkekengi, qui moderatori, ad scrupulum, dosi, præsens solamen afferunt. Extra paroxysmum decocta & infusa ex mitioribus traumaticis, omnium convenientissima sunt: inter quæ radix althææ, eryngii, herba hederæ terrestris, veronica, virgæ aureæ, urticæ mortuæ, summitates millefolii, baccæ alkekengi, cortex radicis acaciæ, semen dauci, foeniculi, item baccæ juniperi tostæ, si ex iis paratur infusum & adjecto melle Prussico albo dulcificetur, longo & præstabili usu & efficacia sese admodum commendant. Huc pertinet etiam decoctum antinephriticum *Foresti*, quod ob insignem aptorum ingredientium virtutem non laude sua defraudandum est, pariter syrupus dialthææ *Fernelii*: atque decoctum herbæ equiseti ex cerevisia alba, adjecto butyro insulso & melle, plebejum & domesticum quidem, sed non spernendum remedium. Plus enim semper efficaciam & securitatis a temperatioribus istiusmodi Galenicis & simplicibus, quam a pretiosis exoticis, ut sunt acmella, pareira brava & id genus alia, & activioris indolis chymicis sperari potest. Nam, ut ingenue fatear, uti victus quo simplicior, eo gratior & salubrior; ita etiam idem de medicamentis valere existimo. Ego quoque in tam inveterato malo, non sine insigni fructu, medicamentum leniter alvum subducens, ex manna atque rhabarbaro, per infusionem paratum, vel rhabarbarum cum terebinthina in pilulas redactum commendare & usurpare soleo: nam qui calculosos & non integros habent renes, ii quam maxime sibi providere debent, ut intestinalis excretio probe respondeat.

## OBSERVATIO. V.

Illustrissimus Comes, sex supra quadraginta annos natus, sanguinæ & robustæ constitutionis, a primis annis integra valetudine gavissus, in deliciis semper habuit venationes: ex quo factum, ut interdum imum usque ventrem in piscinas & aquas stagnantes se demiserit. A longo inde tempore pedes habuit valde frigidus, ut fervidis pannis vix ad calorem

natu-

*Dolor nephriticus cum numerosa calculorum excretionem.*



naturalem reduci potuerint. Per decem annos usque eo hæmorrhoidalem excretionem passus est, singulis ut plurimum mensibus, quæ vero per duos aut tres quandoque restiterunt. Imi ventris doloribus, quos spasmi & flatus excitant, nunquam fere obnoxius fuit: inopinato autem acerbissimi dolores lumbum sinistrum, ubi ren situm obtinet, invadunt, qui interdum ita asperati sunt, ut summus hic vir nec ambulare, nec se erigere, potuerit; atqui stationem suam nonnunquam deseruerunt & immum ventrem occuparunt, juncto simul vomitu & ciborum fastidio. Duobus abhinc annis, longinquo itinere peracto, triginta duos calculos cum acutissimis doloribus stipatos, per urinam una vice excrevit; quorum minimi magnitudinem seminis cannabis æquabant. Et ita immanes isti dolores simul & semel exspirarunt. Interea dolores circa lumbos in sinistro latere insitebant sæpius, quandoque comite summo cruciату, qui excretis calculis, cum multa pituita remissior factus. Hoc non obstante fluxus hæmorrhoidalis omni bimestri spatio permansit. Sub equitatione quicquam etiam cruoris mictu reddidit. Missus est ad Carolinas; a quarum potu per XXII. dies sub debito regimine continuato, per vices, decem, viginti & ultra ducenti, cum urina, albi & cinericei coloris calculi emissi sunt; cujus sedimentum erat valde tenax & viscidum, igni injectum odorem foetidum volatilem & urinosum spargens. Peracta cura, consilium dedi, ut balneum *Toeplicense* per quatuordecim dies in usum duceret; & optime inde se habuit. Petiit a me, ut præservationis gratia curam instruerem, quæ sequens fuit. Ordinavi infusum, ex speciebus leniter traumaticis, quarum in superioribus facta fuit mentio, mane loco Théæ sumendum. Dein, ter minimum quotannis, præmissis pediluvio, venam pedis secandam suasi. Tum pro potu ordinario, decoctum ex radicibus scorzonæræ, graminis, chinæ, cortice ligni sassafras, semine foeniculi, & passulis præscripti. Posthæc, usum pulveris antinephritici bis vel ter in septimana, cum emulsione amygdalina sumendi, com-

mendavi, ex hac formula. Recipe lapidum cancrorum unci-  
am semis, cochlearum ustrarum, seminis lycopodii, arcani du-  
plicati, nitri depurati ana drachmam, olei macis guttas VI.  
M. f. Pulv. D. Demum, quarumcunq; pilularum, quæ aloës in-  
greditur, quarum insignem antea quantitatem sæpius devora-  
vit, item purgantium usum, studio & non sine fundata ratione,  
splendido huic viro, non secus ac aliis qui renum vitio labo-  
rant, præsertim si sanguine corpora superabundant, penitus in-  
terdixi, & clysteres injiciendos esse præcepi. Quorum reme-  
diorum diutius continuato usu, & studiose simul servata ac-  
curata victus ratione, summus hic vir tortura & tyrannide  
tam immanium dolorum a tam frequenti calculorum partu  
provenientium, liberatus, jam sanus & incolumis, per Summi  
Numinis gratiam degit.

#### *Epicripsis.*

In hac morbi enarratione & ejus curatione, plura oc-  
currunt præctica momenta paulo curatius observanda. Pri-  
mo, quod & fluxus hæmorrhoidalis & calculus simul in uno  
subjecto obvenire & incidere possint. Quod quibusdam pa-  
radoxon videri potest, qui sanguinis per venas sedis profluvi-  
um, pro certissimo, adversus calculum & podagram, præsidio  
ac præservativo agnoscunt. Verum aliquot mihi obvia  
fuerunt exempla, eorum, (inque primis celeberrimi Medici  
B. *Dolei* recordor) qui nephritici & podagrici, fluxui hæ-  
morrhoidali, his alternatim graviter infestantibus, obnoxii  
fuerunt. In præsentī casu considerationem meretur, quod re-  
frigeratio, pedibus a longo tempore a descensu in stagnan-  
tes aquas inducta, sanguinis motum versus abdomen nimium  
urgendo, in corpore præsertim plethorico stagnationibus  
cum in renibus tum in intestinorum volumine, a quibus hi dicti  
morbi propullularunt, ansam præbuerit. Secundo, tam copiosa  
calculorum per unam vicem, exclusio, parenchyma renis sini-  
stri, a copiosiori sanguinis congestione, plane vitiatum, labe-  
facta-

factatum & destructum arguit; quandoquidem sine vasculorum urinariorum ruptura & extravasatione humoris, tam larga accretio lapillorum fieri nequit: sed notandum quod hi calculi minus compacti, valde friabiles & tophacei fuerint, qui longe facilius & citius ex muco quodam viscido terreo, generari possunt, ac duri & compacti. Tertio, mirabilis plane thermometer Carolinarum is est effectus, ut mirifice, sale suo alcalino, fordes viscidas resolvant, eluant, exulceratas partes mundent & canaliculos muco obstructos aperiant; quo postea roborantia & traumatica eo meliorem & auspiciatorem operationem exerere queant.

## OBSERVATIO VI.

Incidit in memoriam casus quoad ab usum anodynorum memorabilis, qui in principatu Halberstädiensi, olim mihi obtigit. Erat vir venerabilis religiosus, dignitate Abbatibus ornatus, LXX. & ultra annorum, sanguineo cholericæ complexionis, staturæ macilentioris, ingenii præcellentis, calculi & podagræ doloribus jam diu vexatus. Hic ipse sibi erat Medicus. Prædicabat mihi sapius tum balneorum aquæ dulcis, tum, si nimium urgerent e calculo dolores, pilularum de cynoglossa insignes ad dolorem sopiendum virtutes. Ad excludendum vero calculum, oleum amygdalarum dulcium cum succo citri, item succum citri cum matre perlarum, se usurpasse affirmabat. Extra paroxysmum liberalis infusi Théæ erat potator. Per plures annos hisce præfidiis non sine felici successu se usum fuisse memorabat. Sed ob quosdam fortunæ infestos sibi obtingentes casus, & inde consecutum animi moerorem, vires cum appetitu non parum languescere & corpus cum facie lurida marcescere cœperunt. Post aliquot tempus, calculus consueto more renem sinistrum adoriebatur, & diutius paulo ac ante dolor lumbis & ureteribus inhaerens persistebat. Ipse pro more sumebat pilulas de Cynoglossa ad X. grana, usum earum aliquoties repetendo.

*Nephritis  
calculosa  
cum podagra,  
in Senne,  
ex M. P.  
de cynoglossa  
usu, sumesta.*

Sed in ingentem coniectus virium prostrationem meum consilium requisivit. Ego accedens, ipsum offendi omnibus viribus dejectum, cum pulsu valde debili & formicante, qui proximam mortem significare solet. Analeptica probatissimæ virtutis externe & interne in usum ducebam, sine tamen effectu. Dolorem quippe nullum amplius percipiebat, sopor- que cum extremorum frigore eum opprimebat; ita ut secunda post accessionem meam die placide obiret.

*Epicrisis.*

Quæ dolorum sopiunt atrociam remedia, quæ inter palmam opiata tenent, minime e praxi medica exterminanda esse, ego quidem persuasus sum. Atqui idem nobiscum sentire tenentur ii, qui Medicos opio utentes imposturæ publice accusare non dubitarunt, cum nihilominus in praxi sua pilulas de cynoglossa, quæ, præter opium, semen hyosciami habent, ad sistendas enormes hæmorrhagias frequentem in usum ducant & plurimi faciant. Ego, ante quam liquoris anodynæ mineralis præstantia, quæ vitrioli sulphuri debetur, in componendis & sedandis enormibus hæmorrhagiis & doloribus, mihi innotuit, non infeliciter opiatis rite correctis me usum fuisse, assevero. Sed uti omnia magnæ activitatis remedia, ita etiam hæc, iudicium & circumspersionem Medici, qui omnes circumstantias probe pensitare & ad rationem subducere didicit, desiderant. Vbi enim ætas juvenilis, satis adhuc adest virium, pulsus magnus, & dolorum ac spasmodorum immanitas virium & motuum vitalium destructionem minatur, divinam certe præstant opem: sed ubi præ dolorum atrociam & a morbo præcedente, vel ex mœnore, jam attritæ vires fuerint, in ætate præsertim senili; ipsa sana, qualem omnibus Medicis practicis aprecamur, ratio dicitur, ejusmodi remedia summe exitialia esse. Neque diffidendum, Medicis senioris praxeos præceptis destitutos, sæpe numero ingens damnum & periculum miseris ægrotantibus inferre: id quod probe

probe animadvertit CAROL. PISO *l. c. lib. IV. c. 2.* inquiens: *incredibile est dictu, quot nimium credulos intemperante vel laudani nostro ævo celeberrimi vel pilularum de cynoglossa usu, Themisones & circumforanei mistant in orbem.*

## OBSERVATIO. VII.

Vir sexaginta & quatuor annorum, ante duos annos, tumore cum dolore, pedis pollicem satis acerbè obsidente corripiebatur, qui venæ sectione admissa atque diaphnoicis internis discutiebatur. Post novem dies cruciatus hi lumbos acriter invadebant, cum magna mingendi difficultate & ingenti circa inguinalem regionem pressorio & æstuante dolore, qui invalescens omnem urinæ profluxum plane impediēbat. Ad quod symptoma tollendum, nec balneum aquæ dulcis, nec fomenta externa, neque medicamina interna antinephritica cum anodynis refractè junctā, quicquam profuerunt. Illa quando manu fortiter comprimebantur, urina effluebat sed parcior, multum tophacæ albæ & tenacis materiæ continens. Alvus erat obstruēta, & sub frequenti desidendi cupiditate nihil reddebat. Aquam *Selteranam* quæ ad manus erat, post aquæ dulcis balneum, in lecto per duos dies largiter bibendam suasi. Postea tres mannæ uncia cum drachma & dimidia cremoris tartari, atque granis sex trochiscorum alhandal, in infuso ex aqua fuerunt exhibitæ; cujus tam felix erat operatio, ut non modo ingens excrementorum copia per aliquot sedes dejecta, sed & largior urinæ fluxus, non sine insigni levamine, secutus fuerit.

*Rheumatica renum & uræterum affectio.*

*Epicripsis.*

Rheumaticam renum & viarum urinaryarum affectionem, si quis prædictam passionem denominare velit, mea quidem sententia non errabit: nam sæpius observavi, subito eos qui arthriticis & rheumaticis fluxionibus obnoxii sunt, dolore in lumbis & mingendi difficultate corripī, cum serum impurum tophacca & tartarea materia refertum, ad renale cribrum

brum copiosius fertur, & in uretere, præsertim ubi introitus est in vesicam, collectum ac stagnans, gravem dysuriam parit: quia propter dolorem, alvi excretio supprimitur, ab intestino recto excrementis farto, magis adhuc vesicam comprimente, & dolor & mingendi impotentia augentur. Sub ejusmodi morbi circumstantiis, utique non convenientius auxilium, præter balnea, aquas medicatas & laxantia, inveniri licet. Ego profecto, si a tali causa ischuria proficiscitur, mirabilem eorum quæ alvum efficaciter aperiunt, sæpius opem expertus sum: nam expedita alvo, & expurgatis fordibus, uberior est urinæ ad vesicam aditus, & lege consensionis quam nervosæ partes inter se alunt, ipsa etiam vesica cum ureteribus simul afficitur & ad contractionem atque urinæ expulsionem sollicitatur. Neque temni hanc in rem debet monitum CELSI *lib. IV. cap. 13. in renum affectibus oportet solvere alvum, si aliter ea non respondeat.*

## OBSERVATIO VIII.

*Monita quædam, circa anti-nephriticorum usum.*

Cum maximum curationis & medendi methodi momentum in convenienti, ratione temporis & ordinis, antinephriticorum usu repositum sit; non abs re, sed operæ pretium mihi visum est, generalia quædam eximii in praxi usus, ex longa experientia mihi enata monita proponere atque subjungere. Primo omnium, plurimum scire refert temporis rationem: num recens sit malum; num per plures jam annos quis eo laboraverit; an valde inveteratum? item qualis sit renum status & conditio? num saltim flaccidi & a tono & robore naturali dejecti; an eorum substantia corrupta exulcerata; & seri vel urinæ aut etiam sanguinis extravasatio adsit? Facilius curatu est morbus inter initia, præsertim quando a nimia sanguinis ad hoc viscus in plethoricis fit congestio, vel etiam quando rheumatismo renes afficiuntur. Tunc omnia quæ urinam pellendi facultatæ pollent, & quæ acrimoniam salinam causticam conjunctam habent, vel sanguinem nimi-

um commovent, perniciosissima sunt : sed potius sanguinis missio, per sectionem venæ, hæmorrhoidum apertionem, atque subjunctus diluentium, seri lactis, & aquarum medicatarum temperatarum, item nitroforum pulverum usus, omne absolvere curationis punctum possunt. Vbi vero jam malum radices egit in renibus, iique late affecti, vel eorundem vascula disrupta, ut latex urinosus subsistens tartaream gravem materiam dimittat, & calculorum frequenter jam fuit exclusio : tunc abstinendum utique est a fortioribus acrioribus & sanguinis massam valde commoventibus diureticis. Nihilominus, quæ urinæ fluxum inter alimenta & medicamenta placide promoveant, & majorem materiæ tartareæ in magnæ molis calculos accretionem impediunt, egregio usui sunt : qualia sunt, præter serum lactis dulce & acidulum, præter lac asininum purum vel cum fonte *Selterano* mixtum, pariter ac acidulas ; juscula ex radicibus quinque aperientibus parata, infusum baccarum juniperi & acinorum cynosbati tostorum, ex medicamentis arcanum tartari, tinctura tartari, liquor nitri fixi, & id genus alia. Profunt tunc etiam, ad ulteriorem corruptionem renis arcendam temperatiora traumatica supra recensita, in infuso vel decocto exhibita.

Si vero malum jam inveteraverit, substantia renum valde corrupta & exulcerata, ætas quoque senilis fuerit ; abstinere præstat ab omnibus salinis, & potissimum acris diureticis, item nitrosis refrigerantibus, sanguinis missionibus, fortiori corporis motione, equitatione : sed infusa traumatica, cum syrupo dialtheæ *Fernelii* edulcorata, mel Prussicum cum rob juniperi mixtum, item mel cum pulvere radice pimpinellæ, si ad illius libram, uncia hujus adjiciatur, malvaticum juniperinum, moderatus vini Hungarici, Canariensis potus, eleosachara terebinthinæ Venetæ, balsami de Mecha, de Capaiva, quando videlicet sachari unciæ horum drachma admiscetur, item balnea temperata ex aqua dulci, omnium tutissima & convenientissima sunt. Malum enim est incurabile

(*Hoffm. Syst. T. IV. P. II.*) Ddd &

& usque ad mortem comitatur; hinc non nisi mitigantia & vires rescificientia desiderat.

Cum vero nihil utilius nihil salutaris nephriticis & calculosis unquam, præservandi in primis scopo, deprehensum fuerit, alvo libera atque aperta, & primis viis a fordibus & excrementis probe expurgatis; præcipua omnino Medici intentio esse debet, ut, si natura hac in re deficiat, commodis & idoneis alvinam excretionem promovere studeat remediis. Sed ego hoc in genere, nec tutius, neque convenientius aut efficacius scio & reperi laxans, ipso rhabarbaro electo & optima notæ, quod in pulverem cum absorbente & abstergente sale, vel in pilulas cum terebinthina Veneta redactum & circa lecti introitum usurpatum, leniter & citra virium jacturam, roborando potius renum viscerum & ventriculi tonum, fordes altero die egregie subducit.

Postremo, hanc, circa antinephriticorum & urinam cientium usum, cautelam omnibus medentibus commendatam volo, ut neque nimium urinæ fluxum promoveant, neque etiam eum tardiozem & parciorem reddant: utrumque liquidem noxium; nam si a sanguine, quod fluidum, tenue & albidum est, in nimia quantitate segregatur, remanet crassius, quod obstructions efficit & facile coit; si vero illud in coagulum redactum non abstergitur & educitur, successive in majorem molem accrescit.

Coronidis loco ad illustranda & confirmanda hæc a me suppeditata non inutilia monita, egregium & observatione dignum locum, ex CASPARO HOFFMANNO, huic tractationi annectere haud dubitavi: siquidem *lib. II. medicam. officinal. cap. 102. p. 483.* ita perite scribit: *in curatione calculi semper bene distinguere opus est remedia: nam ita pauciores haberemus calculosos. Qui enim perpetuo utuntur propriis dictis diureticis, præcipue non purgatis primis viis, ad locum affectum materiam calculosam adducendo, malum faciunt pejus: tanto melius illi faciant, qui præservationis gratia singulis*



gulis anni quadrantibus evacuant primas sic dictas vias, dein lacte amygdalino per aliquot dies utuntur. Pro curatione autem ante omnia leniter purgandum; postea utendum domesticis & improprie dictis frigidis, quæ tonum reddunt renibus: Nam in quovis corpore adest quidem materia calculi, quæ tamen non ita statim coit & concrefcit, nisi vitietur tonus & vigor renum expulſivus; unde altero rene bene habente, alter calculoſus eſſe ſolet. Et hanc ob cauſam CELSVS *lib. IV. c. II. p. 207.* renes ubi affecti ſunt, & diu male habent, abſtinere etiam ab omnibus falſis, acris, acidis, & liberaliter bibere & molliter ſolvere alvum jubet.

## CAPVT VII.

DE

# GRAVI SPASMO ET DO- LORE VESICÆ ET ADIACEN- TIVM PARTIVM.

### THESES PATHOLOGICÆ.

#### §. I.

**V**esica, ceu pars corporis nervoſo-muſculoſa, frequenter & ex facili obnoxia eſt ſpaſmo, per quem, intenſiorem & præternaturalem corporis veſicæ, nec non ſphincteris conſtrictionem, ſive ſtructuram, coarctationem & fibrarum criſpaturam intelligimus, & ex quo poſtea, ceu fonte, plures aliæ morboſæ affectiones & ſymptomata pullulant ac deducuntur. *Definitio.*

#### §. II.

Grave illud tormentum, quod veſicæ diu in hærens calculus ſæpius excitat, cum aſſiduo mingendi ſtimulo & diſſicillimo ac dolorifico mictu, nonniſi ſpaſmum ceu cauſam arguit. *Proceſſus morbi qui ex calculo veſicæ oritur.*

guit. Propter spasticam enim stricturam, quæ non modo vesicæ tunicam musculoso-nerveam, sed & ejus spincterem ipsamque urethram vehementer afficit, dolorosum urinæ fit stitididum & tantus nixus in pube, ut urina vix cohiberi posse videatur, quæ tamen, ut primum stillare cœpit, mox iterum penitus retinetur. Accedit dolor in toto coli tractu, qui gravissimus sæpe glandem duntaxat occupat, ut annotante HILDANO *lib. III. de lithotom. ves.* & BAGLIVO *Opp. pag. 343.* ingens hic doloris, pruritus & continuæ irritationis in glande penis & virgæ extremitate, in adultis æque ac pueris obvius sensus, merito inter pathognomica calculi signa referendus sit. Jungitur quoque crebrior desidendi stimulus, sive tenesmus, ob arctam recti cum vesicæ connexionem, nervorumque communionem. Prodit sub hac dysuria urina pleurique alba & turbida, cum sedimento mucoso, eo quod ipse spasinus fibrarum muscularium, forti strictura & compressione, ex interiori mucosa vesicæ tunica copiosius lympham exprimit mucidam, glutinosam, quæ immixta urinæ, sedimentum illud quod fundum petit mucidum suppeditat. Sæpe vero tenuis aquosa minus colorata, sub ejusmodi gravi dolore, & spasmo urina emittitur, qui spasinus mutua consensione & communicatione etiam ad tubulos renum urinarios penetrat, ut non nisi tenue & aquosum ex sanguine per emulgentes adducto transmittant. Præterea æger sub mixtu sæpe gravissimos patitur dolores, crura bina transversim complicat, coxas comprimit, caput ad terram inclinat, manūque altera, interdum etiam ambabus, ventrem juxta pubis regionem quantum potest coarctat & sub ejusmodi dolorifica mictione, tremuli interdum & quasi convulsivi totius corporis motus, ut probe observavit VIEVSSSEN in *Nevrologia pag. 203.* concitantur. Nam vesicæ nervuli acerrime a quacunque etiam causa vellitati & spasmo affecti, eundem tremulum & convulsivum motum per nervos intercostales nervis spinalibus communicant & sic ceteris omnibus partibus inferunt. Observamus etiam  
sub

sub stranguria & vehementi dysuria, alvum obserari & flatus cum fœcibus retineri, quæ conquiescente dolore, promte iterum secedunt.

§. III.

Constat quoque observatione, hæc omnia recensita symptomata, & adhuc acerbiora, non tantum a calculo vesicæ, verum etiam a sanguinis stasi & stagnatione intra vesicæ vasa sanguifera, quam sæpius sequitur gravis inflammatio, fieri. Vulgaris enim error est, quo hæc pathemata tantum vel calculo vesicæ, vel urinæ acrimoniæ adscribuntur, cum tamen observationes & dissectiones cadaverum abunde doceant, ægros non modo iisdem symptomatibus, quæ calculus in vesicâ hærens profert, sed & majoribus fuisse affectos cruciatibus, nullo plane post mortem invento calculi vestigio. Nam quemadmodum a mensium vel hæmorrhoidum fluxu sufflaminato, sanguis regurgitans ad vasa ventriculi & intestinorum, & intra eorum tunicas sensibiles stagnans, distractione & compressione vehementia tormina, anxietates, dolores, convulsiones ac spasmos concitat: ita etiam, quando vel ex vitio & emanatione fluxus hæmorrhoidalis, vel aliis ex causis, sanguis ad vesicæ corpus magna copia delatus ibi stagnat, non mirum est, quod in hac sensibili parte, spasmos & quæ ab iis proficiscuntur symptomata producat.

*Qui itidem a stasi sanguinea fit.*

§. IV.

Simili modo a suppresso hæmorrhoidali fluxu nonnunquam fit mictus cruentus, quo cohibito, dolor, spasmus & inflammatio vesicam infestant; cujusmodi atrox spasmus, qui demum funestam progignit inflammationem, interdum quoque a mensium plenario defectu, & earum post quinquagesimum annum emanatione in feminis plethoricis ortum ducit. Nam qui morbis vesicæ moriuntur, inflammatione & sphacello, ob sanguinis in vasis pertinacem & fixiorem stasim, vasa minima nimium distendentem, pereunt, ita plerumque, ut hæc inflammatio non modo vesicam, sed & rectum intesti-

*Sæpe vesicæ spasmus & inflammatio a suppresso hæmorrhoidum vel mensium fluxu.*

num afficiat, ubi simul hæmorrhoidalia vasa sanguine nigro infarcta, cum penis livore, & venæ cervicis sanguine admodum distentæ & varicosæ comparent, fidem faciente BONETO pag. 673. *Observat. 22. & pag. 664.*

## §. V.

*Causa proxima est spasmus.*

Est vero unica funestæ ejusmodi inflammationis causa, eaque principalis, validus vesicæ spasmus, qui, quo validior est, eo vehementius sanguinis stasim & incarcerationem in vasis auget & resolutionem ejus ac discussionem impedit, ut tandem vel in abscessum & ulcus transeat, & chronicum fiat malum, vel in sphacelum brevi tempore perimentem concedat. Et profecto vehemens ille vesicæ spasmus, qui præsentem inflammationem augetur, causa est plurimorum gravium illorum symptomatum, inflammationem vesicæ stipantium, quæ inter, testè AETIO & ORIBASIO, referenda potissimum continua febris, magnus æstus, dolor, ardor ac tumor infra perinæum & supra pectinem atque pubem, urinæ ægerrima & cum magno conatu & dolorifico ejulatu guttatim facta emissio, frequens delidendi stimulus, quibus demum accedunt bilis vomitus, dolor capitis, sitis, difficilis anhelitus, faciei cum oculis rubor, lingua ardens cum nigritie, immodica vigilia, delirium, inquietudo, extremorum frigus ipsaque mors. Dignus memoratu est de funesto morborum vesicæ eventu HIPPOCRATIS locus libr. prænotion. pag. 464. ita habens: *Vesicæ duræ & dolentes penitus quidem horrendæ & perniciosæ sunt, perniciosissima vero quæ cum febre continua fiunt. Etenim dolores (qui utique spasmodum effectus sunt) ab ipsis vesicis ad occidendum suffiunt, & alvi non egerunt hoc tempore, nisi durum quoddam, & hoc coactæ. Solvit autem urina purulenta micla, quæ albam ac levem subsidentiâ habet. Si vero neque ab urina quicquam remiserit dolor, neque vesica molliatur, & febris continua fuerit, in primis circuitibus morbi ægrum moriturum esse, timor est.*

## §. VI.

## §. VI.

Sunt certe hæc vesicæ inflammationem quæ comitantur inque variis corporis partibus conspiciuntur symptomata gravissima; omnia tamen paulo curatius considerata, vix aliam causam, quam vehementem spasnum, qui in vesica, ceu parte affecta, incipit & per universum nervosarum partium genus inde propagatur, agnoscunt. Nam quando fortissima strictura & crispatura fibras vicinarum partium, intestini videlicet recti & sphincteris aniprehendit; vel assiduum desidendi calcar, vel adeo impensa adest ani constrictio, ut nec flatus, nec fæces transmittat, neque etiam clysterem admittat. Quumque solenniter validior spasmus partem cui diutius infedit debilitet, demum & in ea relaxationem relinquit, fit, ut ani etiam procidentia, præsertim in senibus & infantibus, consequatur. Quocumque vesicæ gravior spasmus ad superiora porrigitur, & quidem ad intestina, borborygmus & tormina caulatur, & ubi ad ventriculum pergit, inappetentia, mala digestio & vomitus fiunt: de quo consensu vesicæ cum ventriculo præclara sunt quæ habet *CELSVS libr. VII. cap. 27. pag. 486. non ignoramus, inquit, orto vesicæ ulcere, sæpe affici stomachum, cui cum vesica quoddam consortium est, ex quo eo fit, ut neque retineatur cibus, neque si quis contentus est, concoquatur, neque corpus alatur.* Idem porro spasmus vesicæ sub inflammatione, quum musculus diaphragmatis & nervos tunicasque nervos pulmonum ac bronchiorum afficit, agram & difficilem cum anxietate præcordiorum relinquit spirationem: ad cordis vero musculos & tunicas arteriarum musculo-nervæ delatus, duriores, contractos & celeriores efficit pulsuum ictus, cum febre continua & siti inexhausta, quæ itidem spasticæ stricturæ mollium & glandulosarum in lingua & faucibus partium debetur. Majoris vero periculi est, si ad membranas cerebri & nervorum principia pertingit; tunc enim assiduæ vigiliæ, mentis alienatio, convulsiones, extremorum

*Quod probatur & ulterius explicatur.*

rum frigus ac horror, inæqualis & intermittens pulfus, mortem significant imminentem.

## §. VII.

*Inter causas remotas fe-  
rum fcorbuticum.*

Quamvis vero gravia & fæpius lethalia fymptomata fint, quæ ex inflammatoria fanguinis, five finceris & puri, five impuri ftafi in veficæ vafculis fuboriuntur: nihilominus tamen mitiora minusque funefta funt illa veficæ vitia, quæ a fero falfo, impuro, corrupto veficæ tunicis firmius inhærefcente eafque lancinante fubnafcentur, cujus generis funt illi dolores cum valde difficili & guttatim fuccedente miçtu. Paffim ejusmodi pathematum in obfervatis Medicorum fit mentio, inprimis tamen memoratu dignus DRAWITZIVS, qui jam ante feculum omnium fere optime, germanico idiomate *de fcorbutico* integrum fcripfit tractatum, in quo pag. 350. & feqq. plures affert obfervationes & cafus ægrorum, qui de doloribus fævis fub urinæ emissionem conquæfti, quorum caufa non veficæ labes ulla aut calculus fuit, fed humor tantum impurus fcorbuticus, e quibus memorabilis maxime quem confignavit de lanione, qui quum nunquam antea ex calculo laboraffet, fubito atroces in pedibus perfenfit dolores, qui hinc depulfi, urethram invaferunt, cum intenso ardore & difficultate guttatim vix mingendi, applicatis tamen difcutientibus ceffarunt quidem, fed ad pedes redierunt, confequente eorundem tumore.

## §. VIII.

*Materia  
arthritica  
& podagrica.*

Neque minus multoties obfervavimus in fenibus, veficæ vitia, maximeque dyfuriam, tum ob vitam fedentariam, tum ob dyfcrafiam humorum fcorbuticam, quæ in hac ætate fere perpetua eft, inprimis tamen quod ceffantibus rheymaticis, arthriticis & podagricis doloribus, difficilis accedere folet. at miçtus, qui repetentibus priftinis doloribus, fponte difcedit iterum. Crebrioris quoque obfervationis eft, fcorbuticos, quibus purpura chronica noftro jam tempore admodum fo-  
lennis, hac, ob refrigerationem corporis, vel alias caufas, ut

venæ

venæ sectionem crebrius institutam, retrocedente, vel intus remanente, experiri ingentem mingendi difficultatem cum præcordiorum anxietate, inquietudine, vigilia & interno æstu, quæ, expulsa rursus ad superficiem corporis purpura, disparescit iterum ac evanescent.

## §. IX.

Sed alia adhuc ratione spasmus & dolor vesicæ intro-<sup>a pure ex</sup> ducitur, ex renum videlicet vitio. Interdum enim ex his <sup>renibus in</sup> purulenta & viscida materia, interdum calculi per ureteres in <sup>vesicam de-</sup> vesicam delabuntur. In utroque casu, nisi peregrinus hos-<sup>labente.</sup> pes tempestive foras ejiciatur varia fontica mala & in his vehementissimum spasmus cedere valet. Quodsi enim tenacior & acrior materia est, parietibus vesicæ, imprimis circa collum adhæret & stranguriam, dysuriam, tenesimum inflam-  
mationemque excitat, vel membranas vesicæ clandestine ac lente magis erodit, atque ita hanc exulceratam reddit. Si vero aliarum causarum accessione in calculum tandem illa transformata fuerit, vel is jam factus in renibus ad vesicam migravit, aspredine sua vel pondere hanc continuo laceffit eademque mala quæ modo recensuimus, producit: in posteriori autem casu fundus quoque vesicæ & latera, præsertim ubi calculus fuerit grandior exulcerantur.

## §. X.

Interdum vesicæ collum irritant, tendunt ac spasm<sup>e gonor-</sup> affigunt, diversæ ab iis quas hactenus enarravi causæ, e. g. <sup>rhœca.</sup> quando gonorrhœa, sive benigna sive maligna fuerit, diutius in hospitio suo, hoc est in glandulis binis prostaticis collo vesicæ appositis, commoratur; mora hic Venereis inquinamentis corruptus humor deterior redditus, ulcera nunc leviora nunc graviora, & inflammationes in parte affecta parere, & si horum quoque vitiorum curatio perverse peragatur, simili labe alias sæpe partes imprimis proxime adjacentes afficere, subinde observatur. Mingitur tunc urina purpurea, & vesicæ scabies, imo & exulceratio præsertim cir-  
(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

ca cervicem frequentius accedit. Atque hinc est, quod gonorrhœa virulenta laborantes urinam sæpius turbidam & quæ multum viscida & saniosa ponit sedimenti reddant.

## §. XI.

ab inflammatione intestini recti.  
Eti.  
pure &c.

Causarum, unde gravior vesicæ spasmus proficisci nonnunquam solet, censum quoque subire videntur, inflammatio intestini recti vel ejusdem ulcus, eadem coli vitia, partium omnium interiorum abdominis abscessus, ex quibus ruptis, pus in abdominis cavitatem effusum, versus vesicam tandem progreditur; corruptio inprimis omenti longius protensa, sanguis quacunque de causa in abdomen effusus, aqua in hydropse ad vesicam libere ruens, inflammatio & ulcus uteri maxime ejusdem cervicis, & id genus alia; quorum omnium exempla passim apud BONETVM & alios occurrunt.

## §. XII.

Ab externis.

Devolvitur nunc ad causas externas a quibus vesicæ spasmus provenire possit. Pertinent vero huc contusiones & ictus gravioris in pubis & perinæ regionibus, sectio calculi imprudenter instituta, in qua vel a cultri ineptiori administratione, vel a calculi, præsertim majoris & asperioris extractione, vulneris a sectione facti curatio perverse instituta, catheter ad explorandum calculum vel in urinæ suppressione vel alia de causa incuriosius intrusus, sphinctere præsertim vesicæ arctius constricto, aut a tumore, caruncula, scirrhus vel alio vitio via præclusa; fistulæ in ano extinctio, in qua ani sphincter arctius cum vesicæ collo connexus incaute nimis vulneratus, aut ejusdem vulnus negligentius habitum fuit. In feminis huc referri debet partus difficilis, in quo vesicam & hujus inprimis collum ita sæpe premi afficiunt, ut inde ulcus & fistula proveniant, MEAVRICEAV *aph.* 285. confirmat. Cæterum hic notari meretur singularis cantharidum malignitas qua vesicæ infestæ sunt. Eas enim sive intra corpus assumtas sive externe tantummodo applicatas, spasmus, inflammationem & ulcera interdum ciere satis obser-



observationibus constat, quarum exempla exhibentur in M. N. C. Dec. I. An. II. obs. 105. An. II. obs. 88. Potum denique frigidaë post sectionem calculi, vehementem spasimum concitare, aut lethali gangrænâ, aut fistuloso ulceri occasionem præbere, ex observationibus practicis constat.

§. XIII.

Hiscæ quoad causas quæ spasimum vesicæ cient, expofitis; ratio porro reddenda peculiaris istius phænomeni, cur symptomata, uti difficilis & dolorifica mictio & quæ ipsi junctâ sunt mala, causa materiali, ut calculo vel dyscrasia scorbutica, perpetuo præsentè, per intervalla tantum infestent & tantopere affligant? Ita vero hoc explicandum videtur: omnes atroces in parte nervosa sensibili dolores, paulo diutius obhærentes, inducunt demum & relinquunt in ea quam tenuerunt sede debilitatem & atoniam, qua præsentè, dolores quidem non amplius percipiuntur, sed propter ipsam hanc imbecillitatem, ibi de novo successive succrescentes in corpore impuri humores colliguntur, stagnant & subsistunt, novaque sic ad resuscitandos paroxysmos gignitur & coacervatur materia. Debilitas enim, teste CÆLSO, omnibus morbis opportuna; ideoque instar universalis pathologici canonis tenendum: languidas a prægressâ morbi violentia partes, quam facile recipere morbificum humorem, qui sensim congestus, vel sponte, vel a levi causa exagitatus, novum adducit insultum; & hinc merito periodicorum affectuum origo repetenda.

*Cur spasimus vesicæ per intervalla infestet.*

§. XIV.

Pluries observavimus, calculum in vesica existentem, per certa tantum intervalla multa incommoda, ut mingendi crebrum & difficilem conatum, cum ardore & dolore, ventris torminibus, extremorum frigore & virium languore excitasse, idque maxime ventis ex borea flantibus, vel si insistentes cibi aut cerevisiæ minus defæcatæ sumtæ, aut insolita animi commotio præcessit, aut corporis partes extremæ nimium refrigeratæ, vel etiam sanguinis consueta missio diutius

*Quomodo is excitetur.*

omissa, hanc procul dubio ob rationem : quod hæc omnia ejus naturæ ac indolis sunt, ut partim excretiones salutares supprimendo, partim etiam copiam humoris impuri augendo, cum ad vesicam tanquam partem debiliorem propellendo, movendis & revocandis novis insultibus occasionem præbeant. Crebrioris quoque observationis est, colicas flatulentas junctas esse vesicæ vitio, præsertim ardenti & dolorificæ miçtioni, & omnia alimenta, quæ inflant, hoc quoque exacerbare, & carminativa contra, sive flatus discutientia, optimo esse præsidio.

## §. XV.

*a miçtione  
cruenta.*

Ad vesicæ morbos qui spasmo stipati sunt referri etiam merito debet cruenta miçtio, quæ tamen non omnis, ut vulgi Medicorum fert opinio, ex renibus & vasis emulgentibus fit, sed sæpius proxime & immediate ex vesicæ vasis sanguiferis, præsertim ramis venæ hæmorrhoidalis externæ perruptis, succedit. Cognoscitur sanguinolentus ejusmodi ex vesicæ vasis miçtus, quando difficultas mingendi conjuncta, ardor cum tenesmo circa anum, spasmus circa glandem & dolor pungitivus a glande ad perinæum affigit, cum rigida penis tensione, nec non ubi simul adsunt borborygmi & flatulentia in abdomine, inappetentia, ructus quoque frequentes junguntur; item si miçtio cruenta & stipantia ipsam symptomata post sanguinis missionem in pede, post hirudinum applicationem circa anum, remittunt & cessant. Et quamvis ejusmodi species miçtionis cruenta ex vesica non adeo familiaris sit & frequens, annotata tamen nonnunquam fuit, & prostat observatio HOECHSTETTERI *Decur. I. schol. in cas. 2. M. N. C. Decad. I. ann. IIX. observ. 23.* Mingitur interdum sanguis sincerus unacum urina, vel loco hujus urina bruni coloris, instar caffèe, ut vidimus in sene octogenario quotiescunque equo vectus fuerat: frigefacta urina sedimentum ponebat densum, rubicundum. Gravissima vero quoque incidere solent ex sanguine intra vesicam concreto, symptomata, quæ

quæ recenset LOMMIVS *in observat. p. 191.* crebro enim anima deficit, ægra fit spiratio, & pulsus obscurus, parvus & frequens, oritur multa nausea, animi anxietas & frigidus sudor, hinc totus homo fit imbecillis & pallet & extremis partibus refrigerat, quæ quidem omnia vehementi spasticæ stricturæ, quæ per totum systema nervorum propagatur, recte adscribenda. Fiunt tamen etiam a sanguine in vesica condensato, maximi cruciatus & ardores vehementes, in ima pube & circa virgam, qui referente *observat. jam citata M. N. C.* in momento quasi evanuerunt, postquam æger magnos & oblongos sanguinis grumos, instar hepatis lucii piscis, mingendo rejecerat. Sed de curatione hujus mictionis cruentæ, quæ nascitur ex vesica affecta, recte judicat LOMMIVS *l. 6.* quod tardius curetur, quam illa quæ a superioribus locis proficiscitur.

§. XVI.

Neque etiam prætereundum, quod vesicæ spasmus qui a sero imstranguriam & dysuriam parit, ab urina etiam, præsertim in *puro scorbutico.* senibus, scorbuticis & cacochymicis, valde salsa, acribus, tartareis salino-sulphureis & limosis excrementitiis partibus referta, nascatur. Tam salsa enim quandoque deprehenditur urina, ut linguam arrodant & ex urethra stillans vicinas partes excoriet, quæ utique diutius in vesica stagnans, vellicando fibras nerveas, sphincterem claudit, urethram angustat, & laceratione & arrosione tunicarum ingentes dolores parit. Si *quid vesicæ scabiæ* vero in urina cum dolore excreta moleculæ furfuracæ & *scabiæ* xilia ac copiosa filamenta apparent atque subsident, veteres affectum vesicæ scabiem appellarunt, quia mucidam & villosam tunicam arrosam arguunt.

§. XVII.

Diximus superius, quod quidem calculus in vesica contentus occasionem sæpius præbeat ad vehementes & dolorificos cum dysuria junctos spasmos, per intervalla infestantes; monendum tamen & illud est: quod spasmi vesicæ, etiam a *ex plethora in vita sedentaria additis.*

liis ex causis proficiscentes, ad ipsius calculi in vesica generationem & concretionem primam originem & fundamentum frequentius suppeditent. Contingit hoc quam maxime in senibus plethoricis, vitæ sedentariæ addictis & qui ob perspirationem languidiorem urinam ordinario valde tinctam & scoriis tartareis limolis saturatam mingunt. Nam ob spasmodicum dysuria fit, & liquor urinosus dum paulo diutius retinetur, mora deponit tenacem glutinosam materiam, quæ salibus tartareis involuta, utique principium ad successivam concretionem calculosam suggerit, nisi congruis medicamentis opportune subducatur, & urinæ, sublato spasmo, liber parctur exitus.

## §. XVIII.

*Spasmus vesicæ quando lethalis?*

Inter morbos vesicæ utique vehementior strictura, gravissima & sæpe mortifera est, præsertim ubi cum vehementiori dolore febris acuta, vesicæ durities juxta pubem observata, alviq; & urinæ suppressio juncta est. De qua in *Prognosticis & in coacis præsig.* ita scripsit HIPPOCRATES, *vesicæ duræ ac dolentes omnino male, pessimæ fere cum febre continua: nam qui dolor inde est, necando homini satis esse potest, atque ii alvo non multum deficiunt.*

## §. XIX.

*Quando mitior, varie terminatur?*

Mitis inflammatio est, si dolor atque durities est moderata, sine acuta febre. Varios vero exitus habere solet, aliquando critice, erysipelate in cute oborto solvitur & sensim hac ratione discutitur: vel in suppurationem vergit; & tunc urina est purulenta quæ album habet & leve sedimentum: quod si pure ita erumpente, urina in copia profundatur; tumor subsidet, vesica remollescit, febris imminuitur atque excrementorum exitus patet. Pessimum est, quando in sphacelum lethiferum mutatur.

## C V R A T I O.

## §. I.

Vidimus quot & quam gravia mala atque incommoda, *Plethora solvenda.*  
 ex dolorifico vesicæ, urethræ & vicinarum nervosarum partium  
 spasmo, eaque secundum variæ indolis causas oboriantur.  
 Nunc breviter etiam strictimque explicandum erit, qua op-  
 portuna via ac methodo hisce malis per convenientia reme-  
 dia succurrendum sit. Quod si igitur ex nimia sanguinis copia  
 vegetæ naturæ senibus præsertim, qui vitam diu sine suffici-  
 enti corporis motu egerunt, hic morbus vel ingruit vel sal-  
 tim verendus est; omnino maxima præsidii & auxilii spes  
 in tempestiva & sufficienti sanguinis missione, erit reponen-  
 da. Idque eo magis quando ex subsistente mensium vel hæ-  
 morrhoidum fluxu, aut omissa & diutius assueta venæ sectione  
 vel scarificatione, mali causa suborta creditur: nam monen-  
 te jam HIPPOCRATE *aph. 36. Sect. VI.* in urinæ difficultate  
*secare oportet internas.*

## §. II.

Vbi feri impuri, scorbuticis, acrioribus, salinis parti- *Diluentibus temperatis ntendum.*  
 bus turgidi, copia peccat, & ab ejus colluvie & decubitu in  
 vesicam & partes pelvi inclusas irruente, aut a scorbutica pur-  
 pura, quæ nostro tempore frequentior subest, malum suam  
 duxit originem; tunc vigili cura allaborandum est, ut ab istis  
 heterogeneis impuris partibus referta sanguinis & humorum  
 massa depuretur, & nimia feri copia per congrua emuncto-  
 ria educatur. Cui scopo obtinendo, diluentia temperata,  
 fatis largæ quantitate & longiori tempore usurpata, cujus  
 generis sunt acidulæ temperiores, quæ puriori & leviori a-  
 qua ac tenero sale alcalino imbutæ sunt, qualem prærogati-  
 vam, præ reliquis omnibus aquæ *Spadana* & *Selivana* sibi  
 vindicant, quippe quæ convenientissimæ sunt & apprime pe-  
 ctoris, renum & vesicæ vitiis, ubi labem ac vitium hæ partes  
 receperunt, specifica quadam virtute opitulantur, egregie fa-  
 tisfa-

tisfacere possunt. Longe maiorem vero utilitatem in purpura scorbutica præstant ac foenerantur, quando, per miscellam cum lacte præsertim asininò, horum fontium usus suscipitur.

## §. III.

*Diatæ stricte parandum.*

Sicuti vero diætæ tam in præservando quam in curando malo primæ sunt partes, adeo, ut, qui leges Medicorum aspernantur atque reiciunt & arbitrio suo vivunt, nunquam a calamitosis ejusmodi malis liberari vel saltem levamen recipere possint: ita in tam diuturno morbo, ubi nervosæ & valde sensibiles partes affectæ sunt, maxime id necessarium est; eo quod levem in victu errorem, nervosæ statim partes luere debent. Sedulo itaque monendi ægrotantes, ut a cibis salis, acribus, acidis, item vegetabilibus quæ inflant, quæ adstringunt, nec non ab omnium cerevisiarum & vini acidi austeri potu prorsus abstineant: moderatus vero dulcium, imprimis Hungarici, usus, non modo non nocet, sed egregie prodest; & meretur hic allegari locus ex AETIO *Serm. XI. c. 22.* de scabiosa vesica; *a mordacibus igitur & que humores acres ac saliores reddunt, abstinendum. Exhibendis autem vina dulcia, lac, & gallinæ, aut hedorum, aut agnellorum juscula.* Et quamvis motus & exercitatio corporis, ad averrendos ejusmodi morbos, dum & nimix sanguinis multitudini resistit, & liberum per vasa humorum transitum conservat, magnam vim habeat; tamen, si dolore & spasmo affectæ partes nervosæ imi ventris, quies magis quam motus salutaris evadit, qui tunc maxime nocet, præsertim ea motus species, sub qua sanguis magis ad inferiora pellitur, ut nimia vocis elevatio & longior ac intensior oratio, superiorumque partium agitatio, gestatio & oneris sublevatio.

## §. IV.

*In paroxysmo spasmi mulcendus.*

Porro, ubi passio spastica cum ingenti cruciatu & mingen-  
di difficultate urget, nihil præstantius, clysteribus emollientibus  
oleosis, balneis atque semicupiis esse, crebriori deprehendi  
expe-

experientia; & idem quoque passim observata Medicorum confirmant, mereturque hanc in rem legi elegans observatio DRAWITZII in libro *de scorbutico malo* pag. 153. Sunt quoque in paroxysmo ex usu vapores, ex floribus emollientibus & anodynis, ut sunt flores chamomillæ vulgaris, meliloti, sambuci, malvæ, verbasci, millefolii in lacte decoctis, debito modo admissi ad partem affectam, quippe qui leniendo & mulcendo, spasmos & dolores egregie complacant. Interne vero liquor anodynus noster mineralis, sive solus, sive cum carminativis mixtus, nec non pulveres antispasmodici, ex pulvere Marchionis, specifico cephalico *Michaelis*, nitro purificato, addito paxillo croci & castorei, cum emulsione seminum quatuor frigidorum majorum propinati, reliquis certe omnibus palmam præripiunt. Et eadem hæc remedia, etiamsi inflammatio imminet & febris adest, locum habere possunt, modo dosis nitri adaugeatur.

§. V.

Quando denique ex rheumatica quadam partium externarum fluxione retrocedente ad interiora, vesica morbum patitur, vidimus fonticulos brachiis inustus fructum non poenitendum præstitisse. Quo in casu decoctum demulcens ac leniter diaphoreticū, ex radice scorzonerae, sarsaparillæ, chinæ, rasura cornu cervi, radice glyzyrrhizæ, graminis, cichorei, ac semine fœniculi concinnatum, nec non liquor noster anodynus mineralis cum spiritu bezoardico *Bussii* permixtus, nunquam frustra adhibentur.

*Si ab acri retrocedente materia, fonticuli, it. decocta profunt.*

§. VI.

Si mictus cruentus in vesica ortus, spastica vesicæ affectioni jungitur, vel exulceratio supervenit, externe discutendi & roborandi sine aquam vulnerariam, *l' eau d' arquebusade*, vulgo dictam, pubi & perinæo, haud frustraneo sæpe effectu, applicari jussi, vel sacculos ex mentha, melissa, foliis myrthi, lauri, floribus rosarum, chamomillæ vulgaris & Romanæ in vino rubro decoctus crebrius externe vesicæ

*Mictus cruentus.*

regioni apponi curavi. Interne vero, ne sanguinis grumi in vesica forte relictî cum mucô tartareo ibi hærente coire & calculum producere queant, commodissime, abstergentia & traumatica leniora, quæ inter eminent virga aurea, alchymilla, summitates hyperici, millefolii, radix caryophyllatæ, altheæ, glyzyrrhizæ, ficus, cetera, sub infusi vel decocti forma, cum primis si hæc ipsa, melle Prussico, vel syrupo dialthea *Fernelii* probe edulcorentur, in usum vocari possunt: sicuti non minus decoctum *Foresti*, item sperma ceti, sanguinis grumis in vesica hærentibus resolvendis remedia aptissima præbent.

## §. VII.

*Abscessus aperiendus.*

Quando inflammatio in abscessum, qui ex symptomatum exacerbatione & sensu quasi ponderis in perinæi & pubis regione dijudicatur, abiit; ut ille mature aperiatur & pus e vesica derivetur necesse est: diutina enim mora acrius semper hoc redditum, vicinas partes arrodit, similibus modo afficit atque exedit, fistulas aliaque pessima symptomata introducit. Ad quod grauius malum avertendum, injectio lactis tepidi, cum speciebus emollientibus cocti, tentanda est, ac si parum illa proficiat, ultima spes reponenda in operatione chirurgica, quæ per cultrum in eo perinæi loco, ubi festio calculi, cum magno quem vocant apparatu, peragi solet, instituitur. Quam in rem annotationem merentur bina, quæ ex RIOLANO desumfit exempla BONETVS in *sepulcr. Libr. III. p. 634. sqq.* In feminis res aliter cedit, neque iis hoc auxilio opus est, eo quod orificium vesicæ amplius possident & liberior ad ipsam accessus patet. Ulcere autem aperto ac probe expurgato, eadem quæ modo memorata sunt in §. *præced.* remedia, erunt proficua.

## CAVTELÆ.

## §. I.

*Sanguinis detractio, qua ratione instituenda.*

Quando multitudo sanguinis, sui depletionem exigit, consultius est, per venas superiores primo, ob revulsionem suffi-



sufficientem, ejus copiam detrahere; altero vel tertio die, derivationis gratia aperiendæ sedis venæ, si tumescant & prominent, vel si id commode non fieri potest, in malleolo vel poplite sectio potest institui. Sub habitu corporis spongiosiori sanguine ac succi pleno, in sexu præsertim sequiore, ad revocandos versus exteriora sanguinem & humores, cucurbitulæ partibus superioribus & inferioribus applicatæ plurimum utilitatis afferre possunt.

§. II.

Sed monendum hoc loco est, quod hujusmodi sanguinis detractiones ubi plethora urget, in principio, ad inflammationem vel arcendam, vel ubi jam adfuerit, ad eam discutendam, aut majorem impediendam multum valeant & prosint; ubi vero non satis est virium & sanguinis, atque exulceratio præsens, plus noceant: quia virium robur detrahunt, cujus tamen præsentia ad expugnandum & solvendum morbum impendio est necessaria.

*Quando ea proffit.*

*quando noceat.*

§. III.

In omnibus vesicæ doloribus & spasinis, a quacunque etiam causa proficiscantur, validiora purgantia nunquam exhibere convenit, neque in principio, neque in progressu: metuendum enim est, ne exagitati humores ad partes afflictas magis impellantur & præcipitentur. Remittente vero dolore & spasmo, atque morbo inclinante, alvum solvere, & intestina a stercoreis fordibus, quæ per dolores & spasmos plerumque retinentur, liberare, utile omnino, imo necessarium subinde est. Sed benignioribus id semper præstandum erit; cujus generis sunt mannata, rhabarbarina, syrupus rosarum solutivus, cum sero lactis vel lacte asinino propinata.

*Purgantia fugienda.*

§. IV.

Ad spasmodorum ferociam mitigandam præter externa linimenta & fomenta, clysteres ex lenientibus & emollientibus conflati, sunt injiciendi, eo quod blando suo calore ac tepore rigidas spasmo afflictas vicinarum partium fibras molli-

*Clysterum usus proficuum.*

endo & relaxando, insigni dolorum solatium atque allevamentum afferant, sed exigua quantitate, ne comprimantur inde vesicæ parietes, applicandi erunt.

## §. V.

*In exulceratione vesicæ Carolina nocens.*

Vbi ingens vesicam & ei connexas partes corripuit exulceratio, quæ ex copioso viscidæ materiæ sedimento, & lenta quadam vires & carnem depascente febre apparet; ab interno & largiori *Carolinarum* usu abstinendum esse, ex damno, quod inde emerfit, maximo didici: ob stagnantem enim aquam & corruptio & febris intenditur.

## §. VI.

*Injectiones.*

Injectionibus anodynis, ad temperandam humorum acrimoniam, neque minus ad efferatos dolores sopiendos, commodus utique locus concedendus. Parari illæ possunt ex albumine ovorum no. IV. conquassato & in aquam redacto, addendo lactis feminini uncias duas, butyri recentissimi drachmam: vel etiam emulsio artificialis ex semine cucurbitæ, papaveris albi, aqua florum sambuci, rosarum & ceraforum nigrorum concinnari in talem usum & finem potest.

## §. VII.

*Acria vitanda.*

Ab omnibus diureticis, acrioribus in spastica hac affectione maximopere abstinendum: nam ubi viæ urinariæ exulcerationem passæ sunt, ab adhibito eorum usu dolores & spasmos exacerbari atque longe crudeliores reddi, nullum est dubium.

## §. VIII.

*Anodyna.*

Vbi dolores sunt vehementissimi atque exinde gravia metuenda sunt symptomata, anodyna quæ valide dolorum sævitiam compefcunt, ne vires nimium frangantur & febris cum urinæ difficultate augeatur, vel amentia provocetur, usui possunt esse. Et vidi a trochiscis de alkekengi ad drachmam dimidiam pro dosi sumtis, ægrotantes insigniter sublevatos. Cavendum tamen maximopere ab eorum usu est,

est, ubi ab ætate senili, ab affectu animi, moerore præsertim, virium adest prostratio.

ENARRATIONES MORBORVM.

OBSERVATIO. I.

Vir circiter quadragenarius, causarum patronus, per aliquot jam annorum spatium, immanes plane ac intolerabiles dolorum juxta pectinem & pubem, cum summa urinæ difficultate & quandoque suppressione, vigilia, virium defectio-  
ne, extremorum frigore, & tremore, per intervalla passus est cruciatus, ut sæpius ad desperationem adactus, vitæ sibi finem propter atrocissima tormina, gladio procurandi satius duxerit. Tormenta hæc per aliquot hebdomades assidue affligebant, postea remittebant, quamvis non prorsus cessarent, ita tamen ut officio suo quadantenus fungi potuerit; dein post unam vel alteram, eodem insultu revertebantur. Urina pauca & turbida effluebat, viscidum deponens sedimentum. Cumque per aliquot annos hoc malo affectus esset, viribus tandem consumptis, in quadragesimo ætatis suæ anno obiit. Omnes per totam civitatem in auxilium vocaverat Medicos: quorum alii causam tam immanis cruciatus in vesicæ calculum; alii in ejus ulcus rejiciebant. Sed aliud longe partis affectæ post mortem docuit scrutinium; vesica quippe integra, omni vacans inflammatione, fuit inventa, nec vestigium sabuli aut calculi in ea repertum. Ipsa vero vesicæ membranacea substantia præter naturam valde crassa & densa erat, copiosis amplis ac distentis sanguiferis vasis, quorum nonnulla calami scriptorii capacitatem æquabant, oblita, & sanguine crasso & atro repleta.

*Spasmus vesicæ diurnus funestus.*

*Epicrisis.*

Dolor & spasmus partium nervosarum atque membranacearum, ab humore vitioso, vel intra cavitatem, vel in

ipsa textura & compage tunicarum nerveo-fibrosarum hærente progignitur. Posterior causa, quanquam minus a Medicis usque eo fere cognita, atque in eorum scriptis tacta sit, frequentissima tamen: testante id inter alia, cardialgia, dolore ilei & coli spasmodico, a sanguine intra tunicas ventriculi & intestinorum nervea stagnante subortis. Simili ratione, in vesica, quæ ex meris tunicis & membranis nerveo musculosis, subtilis sensationis constat, a sanguine intra vasa nimium congesto & nerveas partes divellente ac distrahente, vehementem suboriri posse spasnum, non modo vero est simillimum, sed & sectio in præsentis casu instituta, id luculenter apertum reddidit. Neque mirandum est, quod calamitosi hi interdum cruciatus inducias egerint & ad tempus quieverint, hoc videlicet contigit, quando ex variis causis sanguinis ad vesicam appulsus quodammodo diminutus & retardatus fuit. Medicamenta, quæ ad dolores levandos, ad acrimoniam humorum obtundendam, ad exulcerationem mitigandam; ad urinæ fluxum provocandum fuerunt exhibita, supervacanea & nullius usus fuisse, jam quisque sagacioris ingenii & iudicii Medicus ex facili intelliget.

## OBSERVATIO. II.

*Spasmus vesicæ, ex materia podagrica retro-pulsa.*

Vir generosus, militum præfectus, LX. & ultra annorum, podagricis doloribus subinde vexabatur, & complures ante annos, fluentes habebat hæmorrhoides, quæ tamen per magnum temporis spatium siluerunt. Autumno dolere incipiunt pedes cum spasticis tractionibus: sed is minime hæc curans, iter aliquot milliarium, sub cœli temperie valde humida & frigida suscipit. Dolores quidem evanescebant, sed postea incidit in mingendi difficultatem cum ardore & dolore circa pubem & radicem penis, virium dejectione & conatu ad vomendum, alvo obstipata, horrore artuum & æstu intercurrente intentiori junctam. Ego in consilium accitus, venæsectionem in pede, quum per integrum fere annum eam neglexisset, suasi. Interne pulveres diaphoreticos, nitrocinna-

cinnabarinos, item liquorem anodynum cum spiritu Buffii remixtum, ad transpirationem placidam promovendam exhibui. Exterius regioni dolenti linimentum applicari jussi, ex aqua Anhaltina, camphora, croco, oleo nucistæ expresso & pauxillo opii compositum; nec non, ad alvum aperiendam, clysteres emollientes, ex floribus anodyna quadam virtute imbutis, injiciendos curavi. Et intra septem dies, morbo per copiosiore sudorem soluto, sanitati fuit restitutus.

*Epirisis.*

Hanc urinæ, cum stranguria & febricula, difficultatem, ab humore seroso acri, qui pedum digitos obsidebat, retropulso, subortam dijudicavi, & rheumatismum erysipelaecum vesicæ substantiam occupantem pro causa agnovi. Ea que propter ejusmodi remedia cum intrinsecus tum externe usurpanda duxi, discutiendi quæ pollent facultate, & quæ cum insigni alias fructu in erysipelate affectis tutissima & convenientissima deprehendi. Ex quo, praxeos Medicæ fundamentis initiati discere possunt, quantum intersit, ad expeditam & felicem sanationem morbi conficiendam, veram ejus causam investigare, & statim inter initia, ad eam amovendam congrua & idonea remedia in usum advocare.

## OBSERVATIO III.

Theologus magni nominis hujus loci sexagesimum ætatis annum supergressus, sanguineæ constitutionis, vitæ sedentariæ, lubricationibus & mentis fatigationibus nimium deditus, doloribus subinde gravativis & pressoriis circa os sacrum & regionem pubis corripiebatur, atque tum maxime, quando sermonem sacrum alta voce diutius paulo protraheret; qui, corpore quiescente & sanguine missò, quodammodo remittebant. Purpura scorbutica sæpius eum afflixit, tandem in gravem primum per intervalla dysuriam incidit, cum horrore & febricula alternante, & ingenti circa pubem dolore.

*Spasmus vesicæ, a materia scorbutica purpuracea retrocunte.*

De-

Demum superveniebat paresis manus dextræ: quæ quamdiu perstitit, remissior fuit dysuria; illa vero evanescente, atrocior vesicæ spasmus & dolor cum assiduo urinam mittendi stimulo illico repetebat. Duravit hoc malum per aliquot septimanas. Varii generis tentata a Medicis remedia. Missus aliquoties intra morbi decursum, e pedis vena, sanguis: sed citra fructum. Tanta enim doloris & spasmi in pube & pectine secuta est atrociam, ut appetentiam ciborum, somnum & vires penitus dejiceret, atque urina pauca & cum summa difficultate efflueret, purulentæ quippiam materiæ continens. Inducias quandoque dolores agere videbantur: sed mox redierunt. Tandem vesicæ inflammatione, ex parte exulceratione, febreque acuta purpuracea supervenientibus, vitam cum morte, non sine summo totius civitatis luctu commutavit.

*Epicrisis.*

Quando in hac gravis morbi historia enarrata phœnomena & circumstantias probe rationi subjicimus, & paulo attentius consideramus; abunde constare arbitror, causam funesti hujus mali neque in vesicæ calculo, neque in humore acri intra cavitatem vesicæ detento, sed in decubitu sanguinis ferosi scorbutici intra membranas ejus delitescantis esse quærendam & constituendam: quem postea inflammatio cum febre acuta & purpuracea exitiosa insecta est. Mea quidem sententia nullum dubium superest, quin a purpura retrocedente, ob incautius paulo, intra morbi hujus decursum subinde admissum frigus, & crebrius celebratam venæ sectionem, quæ distillationem humoris morbifici per extimam cutim valde moratur, vis morbi multum increverit. Placet vero hoc loco similem quandam notatu dignam observationem, M. N. C. insinuatam, adjicere, quæ abunde docet, a sero impuriore intra vesicæ tunicas stagnante lethales fieri posse vesicæ inflammationes. Ita enim legimus, *Dec. II, ann. VII, of serv.*

143. quendam sanguinico-cholericæ constitutionis a juventute stran-

stranguria afflicto, incremente ætate commissisque in diæta erroribus, frequenti ac dolorifico paucæ & pallidæ urinæ, singulis fere vel vix dimidiæ horæ quadrantibus cruciatum fuisse mictu, una cum tenefino. Quod malum posteaquam ultra annum frustra omnibus datis durasset, octo ante obitum hebdomadibus accessisse in urina reddenda impedimentum, brevi tamen iterum cessans, intumuisse, doluisse pedes, ac erupisse passim in dorso & pedibus pustulas, cum ardore, subsequente spontanea ruptura, exulceratione, tandemque leniori quasi gangræna. Mature quidem topicis hæc fuisse abacta, in regione pubis autem intensissimum dolorem subsequutum tam incredibilem, ut æger ejularet, mens alienaretur, paralyti latus sinistrum afficeretur, tandemque motibus convulsivis ipsa mors accederet. Exemta post mortem vesica, interius totam nigricantem conspectam fuisse, sphacelatam, sine ullo tam fabulo quam calculo.

OBSERVATIO. IV.

Honestâ femina, in urbe vicina degens, quæ annum superavit quadragesimum, mediocris staturæ & sanguinæ ut vocant complexionis, menstruorum fluxum ordinatum persentiit, venæ sectionem etiam aliquoties admittit; aliquot abhinc menses, supra vires aliquoties facta onerum elevatione, insignem gravativum instar ponderis circa regionem pubis & os sacrum percepit dolorem; quo præsentem menstruus etiam fluxus parcior. Demum ex terrore accedente, spasmus ad inguina acutissimus redditus est, ita ut, ægra id ipsum fatente, longe superaret dolores, quos femina in partu etiam laborioso sustinere debent, cum summa urinam emittendi difficultate & continuo meiendi & desidendi desiderio stipatus. Excepta urina crassum semper deposuit sedimentum, fibrosis quibusdam moleculis in ea natantibus. Ciborum periit appetentia, atque somnus, ob urgentem urinæ stimulum, difficilis & interpolatus. Auxilium a me petiit. Ego sanguinem

*Dolor vesicæ, ab oneris elevatione, ex terrore accedente, acutissimus redditur.*

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

Ggg

ut

ut in brachio mitteret, & loco cerevisiæ decoctum ex speciebus emollientibus & leniter carminativis biberet, auctor fui. Interdixi autem vinum Rhenanum, & ut in quiete corpus servaret suasi: liquorem quoque anodynum nostrum cum croci essentia mixtum, ad usum internum commendavi: neque minus infusum Theiforme, quod herbam veronicæ, virgæ aureæ, flores malvæ, summitates millefolii, radicem altheæ, eryngii, glyzyrrhizæ, nucistam & semen foeniculi habebat, mane hauriendum præcepi. Dedi quoque consilium, ut vesicæ regioni frequenter epithema, quod ex vino rubro cum floribus lavendulæ, chamomillæ Romanæ, sambuci atque rosarum rubrarum decocto, parabatur, applicaret. Hæc quidem usurpavit ægra, & quamvis nondum ex toto malum fuerit depulsum, levamentum tamen eam exinde recepisse mihi rescriptum est.

#### *Epicrisis.*

Affectus qui ex læsa vesicæ substantia oriuntur, præsertim si per aliquod jam duraverint tempus, curatu non tam faciles sunt ac esse forsan putantur. Possunt tamen opportunis adhibitis remediis mitigari, ut per plures annos trahere adhuc vitam, licet cum molestia, possint hoc vitio laborantes: cum alias incauta victus ratione, vel importuna per medicamina tractatione, lethalem facile eventum fortiantur. Perquam enim ardua & difficilis res est, vasa vesicæ sanguinea, a fortiori impetu & appulsu sanguinis in eadem, nimium relaxata, ad pristinum tonum reducere, & motus naturæ aliquoties eo directos avertere. Ex hac porro morbi historia illud in usum convertere possumus, quod a sola causa externa, videlicet corporum gravium sublevatione & gestatione, in sanguine abundantibus, impetuosa ad partes inferiores in abdomine contentas, quæ quo nobiliores & sensibiliores eo gravius luunt, sanguinis enasci queat congestio; quæ certe multorum, nisi cita ope succurramus, funestorum symptomatum fons atque origo evadit. Neque ullo modo mirandum est,



est, congestionem illam in nostro casu vehementiores turbas excitasse, quum terror supervenerit, cujus ea indoles ac facultas est, ut universam humorum massam, motu vitæ plane contrario atque infensissimo, ab exterioribus ad interiora cogat atque repellat.

## OBSERVATIO. V.

Vir annorum XXXVII. sanguineo - cholericus temperamenti, habitus corporis macilentioris, prima statim in juventute, Veneri atque Baccho hostias assidue litaverat, lauto insuper usus vitæ & victus genere: sanus alias atque robustus, nisi quod aliquoties gonorrhœam dignam factis mercedem deportaverit, quæ semper brevi fuit sanata. Ante aliquot annos, improvise quodam horrore & frigore cum alternante æstu corripitur, ac inde in totalem incidit urinæ suppressionem. Medicus calculum vesicæ subesse ratus, suavit balneum, & tincturam ex cantharidibus præbuit; ac applicato cathetere restitutus urinæ fluxus. Exactis tribus mensibus, idem malum reversum est, idque aliquoties. Postea alterius Medici consilio usus est, qui ordinavit emulsionem refrigerantes & antispasmodicas, quibus uberius & liberius redditus urinæ cursus. Anno abhinc prior morbus denuo cum horrore, frigore, alternante æstu, & totali urinæ suppressione repetit. Meam vero opem non modo ob præsens malum, sed etiam ob impotentiam qua laborabat, poposcit. Ego infusum Theiforme, pulverem antispasmodicum, & mixturam ex tinctura tartari, liquore anodyno & balsamo Peruviano commendavi: quibus naturalis urinæ fluxus restitutus. Postea urinæ non penitus quidem suppressa, sed fili tenuissimi instar, prævio semper horrore per certa intervalla prodiit. Semen quando vult ejaculari, ad orificium urethræ subsistit, postea sensum exstillat & indusium madefacit. Notabile adhuc, quod urina subsistat prius, dein cum impetu prorumpat, præcedente sonitu, als wenn eine Rûbe zerbrochen würde. Sanatus fuit, diuturno per aliquot menses fontis *Selterani* usu, pro potu ordina-

*Urina sup-  
pressio ex  
gonorrhœa.*

rio. Et ad alvum laxandam quæ sæpius erat stricta, pulvis magnesiæ cum arcano duplicato & nitro mixtus conduxit.

*Epicriss.*

A gonorrhœa Venerea perperam & nimis cito curata, ego in praxi mea, morbos vesicæ & vicinarum partium post longum sæpius tempus demum successisse, multoties observavi. Et ratio ex anatomicis quam facile petenda est. Notum enim est glandulas prostates, quæ plerumque sedem gonorrhœæ constituunt, collo vesicæ, adeoque ejus sphincteri & urethræ principio esse annexas. Quod si itaque hæ glandulæ vel nimium relaxatæ & tumefactæ, aut scirrhosæ, comprimunt vesicæ collum, vel acrem exsudantes humorem sphincterem & urethram spasmo ac dolore afficiunt, mictum difficilem & ad tempus penitus suppressum, imo interdum cum dolore & spasmo consequi, minime mirandum est. Et tale vitium quoque in præsentia casu, dictis partibus inhærere, symptomata satis perspicuum reddunt: nam propter compressum vesicæ collum, ejaculatio seminis non modo impeditur, sed & urina tenuis quasi filum prolicitur, & quandoque ejus fluxus penitus intercipitur; quod si vero, ob molem tandem prorumpit, orificium urethræ cum vi aperitur: unde talis sonitus, qualis in casu enarratur, emergit. Ego pro potu ordinario fontem *Selteranum* suasi, cujus eximiam virtutem ac facultatem in renum & vesicæ morbis, ad leniendos dolores & spasmos, urinæ fluxum promovendum, canales obstructos aperiendos, atque mucum viscidum detergendum non satis dilaudare possum. Et quoniam in gonorrhœa inveterata, & in morbis vesicæ & urethræ ex hac proceduntibus, per aliquot exempla, mirabilem thermarum Carolinarum potum, & earum aquæ salutiferæ in membrum injectionem crebriorem, deprehendissem; non dubitavi ejus usum & fructum de meliori commendare.

## OBSERVATIO VI.

Quondam in Principatu Halberstadiensi me consulebat magnæ dignitatis vir quinquagenarius, sanguinæ complexionis ac venæ sectionis osor, ob insanos & immanes fere spasmos & dolores, quibus, præsertim Borea flante, in pube, perinæo & radice penis torquebatur. Juncta simul aderat urinæ difficultas, stranguria alvique pigrities, cum horrore extremorum, atque vigilia. Remittebantur sæpius hi dolores ad tempus, post revertebantur majori vel minori impetu. Quam morbi hujus pertinacis & infesti primam investigarem originem; accipi, Dn. ægotantem aliquoties in juventute laborasse gonorrhœa; quæ quidem a Chirurgis curata, sed ab eo statim tempore, difficultatem in urina emittenda, cum sensu constrictionis circa has partes ipsum percepisse. Ipse jam a multo tempore, propter continuas in officio occupationes, vitæ sedentiariæ nimium indulgebat: nihilominus data occasione, qua crebro utebatur, vinum liberaliter bibit, a victu quoque duro & infumatis carnibus, quibus assuetus erat non abstinuit. Ad levandos dolores, se nihil melius & efficacius inter omnis generis remedia deprehendisse referebat, ac juscula, in quibus herbæ emollientes, ut parietaria, malva cum floribus atque althea decoctæ erant; quæ etiam cum aqua calida infusa, & cum syrupo dialtheæ Fernelii edulcorata, insigne allevamentum tulerunt. Ego, morbo & ejus causis probe in examen vocatis, eum vix esse sanabilem, propter magnam læsionem in vesica & ejus collo, edixi. At quia urina lentum viscidum ac arenosum deponebat sedimentum, vel jam rudimenta calculi præsentia, vel futura, ipsi præfagium feci. Ut itaque morbi ferociam leniret & a gravioribus vesicæ morbis se præmuniret, interdixi cibos saltos & infumatos, omneque cerevisiæ & vini genus; ac ut fontem *Wildungensem*, quem jam olim usurparat, pro potu ordinario biberet, balneis frequentius uteretur ex aqua dulci, decocta memorata ex emollientibus

*Vehemens  
vesicæ dolor,  
& gonorrhœa  
perverse cu-  
rata.*

tibus continuaret, ad roborandum vero imbecillum ventricul-  
 lum, qui perpetuus fere continuorum dolorum comes est, vini  
 Hungarici optimi & recentioris haustulum intra cibos sume-  
 ret, ac intra mensis spatium, pilulis ex pulvere rhabarbari,  
 extracto rhabarbari & therebinthina Veneta paratis, alvum ter  
 minimum subduceret, auctor fui suaforque. Quibus monitis,  
 vir summe prudens quum obtemperaret, ad sexagesimum &  
 tertium annum, nunquam tamen ab omnibus doloribus pro-  
 fus immunis, vitam protraxit.

### *Epicrisis.*

Gonorrhœa ex impura Venere contracta, quo famili-  
 arior juvenili ætati est, eo minus recte ejus sanatio suscipi-  
 tur; quia affecti non periti & circumspècti Medici consilio,  
 sed chirurgorum ope uti consuecunt, qui fluxum plerumque  
 adstringentibus nimis cito compescunt; ex quo fit, ut vel  
 statim in graviora incurrant mala, vel dispositio quædam pra-  
 va in locis affectis relinquatur: quæ demum in provectiori  
 ætate, concurrentibus aliis erroribus sese exerit, atque variis  
 pathematibus ac vitiis præsertim circa vesicam manifestat.  
 Nam, post quinquagesimum annum, lentior ac difficilior in-  
 cipit fieri sanguinis in partibus inferioribus & extremis, ut  
 sunt, quæ in pelvi iacent, per venas recursus & reditus;  
 præsertim in sanguineis qui vitam sine motu & exercitatione,  
 atque in occupationibus agere debent. Quando itaque san-  
 guis non exitum habet, neque per sedis venas, neque per  
 artificialem evacuationem; in vesica & vicinis partibus im-  
 becillioribus facile subsistit, & nimium ibi collectus, pro-  
 pter vehementem tunicarum nervearum distractionem &  
 divulsionem, graviores excitat spasmos ac crispaturas sphin-  
 cteris ac urethræ; qui difficultatem meiendi relinquunt.  
 Urina autem mingitur turbida & viscosa, non aliam ob ra-  
 tionem, quam, quod a stagnante intra vesicæ substantiam  
 sanguine, humor instar albuminis ovi viscidus magno nisu  
 expri-

exprimitur, simili ratione, ac fieri solet in hæmorrhoidibus quæ vulgo vocantur albæ; qui mucus postea cum partibus tartareo terres urinæ paulo diutius in vesica detentæ commixtus, calculos quam facile in vesica procurat, & non raro ejusmodi affectibus quo laboravit noster patiens adjungitur, nisi congrua vitæ, diætæ, & medendi ratione id præpediatur. Quod vero sæviente Borea, spasmi & dolores partium internarum ingravescere soleant, ventis vero ex contraria plaga stantibus mitescant; id a nobis sæpius animadvertum est: & quanta vis ac potestas sit ambientis atmosphæræ, quæ, a ventis, testante Barometro, mirifice modulatur, partes corporis nostri maxime nervosas distendendo ac stricteiores reddendo, inde luculenter demonstratur.

OBSERVATIO. VII.

Clarissimi nominis vir, magnus literator, sexagenario maior, sanguineo melancholici temperamenti, qui continuis lucubrationibus, mentis laboribus & sedentaria vita maximam suæ vitæ partem peregit, ante tres annos mingen-  
 di difficultate, cum ponderis cujusdam pressorio sensu in regione inguinali corripitur. Urina non modo viscidum sedimentum, sed multa concrementa calculosa cinericei coloris deposuit. Quæ symptomata, succedente tempore, semper propter dolorem & spasmum, ischuriam, dysuriam, urinæ incontinentiam, ani procidentiam & tenebrum, vigiliam quoque, sequentes per annos incrementa, ita vires eius paulatim attriverunt, ut sexagesimo sexto ætatis anno extremum spiritum reddere debuerit.

*Spasmus vesicae, in vita sedentaria adducto, funestus.*

*Epicrisis.*

Morbos qui vesicam infestant, ut sunt calculi, exulcerationes, mictus cruentus, dysuria, stranguria, recte & perite fatis, primis artis nostræ conditor Magnus Hippocra-

tes inter ætatis senilis affectus retulit. Ad quorum generationem difficilior sanguinis regressus, tum per venas hæmorrhoidales tum per hypogastricas, sedentaria & motus ex-pers vita, sanguinis intermissa detractio, & impuri feri visci-di tartarei, ob excretiones per cutim, urinam, sub hac æta-te labascentes, cumlatio multum omnino conferre possunt. Sed hos morbos, si ingruunt, difficilioris sanationis ino-infanabiles esse, gravissimus idem Auctor pronunciat. Plac-et nobis hunc in finem ex M. N. C. Dec. II. an. IX. simi-lis argumenti casum adducere, cui simul anatome eodem morbo defuncti annexa prostat. Fuit autem Matrona sexa-genaria, per viginti annos vidua, sanguinei temperamenti, quæ a deambulationibus plane abstinens, sedentariam soli-tudinem quærens, ob moerorem lacrymis sese fatigans, dolo-ribus ad os sacrum, pariter ac colicis afficitur, aliquando & stranguria; dein etiam pedum tumore: hinc magis motu corpus destituitur. Ingravefciente ad os sacrum malo calculos ad-piforum magnitudinem cum sabulo egerebat: tandem viribus fatifcentibus, appetitu debilitato, cruciatibus stranguriæ gra-vioribus, & accedente tenesmo, parum sabuli cum fœtido & purulento muco excreto, placide animam exhalavit. Aper-to corpore intus vesica rugosa & ad magnitudinem pomi con-tracta conspiciebatur, & non tantum ulcerata interior ejus tunica, sed vasa etiam nigra in ipsa prominentia se offere-bant, urethra nimis ampla ut manubrium cultri anatomici promte trajici posset, vesica fellis colore instar rob ceraso-rum cum calculis minutis nigerrimis conspectui se prodidit.

## OBSERVATIO. VIII.

*Spasmus  
vesicæ, ex  
Spiritu vi-  
ni Sc. abu-  
su ortus,  
funestus.*

Incidit in memoriam casus, quem, ante quinquaginta propemodum annos, cum Mindæ Westphalorum ut Physicus Provincialis Medicinam facerem, annotavi. Vir erat Sexa-genarius, qui, cum ob copiosi spiritus vini ingurgitationem & vicium duriorẽ, vitamque otiosam, rhevmaticis & nephriti-  
cis

cis doloribus plures per annos obnoxius fuisset, tandem in febrem lentam cum mictu difficili quandoque purulento dolore gravativo & ardore in lumbo sinistro stipatam incidebat. Corpus macie erat consumptum, & vires in dies decredebant. Tandem intolerabilem circa regionem pubis passus est cruciatum, cum totali fere urinæ suppressione junctum. Ad quem sublevandum, neque externa neque interna probatæ virtutis anodyna & discutientia remedia quicquam opis contulerunt. Ex quo factum, ut viribus pæne omnibus dejectis, exacto aliquot hebdomadam spatio diem supremum placide subiverit. Concessa a cognatis defuncti corporis sectione, renem finistrum ulcere penitus consumptum & exesum inveni, in pelvi autem insignem, aliquot unciarum, crassi, foetidi puris copiam conspexi, vesicæ tunicis valde laceris atque arrosis. Dexter ren satis erat magnus, cujus ureter instar pollicis distentus: ventriculum valde parvum & contractum, eo quod ultimis diebus nihil assumerat, deprehendi.

*Epicripsis.*

Ex dissectione hoc affectu defuncti cadaveris, id discere & animadvertere licet, sayissimum vesicæ dolorem & spasmus cum urinæ suppressione, a causa externa, purulenta nempe materia, quæ ex erosa renum substantia in inferiorem vesicæ sedem descendit, nerveas membranas extrinsecus corrodendo, contingere posse. Lethalis vero ischuria ex eo secuta fuit, quod non modo collum & sphincter vesicæ ab acredine materiæ hujus purulentæ constrictus, sed etiam ab urinæ copia compressus fuerit: unde factum, ut usus catheteris immissi plane fuerit frustraneus. Atqui hic recordeor sectionis nobilis aulici ante viginti fere annos institutæ, qui gladio vulneratus ex lethali ischuria, per decem fere dies durante, *Delitii* quæ est civitas Misnienlis, sub summis dolorum tormentis animam efflavit. Reperimus, abdomine aperto, in cavitate pelvis uncias aliquot sanguinis coagulati, qui pau-

latim sensimque ex vulnere non adeo insigni vasis sanguinei in omento stillavit in ipsam pelvim, & valde comprimendo vesicæ collum, non modo vehementissimos dolores, sed etiam urinæ suppressionem insanabilem reliquit.

## CAPVT VIII.

DE

# DOLORIBVS ET SPASMIS EX- TERNARVM PARTIVM RHEVMATICIS ET ARTHRITICIS.

### THESES PATHOLOGICÆ.

#### §. I.

*Quid arthri-  
tis veteri-  
bus fuerit?*

**V**eteres Medicorum omnis generis dolores, qui vel externas partes musculosas, vel ossium juncturas & articulationes infestabant, arthritidis nomine comprehenderunt atque sic in monumentis suis proposuerunt, ignorato vocabulo rheumatismi. *ARETÆVS lib. II. cap. XII.* de arthritide ita scripsit: *quibusdam in omnem corporis ambitum vagatur, & deinceps transitus quoque in dorsi thoracisque musculos fit; incredibile est quam late malum serpat: vertebrae dorsi cervicisque dolent & in summo sacri ossis dolor inhaerescit, & paulo post cum renibus & vesica communicatur.* Superiori vero seculo, Clarissimi Galliarum Medici, quos inter primas omnino partes, *CAROLVS PISO, RIVERIVS, BALLONIVS, CHESNEAV*, tenent, dolores, qui medios artus & musculos cervicis, brachii alterutrius, thoracis antici & postici, humeros, scapulas, femora, manus, obfidet atque affligunt, rheumaticos vocarunt. Arthriticos autem dixerunt eos, qui in articulis tantum & juncturis ossium

*quid recentiores dolores rheumaticos dixerint;*

*quid arthritidem?*

um



um resident; ita tamen, ut pro diversitate partium affectarum differentes etiam denominationes factæ fuerint: si enim dolor in pedum articulis consistit podagra; in manibus chiragra; in cubitu onagra; in dentibus dentagra; in vertebra dorsi lumbago; in articulationibus ossis ischii, dolor ischiadicus audit. Verum nostro etiamnum tempore, incipientem & facilius transeuntem arthritidem, chiragram, & podagram, rheumatismi nomine insigniter consuescunt.

## §. II.

Cum vero insignis ratione partium dolentium, causarum, symptomatum & methodi medendi inter rheumaticos & arthriticos dolores sit differentia, cum sufficienti & stabili ratione, Medicorum & sagaciores & peritiores hos affectus specialiori tractationi & explicationi submittere haud dubitarunt. Neque est exigui in ipsa praxi medica momenti, arthritidis recentis & incipientis a vera radicata & inveterata differentia.

## §. III.

In rheumatismo, muscoli cum eorum membrana communi & tendinibus ubi ossibus inseruntur, gravi dolore & spasmio hinc inde in artubus aliisq; corporis regionibus afficiuntur; in arthritide vero ipsa ligamenta tendinosa-nervea, quibus invicem ossa conjunguntur & combinantur, quatenus illa periostio coherent vehementius affiguntur. Sed uti in arthritide ac podagra incipiente dolor magis in superficie ligamentorum hæret & urget: ita in inveterata, humor vitiosus, dolorum fomes, profundioris est situs, & spatium magis inter cavitates articularum occupat. Deinceps quoque in eo differentia arthritidis veræ & rheumatismi constituenda venit, quod illa sæpius recurrat, homines misere exerceat, atque longiori tempore insit, difficilioris quoq; sit sanationis; rheumatismus vero quandoq; semel vel bis tantum per omnem ætatem adoriatur, neque tam diu inhærescat, facilius transeat & sanationem promptiorem admittat. Variat quoque sæpe ipse dolor:

*quis pro diversitate locorum diversis nominibus recipientur.*

*Cur specialiter hi affectus pertrahantur?*

*Differentia rheumatismi,*

*ab arthritide,*

lor: nam in rheumatismo magis est tenfivus, prefforius, gravativus cum frigore junctus, sine conspicuo tumore ac rubore; in arthritide vero lancinatorius, divulforius, pungitivus & quasi rupturam minans cum insigni tumore & rubore percipitur.

## §. IV.

*Florum causa proxima.*

Sicuti omnis permolesta sensationis causa est humor five copia five intemperie peccans, intra vasa minima tunicarum & membranarum nervosarum stagnans atque congestus, qui violentia quadam eas distendit, vellicat, divellit, arrodit: ita etiam eandem causam in rheumaticis & arthriticis affectionibus locum habere extra omne dubium esse videtur.

## §. V.

*Dolores leviores, a transpiratione prohibita*

*vel omiffa Venasectione.*

Attenta constat experientia, non modo atate florentes, juniores, sanguineæ, & sanguineo-serosæ complexionis, spongiosioris corporis habitus, ab improvide admisso frigore, vel vento Boreali impetuosius in partem irruente; sed etiam plethoricos five feminas, five viros vegetæ alias naturæ, omiffa consueta venæ sectione vel scarificatione, post prohibitam cumprimis transpirationem, rheumaticos e. g. in cervice, scapulis, humero, dorso, sterno, thorace, dolores vel levioris gradus arthritides experiri: cum natura debiles minus fibrosi & laxioris habitus, a parentibus arthriticis & podagricis geniti, & qui immoderato Veneris vel vini usu, commensationibus, mentis fatigationibus & vehementioribus animi commotionibus, tono & robore valde imbecilles redditi fuere, vera profundiori & magis pertinaci arthritide imprimisque podagra afficiantur atque excrucientur.

## §. VI.

*Et cum nephritide alternant.*

Qui graviori præsertim inveterata arthritide laborant, ii, conquiescente hac, quam facile in nephritidem calculosam dilabuntur, & cessante hac, in arthritidem alternatim quasi recidunt: insuper quotidiana docemur experientia, arthriticos & ma-

& maxime podagricos digestionis vitio plerumque laborare, & primas eorum vias ructibus, flatibus, spasmis & illuvie vitiosorum humorum, sub alvo pigriori esse turgidas: quin imo observamus plurimos podagricos esse hæmorrhoidarios, sive insultus ac motus, quamvis inaniter & sine bono successu & exitu, hæmorrhoidales experiri, doloribus in osse sacro pertinacius insistentibus & quandoque, venis circa sedem tumefactibus.

### §. VII.

Quemadmodum non una eademque humorum, qui dolores fovent atque ingenerant, indoles atque conditio est: ita etiam & ipsi dolores ratione gradus, genii, & symptomatum rheumatici & arthritici multum habent discriminis. Nam ubi sanguis tantum copia peccat & nondum multis impuris particulis est inquinatus, mitius solent affligere dolores: id quod in rheumatismo simpliciter, & incipiente arthritide plethoricorum occurrit. Longe vero gravior horum dolorum species est, quando a seri impuri & excrementitii colluvie foventur & sustentantur. Siquidem ego multoties observavi, uti in omnibus doloribus, ita etiam in iis qui partes externas & nervosas graviter afficiunt, rarius solum sanguinem bene temperatum & purum peccare, sed sero excrementitio ut plurimum esse stipatum: ita tamen, ut vel nimis sit tenuis & serofus, exigua rubicunda consistente portione refertus, vel sero viscido glutinoso tenaci imbutus delinquat; ipsa etiam excrementitia & impura salia multum ratione acrimoniæ volatilæ fixæ salis & tartareæ in cruore differunt, quæ diversa hinc symptomata producant: ut adeo pro dissidente inter se harum causarum natura & indole, rheumatismus non male a Medicis exercitatis in sanguineum, in cacochymicum, scorbuticum, fixum & vagum, distingui possit.

*Differunt dolores tam rheumatici quam arthritici, ratione causarum, &c.*

## §. VIII.

*Hinc e vena  
missus san-  
guis differt.*

Ex quo fit, ut sanguis in diversi generis doloribus e vena emissus, & ratione coloris & consistentiæ multum differat. Nam, quandoque in aquam calidam immixtus multo tenaci muco ex fibris varie intertextis constante abundans conspicitur; interdum serum quod supernatat, mox instar glutinis vel corii concrevit, non secus ac in peripnevmonia graviter affectis evenit; alio tempore serum valde tenue est, & sanguis coccinei coloris, quod fit sæpissime in rheumatismo vel arthritide vaga, indicio non incerto, sal ad alcalinam volatilem naturam vergens ei admixtum esse. CAROLVS PISO in *libr. de morb. ex colluv. seros. oriund. Sect. V. cap. III. p. 433.* in doloribus externi habitus massam sanguinis tanta serosa colluvie scaturisse observavit, ut seposito in pelvi vigesima vix pars in fundo subsederit, quæ sanguinis colorem & consistentiam retinuit, reliquo liquore supernatante penitus aqueo, sed obducto pellicula viscida & alba. BAL-LONIVS quoque *libr. de rheumatismo*, aliquoties sanguinem, quem magna copia e brachio detraxit, impurum & in putridum serum resolutum vidit. Ego vero non semel sed multoties annotavi, quod in principio horum dolorum sanguis bonæ consistentiæ, longiori progressu, vel quando malum altius radices egit, admodum serosus, corruptus & pellicula tenaci imbutus fuerit emissus. Nam sanguis abundans primam quidem causam & originem hisce doloribus præbet, sed sub longiori morbi decursu, motu intestino calido per continuam agitationem in vitiosum serum convertitur: qua de causa ipse modo laudatus CAR. PISO, eruditissimus scriptor, omnes arthritidis & rheumatismi species inter morbos a colluvie serosa ortos retulit: id quod etiam urinæ copiosæ tenues, neque minus limosæ & turbidæ, atque copiosi fœtidi sudores, qui hisce doloribus adjungi solent, demonstrare videntur.

*in quo ratio  
formalis  
querenda.*

## §. IX.

Quaestio nunc haud exigui in theoria Medica momenti solvenda incidit: quomodo & qua ratione feri vitiosi a sanguine qui jugi per vasa & tubulos motu circumvolvitur, separatio, stagnatio & decubitus in partibus exterioribus nervosis fieri possit? Utut vero veterum theoria, subsidiis physicis & anatomicis plane destituta, in evolvendis morborum causis ac generatione imperfectissima sit; nihilominus HIPPOCRATES *libr. de flatib.* ratiocinio mere physico mechanico harum fluxionum dolorificarum causas & modum generationis pulchre exponere annisus est; ubi §. 13. 15. 16. meminit: sanguinem ipsa natura calidum vi coactum, per angustam viam, celerrime, propter obstacula & oppilationes, transire non posse, & hinc tenuissimum per venas excludere, atque id ipsum tenuissimum liquidum, cum coacervetur, per alios meatus fluere, & ubi tandem in loco constiterit, fluxiones & dolores in partibus fieri.

*Ratio generica, ex Hippocr.*

## §. X.

Nos vero, ut genesis horum morborum ad paulo clariorem conceptum redigamus, primo causas occasio-  
*Ex nostra sententia.*  
 nales & antecedentes, deinceps modum quo invadere hi dolores solent spectare debemus. Jam autem per constantem & indubiam experientiam notissimum est, quod dolores artuum rheumatici incidant frequentissime in ea corpora, quae praecedente intensiori motu, labore & exercitatione aut balneo calido vel aere nimis fervido calefacta, inclementiori frigido coelo, aut vento boreali subito exposita fuerunt; ubi non ita multo post, cum praevia quadam horripilatione & lassitudine, dolor gravativus pressorius & contractorius, hinc inde in partibus v. g. in cervice, scapulis, humero, dorso, lumbis, genibus vel in eo latere quod vehementia borealis venti profundius penetravit, interdum etiam in universo corpore oboritur: qui eo gravius affligit, quo corpus majori sanguinis copia turget. Ego insuper plus vice sim-

simplici observavi, permultos a largiori sanguinis per venam sectam missione, vel feminas post sanguinis menstrui copiosioris profusionem, vel post eandem ex abortu factam, quin etiam post nimias alvi a purgantibus acrioribus vel sponte a natura inductas dejectiones, penetranti frigida boreali vel humido-frigida nocturnæ auræ ubi corpora paulo diutius commiserunt, in graves rheumaticas affectiones incidisse: idque non alia ex causa, quam quod frigoris in poros corporis penetrantis vehementia, tubuli minimi venosi, arteriosi, lymphatici, sanguinem revehentes, & ad substantiam partium pro nutritione adducentes, compressi coarctati & occlusi fuerint: quo factum est, ut, cum serosus latex vasis suis amplius contineri & circulari non potuerit, instar fluyii sese alveo efferentis, in ipsam partium substantiam modo hic modo illic magis exundaverit, sive extra vasa & circulum positus fuerit. Omnis vero humor extravasatus, cum per ipsam moram a crasi blanda naturali deficiat & indolem plane alienam acquirat, partimque glutinosus tenax, partim acris salsus evadat; fit, ut a tensione, compressione, lancinatione, & vehementi strictura partium fibrosarum & nervearum molestissimi & acerrimi dolores sapissime cum frigoris glaciati sensu oboriantur; sed quandoque etiam accidit, ut serum extravasatum, non secus ac albumen ovi fieri solet, in tenue & corruptum liquamen quod amplius a calore fortiori non admittit coagulatum, facessat, & ex uno loco præsertim superiori ad inferiores per porosam partium substantiam & habitum carnosum transeat, nihil enim frequentius in praxi occurrit, quam quod rheumatismus locum suum mutet & ex capite in cervicem, in scapulas, humeros ac pectus præsertim in ætate minoribus transeat, in adultioribus vero in dorsum, coxendicam regionem & femora descendat.

## §. XI.

*Rheumatismus & ar-* Constanti insuper experientia confirmatum habemus, rheumaticas æque ac arthriticas affectiones frequentissime circa

circa vernum tempus & mense Octobris, sub insignibus aeris & tempestatum ex calido in frigidum & ex frigido in calidum mutationibus, ventisque repente ex contraria plaga se invicem excipientibus, corpora tam sanguine quam sero impuro plena impetere atque laceffere, & quidem cum febriculosa quadam commotione sequentem in modum: Præcedit spontanea lassitudo & gravitas artuum cum extremarum partium refrigerentia, horripilatione & quodam rigoris sensu; subsequitur anxius internus æstus præsertim circa præcordia, concitator & strictior pulsus, inquietudo, sitis, inappetentia, alvi obstructio, quandoque spirandi angustia: dolor postea gravis acutus vel gravativus, tensivus, has vel illas partes occupat, qui noctu exacerbatur, non secus ac in febribus catarrhalibus fieri assolet: & utut febrilis hæc commotio alios gravius alios mitiori gradu affligat & facilius transeat, nihilominus dolor in affectis partibus adhuc relinquitur, easque laceffendo diutius sæpe perseverat. Cum vero omnis febrilis commotio ejus sit genii & indolis, ut partes exteriores & nervosas spasmo afficiat, & tenuissimas vasorum radices & apices coarctando & comprimendo, sanguinem & humores in vasis majoribus & interioribus accumulet, atque in corde & arteriis celeriore systolen efficiat; fieri aliter vix potest, quin cum magno impetu sanguis in laterales arteriolarum ramos, qui sanguinem coloris coccinei non vehunt, intrusus, tandem serosam suam extra vasa portionem dimittat: & inde dolorum origo fit. Sed monendum hoc loco est, quod dolorificæ hæ partium sensilium spasticæ stricturæ non tam a sero tenui in eas irruente, quæ pars maxime diffatur, sed potius a viscidioribus ejus partibus, spiculisque & aculeis salino-acribus relictis & intime earum poris se insinuantibus proficiscantur. Hinc etiam fit, ut non tam promte & facile, ob materiam vitiosam partibus altius impactam, hi affectus medicaminibus cedant.

*thritis vernali & autumnali tempore affligunt.*

*Eorum processus.*

## §. XII.

*Causa proxima impeditus circulus. Quod exemplis illustratur.*

Ex dictis itaque luculenter constare potest, impeditum sanguinis circulum & regressum per minima vasa, proximam & evidentem causam ad generationem ejusmodi rheumaticorum dolorum constituere: id quod clarius elucescere & demonstrari potest exinde, quod, ut ego ipse aliquoties observavi, a paulo strictiori ligatura, post sectam venam, ob inflictum paulo gravius vulnus in pedibus intra XXIV. horas relicta, dolor ipsos pedum & maxime pollicis articulos non secus ac in podagra fieri solet, per multos dies cum molestia durans invaserit. Idem non ita pridem contingebat celebri Medico, qui in ipsa sura certas forte ob causas venam pertundendam curavit, ubi fortiori ligatura ob profundiolem venæ situm opus fuit; sed factum exinde est, ut altero mane, atrox dolor cum tumore non modo suram, sed ipsos pedum articulos infestaverit, cujus per interna & externa remedia discussionem, ne deterius succresceret malum, magna cura & sollicitudine moliri & procurare debuimus. Videmus etiam ex dictis, propinqua admodum cognatione rheumatismum cum morbo articulari conjunctum esse, huncque sæpius ita mentiri, ut a quibusdam arthritidis universalis & vagæ nomine insigniatur: nam & hæc quandoque repente in plures irruit articulos, & spinæ vertebrae & juncturas ossium gravibus excruciat doloribus. Neque ignotum in praxi est, quod rheumatismus fixus ac vagus in iis qui sæpius ac iterum eundem patiuntur, præsertim si aliunde debilitatem contraxerunt, in veram tandem arthritidem transformetur. Et quia hemicrania pleuritis & hepatitis spuria, de quibus supra actum, item odontalgia species rheumatismi sunt, certum ac nihil dubii est, quin etiam earum generatio sub iisdem causis atque eodem modo procedat.

## §. XIII.

*Rheumatismus omnes invadit,*

Ceterum illud crebra animadversione compertum est, nulli ætati, nulli sexui rheumatismum parcere: quos alioquin



ab arthritide fere immunes HIPPOCRATES *Sect. VI. aphor.* 29. & 30. pronunciat. Maxime vero omnium videmus, eos, quibus in juventute hæmorrhagiæ narium frequentiores fuerunt & dein cessarunt, rheumaticis esse obnoxios doloribus: quod itidem ab *Hippocrate lib. II. prorhet.* notatum est, ubi nos docet, quod in his, quibus circa articulos tumores & dolores fiunt, viscera plerumque magna subsint, quibus in pueritia & juventute sanguis e naribus fluere desierit: ac proinde interrogandum esse admonet, de sanguinis eruptione, factane in juventute fuerit; item an pruriginosæ, veluti ab urtica puncturæ vel in pectore vel in dorso subsint, utpote quæ impuritatem feri abunde arguunt. Sed quod *Hippocrates* de hæmorrhagiis narium innuit, id intelligendum quoque esse arbitror de omnibus aliis sanguinis salutaribus excretionibus. Nihil enim magis in praxi occurrit, quam quod feminæ præsertim sanguineæ complexionis, post quinquagesimum annum prorsus cessante sanguinis fluxu, nisi tempestive venæ sectionibus occurratur, vagis & gravibus hinc inde in partes irruentibus dolorum tormentis afficiantur. Neque amplius incognitum esse potest in arte exercitatis, hæmorrhoidalem fluxum consuetum, si debito modo & tempore procedit, a doloribus & rheumaticis & arthriticis viros immunes præstare posse; quibus sub ejusdem fluxus defectu vel suppressione tandem obnoxii fiunt. Neque tamen mihi ignota sunt exempla, ubi in debilitatis & cachecticis, præsentem hoc fluxum nec dolores arthritici nec nephritici desierint.

*præsertim, hæmorrhagiis cessantibus.*

#### §. XIV.

Denique quod ad generationem horum dolorum pertinet, non prætermittendum esse arbitror, eos qui corpus valide movent & exercent, qui parcius vivunt, & aquam potant, liberos plane ab ejusmodi afflictionibus permanere; cum contra qui vitam agunt otiosam, vinis & spirituosis potibus & commestationibus nimis delectantur ac Veneri in-

*Qui ab his affectibus liberi?*

*qui ita obnoxii?*

tempeſtive & nondum matura ætate nimium dediti ſunt, gravioribus rheumaticis & arthriticis doloribus crebrius exercentur.

## §. XV.

*Cauſa ad eos diſponentes.*

Neque hoc loco omittendum eſt, quod ab aliis præcedentibus & diu inhærentibus morbis, febribus maxime intermittentibus, præſertim ſi male tractatæ fuerint, inſignis ad hos affectus diſpoſitio arceſſatur. Ita BALLONIVS *lib. de rheumatism.* plurimos vidit, qui, quartana chronica laborantes, ſub finem morbi, in graves artuum imo totius corporis dolores inciderunt. Novimus etiam doloribus ventris & colicis diu affligentibus artuum dolores vagos certis periodis inſeſtantes ſatis acerbos ſuceſſiſſe.

## §. XVI.

*Rheumatismus ſcorbuticus.*

Datur etiam rheumatismus ſcorbuticus, in quo univerſa lymphæ & ſeri maſſa impuris excrementitiis ſalino-ſulphureis acribus particulis, quæ ſubinde per exanthemata, maculas & purpuram ſeſe manifeſtant, infecta eſt, atque ex præva dura ſalſa diætâ, vita otioſa & ſedentaria, familiari aeris grâvidi & vappidi uſura, diuturna que triſtitia, originem ſuam ducit: & exinde incolis regionum maritimarum ſolemnis & frequentiffimus eſſe ſolet.

## §. XVII.

*Venercus.*

Gravior vero eſt rheumatismus Venercus, qui horrendis dolorum tormentis, noctu præſertim intenſioribus, certis nervoſis partibus pertinaciter inhæreſcens, eos qui ex impuro coitu, virulento & putrido miâſmate univerſam lymphæ & ſanguinis maſſam contaminarunt, miſere excruciat. Quæ omnes commemoratæ huc uſque cauſæ eo collineare videntur, ut ſerum ſanguinis adaugeant, intemperatum ac impurum reddant, robur ac vires partibus ſolidis ſubtrahant, excretiones ſalutares imminuendo, ut poſtea ejuſmodi ſeri ſtagnationes, fluxiones ac acerbæ & dolorificæ paſſiones inde reſultent.

## §. XVIII.

## §. XVIII.

Atqui ex hisce jam clarius patet ratio, quare hi affectus salutariter copiosis urinis & sponte sudoribus obortis, nec non hæmorrhagicis excretionibus solvantur, vel cur a variis cutis efflorescentiis multum levaminis ægrotantes accipiant? quorum pertinet aphorismus Hippocratis LXXIV. Sect. IV. *quibus spes est ad articulos futurum abscessum, eos liberat urina multa, crassa & alba prodiens, qualis in laboriosis febribus quarto die quibusdam exire incipit. Si vero sanguis e naribus profluxerit brevis admodum fit solutio.* Per laboriosas vero febres nonnulli rectius rheumaticas intelligunt, quæ cum sensu doloris & lassitudinis in toto corpore accidunt. Annotatum quoque a nobis sæpius est, artuum dolores, ulceribus sponte subortis in pedibus, conquievisse, qui, postquam arte consolidata fuerunt, mox resuscitati sunt. Novimus pariter, immanes artuum dolores, oborta pfora vel scabie lepræ albæ naturam habente, penitus sublatos. Nam sicut metastasis materiæ vitiosæ a partibus interioribus ad exteriores saluberrima est, ita contra, quæ ab externis ad interiora & ipsa viscera vergit est perniciosissima.

*Solvuntur  
hi morbi  
per sudorem  
&c.*

## §. XIX.

Affectus rheumatici, & incipientes podagrici quam diu in externis partibus versantur, neque perveria tractatione humor vitiosus introrsum ad nobiliores partes repellitur, omni vacant periculo, nec facile hominem e medio tollunt. Quemadmodum vero in primis annis, atque in adolescentia ejusmodi molestæ ac catarrhosæ fluxiones in capite, & rheumaticæ in partibus musculosis cum crebrioribus narium hæmorrhagiis insignem naturæ imbecillitatem sive tonum & robur solidorum dejectum designant: ita plures chronicas in juvenili & virili ætate, ratione causæ & genii cum hisce affectibus correspondentes ægritudines præfagiunt, præsertim quando ex parentibus morbosis & hypochondriacis prognati fuerunt.

*Atque, si rite tractantur, periculo vacant.*

## C V R A T I O.

## §. I.

*Indicationes  
therapeutice.*

Ex hisce omnibus, quæ jam in medium a nobis prolata fuere, satis abundeque intelligi posse arbitror, totum curationis caput & methodum medendi rationalem in eo consistere, ut probe & perspicillate individui laborantis naturam, differentes causas: num incipiens sit, & a sanguinis copia & nimia mole, num a colluvie impuri feri provenerit, & jam malum radices egerit? consideremus, & secundum has circumstantias & differentias indicationes therapeuticas primam formemus, apta postea & convenientia remedia in usum proponamus.

## §. II.

*Vene Sect.  
statim in  
principio  
celebranda.*

Quandocumque igitur corpus evidenter est plethoricum, & rheumatismus universalis omnes propemodum corporis artus cum febriculosa quadam motione graviter impetit atque infestat, adeoque secundum veterum scholas sanguineus est, omnino in venæ sectione & quidem statim in principio administrata, celerrimum & præsentissimum est reponendum præsidium. Id quod jam olim Medicorum peritiores agnoverunt: qua de re insignis locus extat apud ALEX. TRALLIANVM qui *libr. XI.* ita scribit: *si humorem, qui in articulos confluxerit sanguineum esse suspicemur, ubi quidem nihil prohibet, vacuationem quæ per venæ sectionem adhibetur tentato: hac enim ratione multos novi aut in totum morbo liberatos aut raro fluxionibus correptos; eo, quod non neglexerint, sed veris statim initio sanguinem sibi detrabi curarint, non solum vacuandi sed etiam præservationis causa id facientes.* Id quod etiam nos confirmamus: nam plures novimus, sanguine ac succis plenos, qui a causa externa transpirationem universalem sufflaminante in immanes totius corporis dolores cum stupore & immobilitate partium repente coniecti, unice fere, matura sanguinis missione eaque intrepide  
& tu-

& tuto, urgente necessitate, circa quartum diem repetita profus convaluerunt. Novimus etiam homines sanguinicocholicæ vel melancholicæ constitutionis, consistentis ætatis, in dolores chiragicos & podagricos mitioris naturæ prolapsos, venæ sectione circa æquinoctia, vel interdum etiam circa solstitium æstivum admittit, ab iisdem & præservatos & immunes redditos fuisse.

### §. III.

Et quia rheumatismus sanguineus in nulla regione familiarior ac in Gallia est, ob sanguineam incolarum complexionem & victum copiosum sanguinem ingenerantem; non mirum est, præstantissimos Galliarum Medicos, qui primum & optime de rheumatismo quicquam solidi & effato dignum literis prodiderunt, hoc remedii genus maximopere æstimare ac collaudare. Ita BALLONIVS *libr. de rheumatism.* inquit: *Laudamus impendio phlebotomiam in hoc morbo, quam salutare remedium esse testamur.* Pariter ac CAR. PISO *l. c.* plurimum momenti tam in curatione, quam in præservatione rheumatismi, in repetita sanguinis missione situm esse affirmat, multaque notatu perquam digna in eam rem exempla subjungit. RIVERIVS *Cent. III. obs. 42. & Cent. IV. obs. 42.* septem vicibus in juvene, atque in alio totidem instituta venæ sectione, adhibitis paucis aliis remediis, contumacem rheumatismum feliciter abactum observavit. Maxime omnium vero spectandus LEONH. BOTALLVS primus ille venæ sectionis in Gallia auctor, qui *libr. de curat. per sanguin. mission. cap. XII.* pluribus & rationibus & exemplis confirmat, quantum utilitatis & levaminis præsentissimi in doloribus rheumaticis etiam repetita venæ sectio attulerit. Ex Anglis SIEDENHAMVS in *Oper. p. 170.* curationem non aliunde ac a phlebotomia petendam esse asseverat, eamque aliquot dierum spatio repetendam. Lectu quoque dignissima est observatio, quæ in *M. N. C. Dec. II. an. IX. obs. 120. p. 290.* extat, de rheumatismo universali, sola venæ se-

*Hinc in Gallia etiam valde æstimatur.*

nae sectione reiterata felicissime & brevi tempore curata. Multo vero magis hoc auxilii genere opus erit tam ad sanandum quam ad avertendum hoc malum in feminis mensium defectu vel plenaria emanatione laborantibus, vel in viris quando consueta hæmorrhoidum fluxio fuerit suppressa.

## §. IV.

*Pulveres de-  
in diaphore-  
tici cum a-  
quis diapno-  
icis propi-  
nandi.*

Præter sanguinis missionem in affectione rheumatica & arthritica calida incipiente & cum febrili æstuatione junctâ, temperatiora diaphoretica cum nitrosis moderate mixta, mediocri sed sæpius repetita & continuata per tempus dosi oblata, ad æstum, fervorem & orgasmum sanguinis temperandum, atque etiam ad humoris vitiosi lenem & successivam discussionem æqualiter per universum corpus promovendam, præsentissimum levamen conferre & ratione & experientia suffulti asseveramus: quo in genere ceteris omnibus palmam præripiunt, pulveres ex lapidibus cancrorum, unicornu fossili, cornu cervi sine igne vel usto, antimonio diaphoretico vel ejus cerussa, succino, conchis præparatis, cinnabari, adjecta sufficiente quantitate nitri purificati vel melius artificialis confecti, qui cum aquis diapnoicis & leni anodyna virtute conspicuis, ut sunt aquæ florum sambuci, acaciæ, ulmarie, tiliæ, cerasorum nigrorum, cardui benedicti, marie, scabiosæ, propinandi sunt: neque inutile, sed valde commodum erit, ad febriles volaticos æstus melius compescendos, succi citri quippiam, vel ad gratiam syrupum acetosilitatis citri in convenienti quantitate adjicere & hæc singula in mixturam redigere. Pro potu ordinario serum lactis cum succo citri vel cremore tartari acidulatum, aut tamarindinum, vel aquam decoctam cum rasura cornu cervi, radice scorzonere, cichorei, glyzyrrhizæ, graminis, femine foeniculi, commendamus.

## §. V.

*Quando  
cum venese-  
ctione caute  
mercand-  
um?*

Quandocunque vero rheumaticæ ejusmodi afflictiones non tam sanguinis puri & consistentis copiam, sed serosi impuri plenitudinem & colluviem, in corporibus præsertim debilio-

bilioribus serosæ & phlegmaticæ constitutionis pro causa agnoscunt, tunc omnino cautissime, præsertim in ipsa curatione cum sanguinis missionibus agendum est. Recte hinc GALENVS *libr. VI. aphor. 47.* scribit: illis, qui plenitudinis passionibus subjiciuntur per venæ sectionem succurrendum esse, qui vero corruptos succos in corpore fovent purgationem exhibendam, seque hac ratione non modo plurimos servasse sanos qui longo ante tempore singulis annis morbis caperentur, sed & podagram & morbum articulare adhuc incipientem ex tali evacuatione multis jam annis fieri prohibuisse. Qui vero jam sæpius cum hisce fluxionibus consiliati sunt, plus noxæ quam auxilii ex sanguinis detractioe sunt consecuti, præsertim, si corpore sint imbecillo & frigido ac in ætate senili constituti.

#### §. VI.

Ex quibus jam liquido constare potest, quod veterum Medicorum peritiores, differentiam dolorum maxime arthriticorum secundum causas in curando probe observandam esse animadverterint. Nam alia ratio est curandi rheumatismum vel etiam arthritidem incipientem eumque universalem in corpore plethorico, qui a sanguinis præternaturali redundantia ob transpirationem interceptam proficiscitur; alia medendi ratio est, ubi atrox dolor certæ tantummodo parti pertinaciter inhærescit, cum ingenti frigoris sensu stipatus & a vehementia hujus imprudenter admitti in corporibus serosioribus excitatus: alia medendi via ineunda, quando status plethoricus longiori sub morbi decursu vel improvida medicatione in statum cachecticum vel cacochymicum degeneravit, & parum sanguinis boni & consistentis, permultum vero liquaminis serosi & excrementitii in vasis continetur: quibus in casibus ea quam maxime remediorum genera indicantur, quæ seri vitiosi illuviem blande sed sufficienter tamen per congrua emunctoria, per alvum videlicet, per subcutaneum cribrum & per urinas evehunt.

*Cura pro  
differentia  
causarum  
institueda.*

(*Hoffm. Syst. T. IV. P. II.*)

Kkk

§. VII.

## §. VII.

1) *Bilioſe  
ſordes per  
blanda la-  
xantia edu-  
cenda.*

Quod ad uſum evacuantium attinet, nullo modo hic vi agendum, ſed paulatim & ſucceſſive bilioſæ & viſcidæ ſeroſæ ſordes per mitiora & temperatiora medicamina educendæ. Cui ſcopo obtinendo, ex noſtra quidem experientia, egregie ſatisfaciunt, infuſa ex aqua dimidia vini parte remixta, cum radice cichorii, pimpinellæ, polypodii, rhabarbaro, rōliis ſennæ ſine ſtipitibus, herba cardui benediſti, ſummitatibus centaurii minoris, agarico, corticibus aurantium, citri, cortice ligni ſaſſafras, paſſulis minoribus & tartaro tartariſato leniter decoquenda. Utile quoque eſt rhabarbarum manuſum ad frupulos duos vel drachmam cum uvis pinguibus vel Corinthiacis: nam noſtra certe experientia rhabarbarum in ſubſtantia ſumtum abundantius multo & duplo plus quam ſi in decocto & infuſo detur, educit, quippe ſimul tonum inteſtinorum & viſcerum inſigniter roborat. Bis autem minimum vel ter in hebdomade ejuſmodi evacuans exhibere convenit, ut ſordes ex primis viis a prava digeſtione relictiæ evocentur, quæ alias ad morbum fovendum & ſuſtinendum, ejuſque vim augendam permultum conferunt. Atqui hujus generis alterantibus & evacuantibus, in doloribus periodice, ſive certis horis irruere atque infeſtare ſolitis, nunquam carere nos poſſe multoties edoctus ſum.

## §. VIII.

2) *Vitioſum  
ſerum per  
mitiora dia-  
phoretica e-  
ducendum.*

Primis viis ſic probe evacuatis, vitioſi ſeri molem, per decocta liberioſorem tranſpirationem quæ expediunt & leniter ſudorem movent, educere & utiliſſimum & neceſſarium eſt: qualia ex radicibus & lignis, ut radice chinæ, ſaſſaparillæ, cichorei, glyzyrrhizæ, ſcorzonæræ, ligno & cortice ſaſſafras, ligno ſantali citrino, guajaci, ficubus & paſſulis minoribus parari poſſunt. Si malum quodammodo radices egerit & inveteraverit, antimonium crudum cum dupla portione pulveris bezoardici & diaphoretici ſupra deſcripti, convenienti doſi & tempore exhibitum opem non ſpernendam præſtitiffe



stitisse a me pluries observatum est. Ceterum liquor qui diuretica diaphoretica & simul tonica efficacia insigniter sese commendat, ex tinctura tartari, antimonii acris, cum liquore anodyno minerali & spiritu tartari decenti proportione permixto componendus, accommodatissimum remedium est, & præsentissimo cum fructu usurpatur.

## §. IX.

Quandocunque rheumatismus sive fixus sive vagus scorbutico corpori insidet, & evidentibus se signis ac symptomatibus prodit, curationi paulo longius insistendum erit. Neque enim tam promte & facile tota lymphæ & feri massa intemperata, corrupta & salinis excrementitiis partibus deturpata, in nativam & pristinam dulcedinem & consistentiam reduci poterit. Conveniunt tunc maxime diluentia demulcentia, paulo majori copia & longiori tempore exhibita: inter quæ, serum lactis dulce mannatum, vel acidulum tamarindinatum, aut purum cum succis herbarum antiscorbuticarum permixtum, item aquæ minerales temperatioris: *Selteranæ, Wildungenses, Tænnsteinenses*, vel in robustioribus, *Pyrmon-tanæ, Egranæ* cum dimidia lactis asinini vel vaccini parte maritata, & sub convenienti diætetico regimine usurpata, omne fere curationis exoptatæ punctum complent.

*Rheumatismus corpus scorbuticum infestans, diluentibus & demulcentibus abigendus.*

## §. X.

Si rheumatismus ex luis Venereæ reliquiis in sanguinis massa contentis, ut non raro evenit, originem suam ducit, duriori cuncto opus est, utpote, nisi decocta lignorum sudorifera, per antimonii crudi vel etiam mercurii dulcis additionem armata & nobilitata, prudentem in usum vocentur, raro speratus & salutaris effectus obtinetur.

*Si ex lue Gallica provenerit, decocta lign. & antim. cr. vel mercur. dulc. profunt.*

## §. XI.

Quod attinet ad ipsa topica, quæ ad humoris certam partem oblidentis placidam & successivam discussionem quidpiam conferre valent, magna etiam cautione in iis eligendis & exhibendis opus est, ne plus detrimenti quam emolumenti affe-

*Topicorum usus sit cautus.*

*Quando o-*  
*mittendus?*

rant. Si rheumatismus est sanguineus præstat penitus ab iis abstinere, & tantum moderato & æquali lecti & tegumentorum calore partes dolore affectæ fovendæ sunt: siquidem tali modo longe feliciter blanda materiæ quæ in vitio est diffusio & exhalatio promovetur, ac si variis externis eam adjuvare velimus. Si vero spissus, immobilis & frigidus humor paulo altius & pertinacius, cum frigoris sensu ac strictura pororum, partibus insidet; tunc omnino frictions cum pannis asperis & calidis institutæ, e sedibus suis fixis humorem tenacem potentissime evocant. Post frictions cucurbitulæ cum vel sine scarificatione applicandæ; ubi tamen animadverti illud debet, quod cucurbitæ cum scarificatione dolentibus ejusmodi partibus appositæ, cum profundiori etiam vulnuscutorum insictione, parum admodum sanguinis eliciant: luculentum satis documento, vasorum sanguineorum ramulos a spastica strictura ita coarctatos & compressos esse, ut sanguinis circularem motum respiciant; atque adeo non tam a sanguine nimium ibi congesto, quam ab humore viscido & acritagnante, hos dolorum faces accendi veri sit simillimum.

§. XII.

*Quando op-*  
*time proficit?*

Vbi igitur altius insidet humor & immanes artubus dolores inducit, tunc omnino externis præidiis ex toto carere vix possumus. Licet vero plura hunc in finem magnis ab Auctoribus hinc inde celebrari soleant laudibus: ego tamen in nullo majorem juvandi efficaciam deprehendi ac in nostræ inventionis nervino linimento, sequenti modo conficiendo: Rec. aquæ Anhaltinæ uncias duas, bals. Peruviani drachm. II. theriacæ vet. drachmam. Infunde & per digestionem extrahes: colaturæ adde essentiæ croci, castorei, nucistæ ana drachmas duas, camphoræ drachmam. M. f. linimentum, quo dolentes artus sæpius inungi debent. Si vero a diutius partem affigente dolore rigiditas, immobilitas cum stupore remanet, quæ affectio paresis nomine venit, linimentum quod habet axungiam humanam, cuius duæ uncia cum balsami Peruviani

ruvianian & olei caryophyllorum drachmis duabus permiscantur, mirabilem plane præstitisse efficaciam, per crebriorem usum a nobis animadversum est.

§. XIII.

Balnearum quoque tam naturalium quam artificialium caute administratorum usus est insignissimus. At vero neutiquam in principio aut in statu morbi, sed in declinatione potius, tum ad reliquias morbi ex intimis sedis suæ penetrantibus moderato sudore eliciendas, tum ad membra per spasticas dolorificas tractationes & agitationes imbecillia reddita roboranda & rigida emollienda, usurpari debent. Inter alia vero balneum ex fonte *Lauchstadiensis* in Misnia, qui tenerimum Martis crocum alit, atque natura admodum subtilis ac levis est, paratum, innumeris exemplis hoc sine & scopo adhibitum, opem desideratissimam tulisse ego religiose possum asseverare: qua de re dissertationem nostram de hoc fonte germanico & latino idiomate conscriptam ad legendum atque conferendum commendo.

*Balnea in declinatione morbi conferunt.*

CAUTIONES ET OBSERVATIONES  
CLINICÆ.

§. I.

Quantumvis sanguinis missio etiam paulo largior, in externarum partium doloribus, qui a sanguinis spissioris abundantia & salutaribus excretionibus impeditis proficiscuntur, maxime quando in principio administratur, divinum plane sit remedium: sed tamen, si dolor diutius perseverans, digestionem atque laudabilem chylificationem ipsasque vires destruxerit, ut serosa magis quam sanguinea plenitudo corpori sit insensa, ipsumque corpus annis jam confectum fuerit, provide certe cum ea mercandum est. Quod idem tenendum est, quando ipso in paroxysmo cum febrili commotione affligente, metastases materiae vitiosae ad externos artus natura

*Circa V. Sect. cautela.*

molitur; quo tempore, non aliter ac in erysipelate, negotium naturæ salutare turbare & subvertere minime convenit.

## §. II.

*Præservati-  
ve celebra-  
nda.*

Non semel ego sed aliquoties observavi, venæ sectionem rite ante æquinoctia institutam corpora strictioris habitus, sanguineo melancholici & sanguineo-cholerici temperamenti a catarrhalibus & fluxionibus, item rheumaticis & arthriticis passionibus, quibus crebro obnoxia fuerunt, egregie præservasse, adeo ut ad avertendos hosce affectus, præsertim si sufficiens corporis morio ac labor, abstinencia a potibus spirituosiss, a diætâ lauta & carnea, accesserit, non facile excellentius detur remedium.

## §. III.

*Cura lactea  
quando no-  
ceat?*

Diætâ & cura lactea, utur in doloribus artuum vagis & ubi acrimonia subtilis & biliosa peccat, suo quidem usu & fructu non destituatur: nihilominus tamen, ubi vasorum, vel a sanguine consistente, vel a nimis seroso adest plenitudo, & ventriculus cum intestinorum tractu atonia laborant, ne inde viscerum infarctus emergat & ad cachexiam via pandatur, abstinere ab ea cautius erit.

## §. IV.

*Si a suppressis hæmorrhoidibus, hæc promovenda.*

Quando sufflaminatus hæmorrhoidum fluxus ejusmodi dolorum causam præbet, consultissimum est opportune eum procurare. Cavendum tunc, ne venæ sectio in partibus superioribus instituat, quam in pedibus celebrare expedit. Postea vero, quæ moderate hunc fluxum movere & ciere valent, ad quorum classem referendæ pilulæ *Avicennæ*, *Becherianæ*, nostræ & his similes, interpositis pulveribus temperantibus & nitrosis, qui æstum internum ad suppressendum fluxum multum conferentem infringunt, subjungenda sunt; quæ si non proficiunt, & tormina ac vomitiones dolorum externorum comites evadunt, ad applicationem hirudinum, mirabilis nonnunquam efficaciam remedium, omnino confugiendum erit.

## §. V.

## §. V.

Caveant sibi porro studiosissime omnes qui catarrhis rheumaticis & arthriticis passionibus tentari & affligi solent, & quorum natura ad motiones spasticas, pariter ac sanguinis & humorum congestiones parata & disposita est, ab omnibus fortioribus, calidioribus, diureticis, sudoriferis, acrioribusque purgantibus, nec non ab omnibus spirituosis balsamicis sic dictis quæ sanguinem in orgasmum concitant medicamentis, item a potibus spirituosis & generosis, post quorum usum urina valde tinctoria & rubra apparet: caveant quoque sibi, quantum fieri potest, a potu cerevisiæ, nisi ea sit medicinalis, qualis est quæ non caput gravat, bene per urinam secedit & digestionem adjuvat: sed pro potu vel puram aquam fontanam vel mineralem temperatam, aut decoctum gratum nullum pariens fastidium sibi eligant. Idque eo majori sedulitate iis observandum commendamus, qui purpuram scorbuticam nostri ævi quasi endemium & familiarissimum morbum, vitalibus succis immixtam & immerisam fovent atque recondunt.

*Calidiora  
spirituosa  
fugienda.*

## §. VI.

Quando dolor & atrox & pertinax inferiores corporis partes ut ossa ischii & coccygis diutius obsidet, & individua ægrotantia paulo sunt robustioris ac firmioris texture, medicamina potentioris efficaciam & virtutis chymica, ut mercurius dulcis, præcipitatus solaris bene preparatus, regulus antimonii medicinalis, quæ etiam decoctis sudoriferis addi possunt, ad crassum & lentum tartareum & vellicantem humorem e sedibus suis intimis dimovendum, auxilium utique pollicentur spectatissimum.

*Quando a-  
stiviora  
chymica u-  
surpanda?*

## §. VII.

Quando dolores immaniter urgent, quod in sensibilibus fieri solet, ita ut vires, appetentiam, omnemque somnum adimant, & neque sanguinis detractiones, neque nitrosa & temperantia, neque liquor noster anodynus iis mitigandis sufficiant,

*Quando a-  
nodyna?*

ficient, non inconsultum est, a lenioribus, videlicet emulsione feminis papaveris albi & ejus syrupo, ad fortiora paulo anodyna transire, atqui ad massam pilular. *Wildegansii*, vel pilulas *Starckii* aut de styrace, imo ad unum vel alterum laudani opiatum granum, addendo croci extracti pauxillum confugere: cum alias opiata non temere in ejusmodi affectibus usurpanda sint, utpote quæ, ut crebrius observatum, tam contumaces ejusmodi affectus reddunt, ut postea omnia alia remedia etiam efficacissima spernant, efferatiusque inhærendo & Medicis & ægrotantibus plurimum negotii facestant.

## §. VIII.

*Vesicatoria  
& cucurbituræ  
quando  
usurpanda?*

In rheumatico scapularum incipiente, nihil est præstantius vesicatorio intra scapulas posito. Si vero in plethoricis accidit, quod sæpius observavi in feminis post cessantem circa annum quinquagesimum mensium fluxum, cucurbitulæ cum scarificatione partibus inferioribus singulis mensibus applicatæ, juvamentum attulerunt insignissimum.

## §. IX.

*Animus ab  
omnibus af-  
fectibus li-  
ber sit.*

Quemadmodum illa corpora, quæ ad anomalas solidorum & fluidorum motiones, & ad horum translationes sive congestiones a natura disposita sunt, & vulgo sensibilibioris indolis vocantur, mobilissimi sunt animi & ab ejus affectibus, qui præcipuam hisce morbis causam ac fundamentum subministrant, facillime offenduntur: ita servata animi quies & tranquillitas, sufficiens etiam corporis motus, & abstinentia ab iis rebus quæ multis modis animum turbare atque disponere ad affectus possunt, in iis morbis commendatissima esse debet.

## ENARRATIONES MORBORVM.

## CASVS I.

*Affectio  
rheumatica  
calculosa in  
femina ple-  
thorica.*

Femina quinquaginta & aliquot annorum, post plenariam mensium cessationem, ante biennium per uterum æque ac per alvum enormes quandoque sanguinis experta est profusiones:

siones : quibus Medicus satis opportune venarum sectione & medicamentis organum sanguinis temperantibus antispasmodicis leniterque diaphoreticis subvenit, infusum insuper ex millefolii comis, quæ herba maxime sanguinis nimis effusionibus compescendis dicata, subjungens Quibus adhibitis, satis diu hæmorrhagiæ tam uterinæ quam alvinæ disparuerunt: procedente vero tempore dolores valde gravativos circa regionem lumbarem & pungentes tractorios circa ossa coxendicis ægra experiebatur. Ad hos mitigandos, licet præter venæ incisionem & leniter laxantia, temperata diaphoretica & nitrosa usurpata fuerint, nullum tamen levamentum attulerunt; sed perstitit dolores, fixum quasi locum occupassent. Postea mox ad scapulas & pectus, mox ad genua, relicta priori lumbari & ossis ischii sede vagabantur; quam tamen exspirante superiorum partium cruciatu denuo repetebant. Calculorum quoque interdum excretiones cum urina non sine molestia successerunt, calculosis & rheumaticis doloribus crebrius alternantibus: qui tamen acerbiores semper ab animi affectibus & tempestatum varietate redditi, ægram ita excruciarunt, ut cum viribus penitus omnibus caro quoque consumeretur, præsertim quum jam per annum & ultra cum hisce malis confictari debuerit. Notabile vero quam maxime id fuit, quod, quum ægra ad constantem & graviolem dolorem, qui lumbarem & ischiadicam regionem indefinenter infestabat, aliquo modo leniendum, situm dorsum sibi selegisset, inferiorum dorsum vertebrarum ligamenta adeo fuerint relaxata, ut e situ suo quodammodo protrusæ prominuerint, & sine dolore erecta incedere vix potuerit. Interea ad dolores tam rheumaticos quam nephriticos sedandos, & sanguinis missiones & anodyna cum diaphoreticis mixta, & antinephritica temperatiora, ast singula irritò plane effectu, præscripta fuerunt. Petiit ergo a me salutare quoddam, adversus pertinacem hunc duplicatum affectum, consilium.

## RESOLVTIO CVM CONSILIO

Ex hac morbi descripti historia, plura notatu digna ad usum tam pathologicum quam therapeuticum accommodanda elici possunt. Primo quidem, quod mensium totalem suppressionem, quæ ordinario circa quinquagesimum annum contingit, in feminis plethoricis vitæ sedentariæ addictis & quæ sensibilibus animi atque tenerioris etiam corporis sunt texturæ, graves sæpius hæmorrhagiæ per uterum vel etiam per venas hæmorrhoidales sequantur: ubi summa cura atque cautione in applicatione remediorum opus est, ne forte adhibitis fortioribus stypticis & opiatis plane sistantur, neque etiam modum excedant & sic corpus valde debilitantes aliis ex debilitate oriundis morbis ansam porrigant. Secundo, in nostra ægrotante, effusiones sanguinis per hæmorrhoides, quæ haud infeliciter sæpius mensibus deficientibus succedunt, humorum stagnationes in aliis locis & quidem maxime circa regionem lumbarem & ischiadicam, cum per vicinas alvi venas vitiatas fuerit exitus, exceperunt. Ab ejusmodi vero sanguinis & humorum stagnatione circa majora vasa, & progressu in circulum eunte impedito, seri fit secessio, quod tartareis salibus & rudioribus terreis particulis onustum in tubulosa renum substantia facile concrevit in calculum, atque etiam ad ligamenta tendinosa & glandulosa quæ ossa coxendicis cingunt atque ligant, delatum, graves atque diuturnos cum impotentia motus efficit dolores. Eadem quoque seri a sanguine in inferiori corporis regione stagnante copiosior secessio, luxationis vertebrarum lumbarium omni procul dubio fuit causa; ad quam plurimum utique situs incurvatus, qui doloribus in hisce partibus leniendis quodammodo infervit, contulit: laxatis enim a seri exundantia ligamentis facilis est ossium e sede sua protrusio. Tertio attendi etiam in nostro casu meretur, conversio motuum sanguinis & dolorum e regione lumbari & ischiadica ad partes superiores scapulam



pulam, pectus, manus, quandoque etiam genua, quæ ut plurimum acris & cæli intemperiem & variationem vel gravem animi affectum iram præsertim & terrorem pro causa agnoscit: quorum utique ea est natura, ut partibus præcipue membranaceis firmiter constrictis motum humorum invertant & ad alia loca transponant. Methodum autem huic malo medendi quod attinet, eam ita instruendam esse arbitrati sumus. Primo omnium sanguinis missionem instituendam curavimus: quippe hæc dolores semper leviores efficit ac priora mala ex sanguinis congestione in affectibus spasmodicis ad nobiliores partes prodeuntia impedit. Dein infusum Theiforme ex chamomillæ vulgaris floribus, summitatibus millefolii & semine fœniculi compositum, somno peracto satis larga copia mane in lecto hauriendum præscripsi: cujus utique virtus in omnibus affectibus chronicis & spasticis, non satis deprædicanda, eo quod humoribus fluxilitatem foenerando & acrimoniam hostilem, quæ spasmodorum genetrix est, temperando, liberiores sanguinis cursum & ab eo dependentes utilissimas sordium excretiones egregie promovet. Tum pro potu ordinario, ob eandem fere efficaciam, decoctum ex radice scorzonæ, chinæ, sarsaparillæ & rasura ligni sassafras, atque abstinentiam ab omni cerevisia vel aliorum potulentorum genere, quæ sanis & integris quidem corporibus non adeo facile nocent, ast valetudinariis & imbecillis nunquam proficua observantur, impense commendavi. Demum, pulveres leniter diaphoreticos absorbentes & qui spasmis resistunt, humorumque acrimoniam temperandæ idonei sunt, quorum censum subeunt, qui ex cerussa antimonii sive materia perlata *Crugneri*, lapidibus cancrorum, cinnabari, adjectis, nitro, pauxillo extracti castorei, vel etiam, nisi alvus obstructa obstet, theriacæ cælestis aut sulphuris nostri antim. fixati, conficiuntur præscripsi: qui vel sub lecti introitum vel etiam mane, adhibito regimine blande diaphoretico, ex aquis antispasmodicis v. g. florum acaciæ, tilix, primulæ veris, ceraforum nigrorum porrigi possunt. Injunxi

denique hæc medicamina non per saltum sed per gradus & procedente tempore virtutem suam exserere; quare usum eorum diutius protrahendum esse edixi. Et quoniam alvinæ excretionis semper habenda ratio, clysteribus pariter ac alimentis lenientibus ex passulis & pomis Porstorffianis eam expedire convenit. Subluxationi unguento ex axungia humana & oleo lavendulæ occurrendum esse statui. Hoc itaque consilio quum per hebdomadam aliquot spatium ægrota uteretur, & aquas *Selteranas* postea quoque usurparet, adspirante Divino favore, cum sanitate in gratiam rediit.

## CASVS II.

*Rheumatismus aurium, ex sup-  
pressa per  
frigus coryza.*

Insignis hujus urbis artifex, in re pictoria clarus XXXIX. annorum, vitæ sedentariæ valde addictus & Veneri plus justo deditus, ante biennium die sereno mensis Septembris iter facit Lipsiam, quæ caput coryza tentaretur. Nocturnum somnum capiebat, ex improvviso aperta fenestra, frigidior ventus dextrum capitis latus non satis tectum impetit: postero die circa aurem ejusdem lateris persentiit dolorem valde acutum & æstuantem, ita ut quasi ignitus clavus aurem transfodere videretur. Is porro ex aure dextra ad sinistram etiam se protendebat, & plenarium non modo auditus, sed etiam gustus & odoris sensum adimbat; quo acerbo dolore accedente per duas & ultra septimanas ita excruciatu fuit, ut ob assiduas vigilias in lecto decumbens infania propemodum correptus fuerit. Accersitus Medicus in Chirurgica arte exercitatissimus, causam insolentioris hujus affectus, abscessum intra cranium & cutem, vel intra cranium & cerebrum reputans, trepanationem proponebat, quam patiens autem respuebat. Ex nostro igitur consilio abrasum fuit totius capitis capillitium & applicatum emplastrum leniter diaphoreticum & vesicatorium cum refracta cantharidum admixtarum dosi. Quo effectum est, ut ex aure dextra, ichorosa multa sensum

fin paulatimque effluerit materia, per aliquot dierum intervalla persistens. Vnde in hac aure auditus quidem restitutus est, quod postea etiam in sinistra contigit; nihilominus tamen observabat, quod intra hoc tempus dolor ad dextrum humerum, ex eo in ejusdem lateris regionem ischii, postea in ipsum genu & tandem in pollicem pedis descenderit, ut sine baculo vix incedere potuerit; licet nunquam antea podagra fuerit vexatus. Nihil autem amplius ex medicamentorum classe ei, præter infusum theiforme ex speciebus lenem diaphoresin promoventibus, nec non pulveres diaphoreticos cum paucillo nitri & cinnabari nobilitatos, præscripsimus: quibus per Dei gratiam intra dies octo perfectæ sanitati fuit redditus.

*Epicrisis.*

Peculiarem fluxionum dolorificarum sive rheumatum speciem prædictus casus exhibet, atque clarius demonstrat, quomodo humor serosus in capite, ex coryza, ob accessum inclementioris & penetrantioris frigidaë auræ, spissior, immobilisque redditus, & extra vasa constitutus, hostili subtilique per moram acrimonia imbutus, ex partibus superioribus successive ad inferiores ejusdem lateris per porosam membranarum nervosarum musculis communium substantiam descendere, in articulatione partium ad tempus decumbere, graviter affligere & ad extremos usque pedes iter & progressum suum absolvere possit. Et quoniam tale quid a Medicis etiam antiquissimis observatum fuit, non mirandum est, eos credidisse quod omnes defluxiones serosæ ex capite tanquam fonte proveniant originemque suam trahant, & inde in subjacentes partes deriventur. Commode etiam hic casus ad rheumatismum aurium sive otalgiam referri potest, qui ut sæpius observavi, abscessu salutariter solvitur. Demum, emplâstri diaphoretico-vesicatorii operatio animadversionem quandam meretur, quod videlicet hujus efficacia morbidus humor fixiorem sedem occupans, e loco suo in alium,

dimigrare debuerit : id quod facilius in capite quam in aliis partibus musculosis & pinguibus, ad quas vix ac ne vix quidem ejus energia pertingere potest, si ejusmodi dolorificis fluxionibus affliguntur, effici & præstari potest.

## CASVS III.

*Rheuma-  
tismus ossis  
ischii, sa-  
cvi & coc-  
cygis V.  
Sect. itera-  
ta curatus.*

Judæus habitus corporis spongiosi in quadragesimo ætatis anno constitutus, temperamenti mere sanguinei, affectibus animi parum deditus, temperate semper vixit & binis annuatim vicibus circa æquinoctia sanguinem e brachii vena detrahi curavit. Sex jam præterlapsi erant anni, quibus vere semper & autumno podagra laborabat, quæ pedum pollices dolore, ardore & intumescencia exagitans, vix ultra decem dies duravit, & nullis in usum vocatis medicaminibus, sponte evanuit. Ab hæmorrhoidali fluxu plane fuit immunis. Mense Augusto, alvi fluxu maxima ex parte cruento cum doloribus lancinatoriis circa hypochondria subito corripitur. Adjungebatur tenesmus, ut æger vicies sellam petere debuerit, sæpius non nisi muco albo deposito. Decem hic fluxus dies continuavit, sub quibus sinceri quidem sanguinis circiter mensuram dejecit. Licet vero valde debilitatus fuerit, vires tamen non ita multo post recuperavit. Ceterum dolor podagricus in principio Septembris invadere solitus jam penitus siluit : acutus vero dolorificus sensus oculos ita affixit, ut lacrymas stillare debuerint. Hic quidem intra aliquot dies cessavit, sed ad dextrum ossis ischii latus delatus ad os quoque sacrum & coccygis protensus fuit : qui per mensis fere spatium durans, circa proximum æquinoctium ita invaluit, ut tolerari profus, noctu præsertim, nequiverit, atque omnem somnum ademerit. Accessit vero hujus doloris vehementia per paroxysmos, & quidem circa horam tertiam pomeridianam cum frigore, subsequente postea pulsu celeri & æstu corporis. In principio hujus affectus ante V. hebdomades venæ instituta fuit sectio, sanguinis valde crassi & nigri sex uncis emissis: sed

sed in cassum. Accersor in consilium: ubi ægrum vehementi dolore & languore excruciarum inveni, utpote qui nihil ex alimentis expetiit, nec dormire potuit, de nocturno æstu conquerens. Porrexi itaque pulverem præcipitantem nitrosolum una cum liquore anodyno minerali: & inde altero die meliuscule se habere coepit, mitigata doloris quodammodo sævitia. Febricula tamen rursus accessit circa tempus consuetum. Sequenti mane quum pulsus validius adhuc micaret, venam pertundi jubeo: quæ secta in pede fuit. Et quoniam sanguis cum impetu profiliret, decem minimum uncia cum virium constantia emissæ fuerunt. Hac autem evacuatione id consecuti sumus, ut simul & semel omnis dolor ex osse sacro & ischii qui etiam ad genua sese extenderat, evanesceret; quinimo æstu febrili penitus cessante, nocte insequente placida quiete gavissus est, & abhinc vires amissas rursus colligere coepit.

#### *Epicrisis.*

Plura notatu digna porissimam practicam præfato ex casu eruere non sine fructu possumus. Primo videlicet, quod fluxus qui a Medicis habitus est dysentericus, hæmorrhoidalis potius censendus sit: in dysenteria enim non sic simul & semel seri & sanguinis copia deponitur, neque etiam sine acerbissimo dolore & torminibus abdominis, quibus patiens noster caruit, id contingit, sed dolor magis hypochondriacam regionem ferit, intra quam, ut notum est ex Anatomicis, intestinum colon situm obtinet: atque hoc per spasmodum affecto, sanguinis liber per vasa ejus sanguifera circuitus impeditus, & hinc per minima vasorum hæmorrhoidalium oscula in anum effusus est. Dein etiam notandum est, dysenteriam non adeo cito evanescere, quæ nunquam sine febre affligit: tenesinus vero, ut ego non semel observavi, non modo dysentericos, sed hæmorrhoidibus cœcis quoque laborantes vexare solet. Interea animadversione dignum est, ægrum, qui nunquam alias fluxus hæmorrhoidalis vestigia expertus est,

jam.

jam modo insigni cum impetu & quidem satis largiter eum passum fuisse. Quod autem quieverit inde dolor consuetus podagricus, id sine dubio ob naturæ imminutum robur factum fuisse judico, utpote sub quo serum vitiosum ad partes externas cum energia protrudi non potuit. Relicta interim arthritica materia primo oculos invasit, & dein ad ligamenta & membranas ossis ischii, coccygis & sacri delata est. Ibi vero propter vehementes spasmos liberiolem sanguinis circuitum ac progressum quum impediverit, ingens ejus circa has partes stagnatio hoc modo inducta fuit. Quapropter non sine sufficienti ratione, largiorem venæ sectionem in pede instituendam suasi, videlicet ad stagnantem sanguinem a loco affecto derivandum & ejus circulum æquabilem restituendum. Id quod etiam felicissime successit.

## CASVS. IV.

*Rheumatismus ex hæmorrhoidibus suppressis, Carolinis & Tœplicesibus depulsus.*

Vir generosus gracilioris & sanguinæ constitutionis annum duceus trigessimus, aliquot ante lustra, gravativum circa os sacrum sentiebat dolorem, qui vero mox sanguinis ex venis sedis profluxu sedatus fuit. Intra anni spatium, sanguinea hac excretionem propter crebras animum valde exagritandi occasiones cohibita, & neglecto omni remediorum usu, atrox dolor junctus simul cum tussi valida brachium finistrum tam molesto cum sensu lancinabat, quasi acutis cultris caro discinderetur. Exactis aliquot mensibus dextro quoque brachio eundem doloris insultum & impetum experiebatur, citra omnem salutiferum tot adhibitorum remediorum, venæsectionis, purgantium, sudoriferorum, vesicatoriorum, cucurbitularum effectum. Nulla præsens erat contractura, quia brachiorum motus sartus tectus remansit, sed talem modo percipiebat sensationem ac si ingens ex plumbo pondus ipsi inhareret, cum adeo ingenti manuum infirmitate, ut nihil quod grave erat apprehendere vel retinere potuerit. Per intervalla etiam spasmus manus occupabat perquam

quam moleste atque atrociter ut somnum ægre capere poterit. Hos sat acerbos dolores postea excepit gravior aurium & fere intolerabilis dolor, qui sensim cum cephalalgia lancinante, valde acuta & vehementi vires & appetentiam ciborum enervante ipsam corporis carnem consumebat. Hæc symptomata non quidem continuo infestabant sed per intervalla, imo certis periodis præsertim pro atmosphæræ dispositione revertebantur & exasperabantur. Expetiit a me consilium. Suasi, ut rite prius præparato per venæ sectionem in pede & per nodulum laxantem corpore, thermas *Carolinas* adiret, iisque cum convenienti regimine uteretur. Quarum cura absoluta, ut in usum externum thermas *Toeplitenses*, ad imbecillum partium robur confirmandum & restituendum duceret, auctor fui. Cui consilio cum morem gereret æger, ex voto sanitas successit: nam ab eo tempore hæmorrhoidalis fluxus reversus, corpusque ab hujusmodi doloribus diu immune perstitit.

*Epicrisis.*

Quandocunque consuetus hæmorrhoidum fluxus inordinatus sit, vel plane supprimitur, multo non modo valetudinis sequuntur incommoda, sed maxime omnium ad morbos ex corrupto & vitioso sero qui originem trahunt, corpus disponitur: in quorum classem dolores externarum partium sive dolorificas rheumaticas & artuum passiones merito referre debemus, utpote quæ ab humore seroso excrementitio hinc inde in partibus sensibilibioribus & nerveis stagnante & secedente oboriuntur. Sanguis enim quando per vasa meseraica & viscera abdominis inque primis per lienem & hepatis non jugi & perenni motu ac cursu libere fertur, sed restagnat atque moram necit, intestina & calida agitatione, in liquamen putridum corruptum fatiscit; quod dein sanguini permixtum & ad debiliora loca translatum, dolores & ulcerosas sæpe fluxiones efficit. Ex eodem fundamento ac fonte purpuræ scorbuticæ, quæ intus retenta causam

sæpissime graviorum in artubus dolorum præbet, generis derivanda venit; eo, quod consuetas & salutare sanguinis in feminis per uterum, in viris per hæmorrhoides vacuationes cohibitas & compressas hos ipsos presso pede infecutos fuisse, multoties a nobis observatum est.

## CASVS V.

*Rheumatismus capitis, ex admissio frigore, V. S. curatus.*

Ante aliquot annos, generosus vir in sexagesimo & sexto ætatis anno constitutus, post febrem quartanam, quæ per dimidium anni eum exercuerat, vagis doloribus hinc inde in artubus & partibus externis quam maxime circa lecti introitum exacerbatis vexabatur. Cum aliquando mense Majo, matutino frigori caput paulo incautius exponeret, dirus & lancinans cervicem ipsasque scapulas dolor invadebat, qui per intervalla adeo efferatus erat, ut nec caput ullo modo flectere potuerit. Nunquam integerrimus vir admisit sanguinis missionem, neque per venarum sectionem neque per scarificationem; quum tamen esset sanguinis & succis plenus, appetitu integro & pulsu magno gauderet. Suali venæ incisionem; quam, licet natura non respueret, omnibus qua fieri potuit rationibus detrectabat. Cum vero gravioribus assidue torqueretur doloribus nullumque a præfidiis exhibitis persentiret levamen, tandem ad instantiam meam Chirurgus accitus, & celebrata venæ sectione, cruoris octo minimum uncix detractæ fuerunt. Ab eo mox tempore insigne dolorum allevamentum percepit, & quod notabile erat, post sectam venam noctu copiosum semper profudit sudorem præter modum & consuetudinem: quo dolor non modo penitus abactus, sed & omnes corporis vires pristinum incrementum receperunt.

*Epicrisis.*

Similem fere historiam apud LEONH. BOTALLVM *libr. cit. cap. XII. p. 201.* legere licet, quam ad verbum huc recensere nobis e re visum est: *Dominum de Varenes*, inquit,  
a Re-



a Regis cubiculo, annos ut minimum quinque & septuaginta natum, dolor assiduus & lentus ad cervicem & humerum a multis mensibus detinebat, quem Medici frequenti medicamentorum purgantium usu & calefacientibus litibus curare studuerunt: a quibus ille cum parum aut nihil levaretur nos consuluit, qui salutarem diximus futuram sanguinis missionem. Ille contra objicit inconsumetudinem mittendi sanguinis, senilem etatem, inchoantem hyemem, morbum fieri a frigidis humoribus & flatibus: quæ omnia, testantibus aliis Medicis, tale auxilium dehortabantur, quare non posset intrepide acquiescere nostræ sententiæ. Diebus aliquot post, morbi perseverantia & incremento impulsus, ad nos rediit, sic animo affectus ut polliceretur, se post hac nulla in re a nostris consilii recessurum. Mitti sanguinem jussimus, ex brachio affectæ partis, ad uncias decem: post aliquot dies parem modum ex adverso cum maxima utilitate, tandem iterum ex altero, & sic liberatus est. Non tamen interea contempsimus purgantium & litum calefacientium & discutientium usum. Ab eo tempore dictus patiens familiarissime & cum maxima utilitate pedum, quibus vix poterat insistere, visus & totius corporis, primum bis & ter in anno, postea quinquies & sexies meo consilio sibi sanguinem mittit, firmiter incedens nunc, quam ageret abhinc decennium.

## GASVS VI.

Dum hæc scribimus, transmissa nobis est ab Excellenti Vratislaviensium Medico historia, quæ accuratam morbi rheumatici generationem, progressum & medelam quoque complectitur. Circa cujus ulteriorem curam, quum meum consilium requireretur, id ipsum hoc loco recensere non inconsultum mihi visum est. Dominus de H. LXVIII. annos natus, fibra forti atque elastico vasorum robore natura instructus. Olim itinerum incommodis & aeris variis injuriis adfuetus: jam sedentario vitæ generi, in publico, quod obit muneris gratiam addidit. Ante hos viginti annos apople-

*Rheuma  
chronicum  
superiora,  
pectus ma-  
xime, cum  
febre affli-  
genti,*

xia impetum expertus est, cruore ex raninis sponte larga copia erumpente solutum. Inde aliquoties arthritidem persensit, quindecim posterioribus annis non amplius observatam. Versus autumnum superioris anni irrepere sensum ventriculi flatuosæ pressiones, thoracis constrictiones, brachiorum, maxime circa cubitum, tensivi dolores. Hæc omnia usque adeo tandem invaluerunt, ut misso licet sub finem Septembris e brachii dextri vena media sanguine (qui tenax erat, & præpingui muco abundans, seroque destitutus) die XXVI. Octobris novum apoplexiæ metum inferrent. Complicari ea die cum febre continua cœpit malum, hac fere ratione, quavis vespera, modo levius, modo gravius affligens: Post repetitam aliquoties oscitationem & perceptum brachii ut plurimum sinistri gravativum dolorem ingruit spasmus dolorificus cubitum utrumque, præcipue sinistram infestans, mox pectoris musculos in consensum trahens, præcordia stringens, suspiriosam respirationem producens, sudorem universalem exprimens, manubus interea algentibus. Remittit & intenditur per vices talis impetus, donec tandem elapsis aliquot horis cesset pedetentim, lassitudine, torpore, & rheumatici doloris sensu relictis. Hic talis totum thoracem ambiens asthmate stipatus rheumatismus, ubi in summo vigore constitutus erat, durum, citatum, febrilem pulsum, aliquoties oculorum hebetudinem, tinnitum, vertiginem, suspectumque soporem comites habebat. Aliquando distentum flatu hypochondrium sinistram indoluit, sæpius nucha, scapulæ, dorsum. Quandoque in ipso somno ægrum nostrum obruens spasmus, loquelam præpediendo, siderationem comminatus est. Febris focia, in lentam & marasmoden abire visa, sub tertii dierum septenarii finem acquievit, postquam duplex comparuit solutionis modus. Præterquam enim quod lotium primo febrile & biliosum, a quarta febris die turbulentum, sabulosum, pure quasi & subruento tabo remixtum vicesima die in naturale mutatum est; copiosæ etiam & per totam corporis superficiem

ciem diffusæ miliaris pustulæ rubræ comparuere. Rhevma interim spasinis socium silentē febre continuavit, ita tamen ut sensim mitescens, post quadragesimum diem penitus tandem visum fuerit se recepisse. At vero post repetitas per vices intentationes, die morbi octogesimo quarto novus malorum impetus subitæ mortis metum omnibus incussit, urgente inter summas præcordiorum angustias extremorum frigore, marcore, stertore, faciei livore, extrusoque cum tussi aliqua spumoso ex aspera arteria & florido cruore ad drachmam fere unam vel alteram. Quod si hæmorrhoidum ulla ante adnotassemus molimina, sanguinis illam per os effusionem, cum Medicis solas hæmorrhoidales venas in deliciis habentibus, pro fluxu hæmorrhoidum anomalo habituri fuissetus. Visus autem potius e glandulis per interiorem fistulæ spiralis membranam disseminatis & spasmodum vi dilatatis, aut etiam miliaribus ibi quoque hærentibus fistulis disruptis extravasatus cruor. Angebamur tunc imminentis vel asthmatis convulsivi vel apoplexiæ, vel denique, fluente iterum tabida & subcruenta urina, lentæ consumptionis metu. Saltim suspicio erat morbum in consuetudinem abiturum virium collectioni obfuturam. Sed & hac vice post sectam altera ab impetu illo die venam (qua sanguis non adeo tenax e brachio educebatur) ita paulatim Divino auxilio adjutus est ager noster, ut non nisi rhevmatis illius chronici rudera supersint. Poscunt tamen & hæc quotidie se manifestantia maturum adultæ experientia consilium, ne tertium ferociens malum omni auxilio majus experiamur. Inter remedia quibus obsecutum fuisse visum est rhevma cum asthmate complicatum, eminent oleum amygdalarum dulcium, sub emulsionis forma largiori copia propinatum, chamomillæ cohobatum decoctum, frictio, ablutio externa frigida calida & frequens. Nec sine omni effectu in usum vocata: liquor mineralis anodyn. D. Hoffmanni, specificum cephalicum, pulveres solares, lumbricorum succus, pulvis antispasmodicus, & quæ demulcendo malo apta credimus.

dimus. Quibus tamen certa & fida magis desiderantes, rescire avemus, quæ cum de morbi, tum de curæ instituendæ ratione Excellentissimo Hoffmanno videantur. Interque alia præoptamus, ut si forte præparata Viri Practicotati ex balfamo Peruviano, ex amaricantibus extractis sub forma Elixirii visceralis, aut genuinus liquor mineralis, tanquam nervis & visceribus amica pharmaca, facere in rem nostram videantur, eorum apparatus simul nobis concedatur.

*EPICRISIS CVM CONSILIO.*

Accuratius paulo descripta hæc morbi historia, quanta valetudinis incommoda genus vitæ valde mobile & laboriosum subito in quietum mutatum adferat, luculenter fatidemonstrat. Vidi sæpissime splendidas personas, venationibus cum celerrima equitatione conjunctis, vulgo Parforce Jagden, quotidie fere assuetas, si eas ob urgentes quasdam causas omiserint, in graves diutinas passiones, quæ a stagnationibus intra viscera abdominis & exinde subortis valde intemperatis impuris & corruptis humoribus, originem suam traxerunt, delapsos fuisse: cujusmodi fuerunt flatulentæ & spasmodicæ intestinorum constrictiones, cum pigra alvo, angustia præcordiorum ac pectoris, dolore & artuum lassitudine, spirandi difficultate, febreque lenta consociatæ. Non mirum hinc est, idem expertum fuisse præsentem generosum ægrum, in quo, ob inclinatam ætatem, impurius adhuc redditi humores, fibrosus ac nervosus mobilis & sensibile systema ad spasticas stricturas atque febriles commotiones sollicitarunt; unde ex nimis hinc ortis ad partes sanguinis congestionibus, in capite insultus apoplectici, in pectore infarctus asthmaici, in artubus dolores vagi tensivi, producti fuerunt. Quam difficulter vero, quando virium tum solidorum tum fluidorum in habitum quasi degeneravit, ejusmodi chronicæ affectiones, quæ accuratum vitæ regimen & assiduum remediorum valde salutarium per plures fere annos ex-

postu-

postulant usum, faneſcant, iis qui in artis opere diutius versati sunt quam optime cognitum perfectumque est. Et quoniam ex intermissione motus, laboris & exercitationis corporis, quæ alias optimum est sanguinis depuratorium, & juxta *Hippocratem* nervosarum & musculosarum partium cibus ac nutrimentum, præcipua horum pathematum causa fuit subnata, utique secundum nostram experientiam & sententiam, tum ad ejusmodi chronicum affectum mitigandum, tum ad pejora mala avertenda, motus, modo commode hic fieri possit, v. g. per vectionem, vel equitationem, omnibus modis suadendus est. Præterea in talibus casibus ab omni generis cerevisia abstinendum, potanda decocta ex speciebus demulcentibus parata, vel fontes temperati, ut *Selterani*, aut serum lactis; & quoad cibos, ab omnibus acidis, falsis, viscosis, acris, est abstrahendum: inter remedia vero solum elixirium temperatum balsamicum, ex amaris temperatis cum menstruo aquoso paratum, sæpius & diutius, moderata dosi usurpatum, spiritualescentiam blandam fluidis & tonum solidis conciliando, omnibus aliis medicamentis longissime præferendum esse, experientia fida & crebriori edocti sumus. Denique iteratis vicibus, aut per scarificationes aut venarum incisiones, sanguinis nimiam copiam demendo, promptior & expeditior circulus promoveatur. Et hæc fuit mea de cura hujus mali sententia, quam ad Doctissimum Virum transcribere non dubitavi.

CASVS VII.

Vir robustus, sanguine & succis plenus, annorum quadraginta, acerbo scapulæ dextræ dolore conflictatus, sine præcedente sanguinis missione, sine primarum viarum per laxantia absterſione, a Medico pro sudore eliciendo bezoardicam tincturam, æquali pondere cum spiritu cornu cervi succinato permixtam, largiori paulo dosi assunſit. Sed ne ullus quidem inde sudor, nec nocte nec mane secutus, licet corpus probe stratis munitum & involutum fuerit. Scapularum

*Rheuma scapularum, calidiori phar-maco, exacerbatum & ad caput delatum.*

larum vero dolor postmodum non solum longe acerbior fuit redditus, sed etiam colli musculom in consensum pertraxit, ut in nullum latus caput flectere ager potuerit. Accessit præterea ingens capitis in latere dextro dolor, quem acris & calida oculorum defluxio cum rubore diutina excepit. Administrata venæ sectione, & alvo per convenientia remedia successively depleta, usurpatis quoque infulis herbarum Theiformibus atque pediluviiis, hæc symptomata quadantenus quidem remiserunt: ab eo autem tempore defluxio serosa in palato cum continuo uvulæ delapsu per annum & ultra permansit. Cui tandem vitio amovendo frequens tabaci fumus egregie inferviebat; licet diutius adhuc, tempestate præhumida regnante, in faucibus & uvula nimia relaxatio observata fuerit.

*Epicriffs.*

Ex præsentī casu praxeos Medicæ tyrones discere possunt, quantum detrimenti invehere possint medicamenta alias fatis apta & innocentia, quando non debito ordine & tempore usurpantur. Nisi enim prius demta fuerit vasorum plenitudo per sanguinis detractionem, quæ motum circulatorium liberum, & transpirationem quoque auctiorem impedit; nisi etiam ante horum usum, cruditates copiosæ & vitiosæ ex prima regione idoneis laxantibus eductæ fuerint, sudorifera positive sic dicta, quæ calida & expansiva vi agentia, cum impetu quodam crudos & rudes humores in angustias vasorum & glandularum protrudunt atque accumulunt, ut inde non tantum dolores in vicinas partes se propagent, sed & acres defluxiones, dum, ubi sanguis stagnat, serum secedit & depluit, hinc oboriantur, nunquam qui cum ratione curam suscipere annititur, exhibere debet.

CASVS VIII.

Non ita pridem accessit ad me quidam hujus loci causarum patronus, trigessimū ætatis annum superans gracilioris quidem sed fibrosi corporis habitus, qui mihi aperuit, quod

*Rheumatismus pectoris, ex hæmorrhoidibus suppressis.*

quod per quindecim & ultra annos singulis fere mensibus sanguinis fluxum per sedem expertus fuerit; ad quem disposita tota ejus familia, quæ in Thuringiæ oppido adhuc degit, ita ut non solum pater & mater continuo hunc fluxum passi fuerint, sed etiam in liberos imo ipsas feminas circa annum duodecimum & decimum quintum, mensibus licet rite fluentibus, idem iste redundaverit. Conquestus hic fuit, quod per quatuor fere menses, ex causis minus sibi cognitis, hæmorrhoides cessaverint. Et ab eo tempore non modo insigni animi & corporis languore, sed etiam dolore tensivo & constrictivo in sterno, toto thorace, cum frigoris quodam sensu, atque respiratione præsertim post motum difficiliore alvoque pigriore correptus fuit. Quater ex incisa pedis vena, consilio celebris hujus urbis Medici, sanguis largiter emissus: sed omnem citra salutarem effectum. Indicavit simul æger, postquam, a fortiori corporis motu ante aliquot septimanas suscepto, hæmorrhoidalis fluxus, sed exigua in quantitate comparuisset, omnem dolorem & molestiam simul & semel conquievissè & sensum calidioris fluidi a thorace ad ipsam pelvim successive descendentis, sese animadvertissè; sed mox cessante fluxu superiorem pristinum locum dolores repetiissè. Ipse quidem non sine ratione affectum hæmoptycum inde metuens, auxilium meum efflagitavit. Ego nihil aliud suasi, quam ut motu moderato primum, dein intensiori, corpus quotidie ad lenioris sudoris eruptionem usque exerceret, & mane in lecto infusum Theiforme, ex herba veronica, cardui benedicti, radice glyzyrrhizæ & aniso stellato biberet, neque pediluvia ante lecti introitum negligeret; circa illud vero tempus, quo alias ipsæ hæmorrhoides fluere solebant, pilularum Becherianarum aliquot doses, præmissis pulveris digestivo nitroso sumeret. Quibus non juvantibus, optimum inter alia esse consilium, hirudines ani venis applicare, edixi.

*Epicrisis.*

Rariora certe sunt fluxus hæmorrhoidalis exempla,  
(*Hoffm. Syst. T. IV. P. II.*)

Nnn

li

liberos in prima ætate per dispositionem parentum hæreditariam infestantis: qui uti hoc in genere quasi naturalis, salutaris & criticus habendus, ita omni cura & sollicitudine per paulo exquisitiorem victus rationem conservandus, neque ullo modo impediendus, nisi mox difficiles & subitaneas morbosas afflictiones expectare velimus: inter quas sunt illæ præcipuæ, quæ a translatione sanguinis ex partibus inferioribus ad superiores facta pullulant, & rheumatismi nomine veniunt. Sicuti vero effrenem illum & incoercibilem sanguinis mittendi hodie epidemice quasi regnantem methodum, in sanandis maxime chronicis affectibus valde improbamus: ita etiam ad solennes & criticas sanguinis evacuationes, per uterum vel per intestini recti venas provocandas, sæpius repetitam venæ sectionem plus damni quam commodi tulisse, certa & multiplici experientia confirmatum habemus.

## CASVS IX.

*Rheumatismus, ex ira & superingesto sp. volat. C. C.*

Subit jam animum historia feminae ad trigessimum annum accedentis, sanguineo-cholericæ complexionis, quæ gravi ira supra modum exandescens, brevi post ingentem anxietatem & circa præcordia angustiam, cum tremore artuum, appetitus dejectione & ciborum tædio perferens. Sumit hac de re ab amico volatilem cornu cervi spiritum liberaliori dosi, & ad eliciendum sudorem corpus in lecto composuit. Incaluit inde quidem fortiter, sed nec odor nec sudor sequebatur. Ab eo tempore in artubus, cruribus, brachiis, scapulis, gravativos pressorios dolores, & in universo corpore languorem cum lento calore perpeffa est: quibus symptomatibus nostra adeo fuit afflictata, ut caro penitus consumpta, & hinc phthisi imo hæctica ipsa laborare videretur. Lactis tandem caprini cum infuso veronicæ diluti usu, diutius per septimanas aliquot continuato, infuso ex manna & cremore tartari interpolito, atque etiam pulveribus leniter diaphoreticis



ticis ac nitrosis, cum acido citri & aquis temperantibus ana-  
lepticis usurpatis, pristinae valetudini patiens fuit restituta.

*Epicriffs.*

Casus recensitus præclarum nobis documentum sup-  
petit, quam pernitiosum sit, materiam naturæ profus hosti-  
lem per minus convenientia loca, contra monitum *Hippocratis*  
*aph. 1. Sect. 21.* educere. Per vehementem animi excande-  
scentiam, non modo totum systema nervosum & vasculosum  
vehementi præter naturam motu agitur & concutitur, sed  
& insuper plane singulari modo ductus qui in hepate consi-  
stunt & ex eo procedunt biliarii nervoso-fibrosi, convulsivo  
quodam motu afficiuntur, ut biliosus omnis propemodum  
humor in duodeni cavum effundatur, qui ibi ob hoc ipsum  
spasmo identidem per consensum affectum paulo diutius subsi-  
stens & retentus, graviorum quæ iræ affectum ordinario in-  
sequi solent pathematum causam materialem & fomitem præ-  
bet. Ad hæc itaque avertenda prudens & peritus Medicus  
iis utitur remediis, quæ motus effrenes nervosarum partium  
sedandi, biliosas excrementitias sordes contemperandi & le-  
niter per alvum educendi facultate pollent. Nihil autem a  
vero medendi scopo magis alienum est, quam medicamento  
calido & volatili motus solidorum concitiores reddere, il-  
luviemque corruptam biliosam ad sanguinis massam & ad in-  
teriora sensilium & nervosarum partium invitare atque ad-  
ducere.

CASVS X.

Præsenti in opere dum occupatus sum, occurrit mihi  
casus, dignus qui commemoretur. Quare ipsum huic tractationi  
subnectere operæ pretium duxi. Vir erat sexagenario major, fir-  
miore & animo & corpore, atque elastico fibrarum robore  
instructus, qui raro per vitam adversa valetudine tentatus,  
biennio abhinc circiter, colicis quidem atque cardialgicis pas-

Nnn 2

*Rheuma ex  
seri impuri  
copia, par-  
tes tam in-  
ternas  
quam ex-  
ternas affli-  
gens in sen-  
natum.*

sionibus per vices affligentibus, attamen convenienti remedi-  
 orum usu statim mitigatis atque depulsis correptus est. Men-  
 se Januario hujus anni vicinam urbem tendit, judiciales quas-  
 dam compositurus lites. Quum autem impetrata judicis sen-  
 tentia voto minus responderet, vehementer & supra modum  
 animo commotus est, corpus dein multis modo laboribus  
 & vigiliis fatigatum, inter discursum per plateas, frigoris ve-  
 hementiæ improvide exposuit. Hinc statim ciborum pe-  
 riit appetentia, & alvus segnior reddita fuit, ita ut perpau-  
 cas feces ano protruserit, imo per aliquot dies officii sui obli-  
 ta fuerit. Domum reversus patiens de languore universi  
 corporis, doloribus abdominis ex uno hypochondrio in alter-  
 rum divagantibus, nec non de anxiiis & cardialgicis præcor-  
 diorum stricturis circa scrobiculum cordis, cum pertinaci al-  
 vi clausura stiptatis conqueri coepit. Rebus sic stantibus,  
 mihi in consilium vocato, primo omnium, strictiorem alvum  
 per enema emolliens nec non infusum mannatum cum oleo  
 amygdalarum dulcium permixtum relaxare fecesque resistan-  
 tes educere visum fuit. At vero pauca in quantitate durissi-  
 ma scybala nigricantis & quasi adusti coloris secesserunt: do-  
 loribus moribusque in abdomine persistentibus & per certa  
 intervalla acrius affligentibus. Suavi dein, ut lactis serum cum  
 cremore tartari acidulatum atque manna nobilitatum, per  
 aliquot hebdomades mane ad mensuram biberet. Postea  
 quum sanguinem redundantem & ejus missionem neglectam  
 adverterem, pedis venam pertundendam curavi: ubi emissæ  
 aliquot sanguinis uncia, satis bene quoad cetera constituti,  
 nisi quod permultum lentæ & viscidæ pituitæ, aquæ calidæ im-  
 merfus deponebat. Vnde æger parum levaminis persensit.  
 Interim tamen alvus quinq; vel sexies de die fuit soluta,  
 multumque pituitæ una cum durioribus excrementis educum.  
 Sed dolores cum cardialgici tum colici, licet aliquando miti-  
 garentur, continuabant, dorsum & lumbos sæpe repeten-  
 tes. Quibus æger tandem ita enervatus fuit, ut assidue in lecto  
 decum-

decumbere cogeretur. Ex medicamentis internis nihil intentatum vel omisum, quod ad discutiendos status, ad sedandas spasticas stricturas, ad acrimoniam temperandam & infringendam; atque æquabilem transpirationem conservandam commodum proficuumque visum fuit: & tamen parum adjuvamenti inde persensit æger, nisi quod observatum sit, dolores hos acerbiores magis ad artus & externas partes, interiori sede relicta, converfos esse; quandoquidem mox scapulas, mox lumbos, mox pectus, mox præcordia invadebant, capite tamen ab iis libero relicto. Somnum interdum placidum capiebat, cibosque concoctu faciles ingerebat, alvus vero rarissime sponte libera fuit & urina nunquam non parce profluxit. Interea cum jam per duos & quod excurrit menses hoc malo conflictatus fuisset æger, non parum vires exhauriebantur. Percipiens vero pulsus adhuc valentem & plenum, pedis venam iterum secandam præcepi, e qua longe alia facie emanavit sanguis quam prior erat: nam vix sexta ejus pars rubicunda erat, quæ sero placentulæ instar innatabat, superius lento, viscido muco obductus. Sed neque etiam inde adjuvamentum quoddam percipiebat ægrotans. His rebus ita constitutis, meum constantissime cum domesticis suis efflagitavit auxilium, rogans, morbum, ejus naturam, totumque progressum paulo accuratiori meditationi & acriori judicio subjicerem. Ad hanc itaque rem incumbens, ex inspecto sanguine judicabam, vitium non, ut antea forte existunaveram in solidis esse, ubi angustiam vel scirrhositatem quandam in intestinis præsentem divinaram, sed seri excrementitii colluviem non tam partes internas quam externas adfligentem, horum dolorum causam & fomitem existere. Hanc itaque non commodius nisi per alvinam regionem educi posse credidi. Nolebam vero in corpore viribus valde fracto atque intestinis spasms & torminibus jam extreme debilitatis acre quoddam purgans per superiora exhibere. Itaque cum in consiliis *Riverianis* me aliquoties legisse memi-

nerim, aquam benedictam *Rulandi* ad aliquot uncias in enemate, optimo cum fructu ad serosam colluviem educendam adhibitam fuisse, tentare & hoc auxilii genus constitui. Et cum ad manus non esset aqua illa benedicta, tartari emetici solutionem huic substitui, atque in talem formam redegi: Rec. tartari emetici in aqua menthæ soluti grana VIII. vini Hispanici uncias sex M. Hanc mixturam cum clysteris emollientis domestici tribus partibus ano quum infundendam juberem, mox inde largissima viscidorum humorum secuta est excretio, magna fecum liquidarum copia stipata, quam postea tres sedes exceperunt, sed cum paucioribus excrementis: quo factò juscula quædam analeptica porrigere jussi. Et bene se habuit æger. Sed tertio die post, cum intolerabilibus per IV. dies abdominis cruciatibus cum diarrhoea & tenesmo copulatis, corripere, interne theriacæ veteris dosin, item oleum amygdalarum dulcium ter, vel quater per diem cum sero lactis, vel infuso veronicæ exhibui, & exterius abdomen inungendum linimento, ex theriaca in aqua Anhaltina soluta, cum balsamo Peruviano commixta, jussi. Atqui inde & alvi dejectiones & tormina ex voto conquieverunt ac remiserunt. His peraëtis mixturam diaphoreticam, quæ ex liquore nostro minerali, syrupo croci saturato & quarta parte spiritus tartari composita erat, propinavi. Vnde placido secuto sudore, vique dolorum mitigata sensim paulatimque ad se redire videtur ægrotans.

#### *Epirisis.*

Chronicus hic gravis morbus, ad dolores rheumaticos ab excrementitii feri copia originem suam trahentes, nervosque partes internas æque ac externas infestantes, referri debet. Senes vero quam maxime ad ejusmodi morbos a sero vitioso oriundos disposita aptaque habent corpora, quia ob bilis lentorem & inertiam, vacillantemque intestinorum tonum alvus pigrior fit, atque adeo a fecibus retentis corruptæ fordes ad sanguinis massam feruntur, quæ ob languidiorem

diorum perspirationem senili ætati familiarem & communem magis magisque succrescunt. Credibile igitur est, eodem modo hos dolores fuisse excitatos. Et quia per ipsius morbi paulo longiorem decursum, in corpore omni motu & exercitatione vacante, ipse sanguis & humores boni atque laudabiles in corruptum serosum liquamen conversi sunt, vero est simillimum, contumaciam hujus affectus inde esse petendam. Denique notabilis hæc observatio non prætereunda est, quod emetica & paulo fortiora infusa per clysterem, ad copiosas serositates e corporis latibulis eliciendas & exturbandas, tutiori longe modo ac validiora purgantia ore assumenda adhiberi possint.

CAPVT IX.  
DE  
RHEVMATISMO ODON-  
TALGICO.

*THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

**O**dontalgia, sive dentium acutus, gravis & perquam molestus dolor non nisi rheumatici species est, a feri impurioris decubitu, ligamenta & tunicas nervo-glandulosas, quibus radices dentium in alveolis maxillarum arctius circumvestiuntur atque obfirmantur, valde lancinantis & arrodentis subortus; qui varia molestaque post se trahit symptomata.

*Definitio  
genetica.*

§. II.

Nos non semel sed pluries observavimus, artuum, scapularum, humerorumque dolores, in capitis sæpenumero transisse

*Sæpe ex  
rheumatis-  
mo odontal-  
gia oritur.*

*Et vice versa.*

fuisse latus, atque dentes pariter ac maxillas molestissime invasisse. E contra, capitis & dentium dolores, sede sua mutata, in humeros, brachia vel scapulas descendisse, identidem a nobis haud raro est animadversum. Quin, per experientiam obvium est, maxillam superiorem cum dentibus suis, dolore & spasmo frequentius ac inferiorem affici.

§. III.

*Interdum in ipsa dentis cavitate residet.*

Alia porro sedes est odontalgici doloris, qui in ipsius dentis cavitate, videlicet in funiculo isto vesiculari, ex membrana nervosa, vase arterioso, venoso & lymphatico composito residet, videlicet si is ipse graviter, vel nimia, a sero stagnante, distensione, vel spastica constrictione afflicatur, praesertim ubi dens est cariosus, ipsaque caries ad funiculum modo dictum pertingit: siquidem certa & quotidiana experientia constat, cariosos dentes rheumaticis affectionibus maxime tentari, eo quod quam facile, ob imbecillitatem hujus partis humores ibi stagnant atque subsistunt.

§. IV.

*Symptomata.*

Quemadmodum in arthritide dolor, rubor, tumor, & febricula praesens est: ita haec omnia quoque in odontalgia fieri animadvertimus. Jungitur insuper copiosa salivæ ex ore profusio, quæ non aliam agnoscit causam, ac spasnum dolorificum, qui dum vasa lymphatica & venosa constringit, liberum sanguinis & feri regressum impedit; quam ob rem a subsistente sanguine salivalem illum laticem in glandulosa faucium loca copiosius secedere æquum est.

§. V.

*Odontalgia ex tempestatum mutatione oritur.*

Rheumatismus intemperati & subito mutati aeris pleurumque soboles evadit; atqui non secus res in odontalgia cedit, quæ in corporibus dispositis praesertim cacochymicis quam facile oritur, si ea ex calida subito in frigidam auram secedunt, vel si vere & autumno tempestat per vices austrina calida atque frigida est.

§. VI.

## §. VI.

Vti feminae præ sexu virili rheumatismis magis sunt obnoxiae: ita etiam odontalgiam frequentius experiuntur. Id quod maxime contingit, quando utero gerunt, vel defectu mensium laborant, aut alimentis acidis, salis & alvum adstringentibus, item dulcibus plus justo delectantur: quippe quæ etiam externe denti cariolo admissa desubito sæpe dolorem proritant. Nihilominus, si viros hic dolor apprehenderit, acerbius multo affigere solet.

*Feminas frequentius ac viros affigit.*

*Hos tamen acerbius.*

## §. VII.

Experientia rursus constat, quod qui rheumatismo vel arthritide laborant, rarius odontalgia corripiantur, sed dentes integros habeant; cum contra dentium doloribus magis sint expositi, qui hujusmodi artuum & musculorum affectionibus vacant.

*Rarius rheumaticor & arthriticor infestat.*

## §. VIII.

Qui dentium doloribus semel iterumque excruciantur, ii rursus ex facili & leviori causa in eundem incidunt, non secus ac in arthriticis & podagricis tentationibus id fieri assolet, propter debilitatem quam dolores hujusmodi pariunt atque relinquunt.

*Facile revertitur.*

## §. IX.

Acerbior dentium dolor in corpore sensibili atque impuro gravia inducit symptomata, vigiliam nempe, febrem, appetitum prostratum, delirium, refrigerationem extremorum, imo convulsiones, præsertim in infantibus, propter systema nervosarum partium in consortium sive motuum morbosorum communicationem pertractum.

*Malum quandoque exitum sortitur.*

## C V R A T I O.

## §. I.

Quoniam odontalgicus dolor, ab illuvie plerumque serosa ortum suum sortitur, utpote quæ a sanguine copiosius

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

*Indicatio- nes.*

O o o

ad

ad caput congesto & lentius in vasis procedente, separata, in ligamenta tendineo-nervea depluit; potissimum medendi huic molesto affectui in eo reconditum erit momentum, ut serum scorbuticum impurum primum a capite divertatur & derivetur; dein, ut correctum præparatum atque mobile redditum, per congrua emunctoria e corporis sphaera eliminetur; demum parti affectæ justum robur reconcilietur, & hac ratione materiæ peccantis decubitus atque affluxus præpediatur.

## §. II.

*Humor vi-  
tiosus di-  
vertendus,  
per clyste-  
res.*

Primum quod concernit nostrum propositum scopum, huic clysterum injectiones peccantem humorem divertendi gratia, quam maxime opitulabuntur. Vt plurimum enim sub gravioribus quibuscunque dolorum tormentis alvus pertinacius renititur, quam per enema lenitivum & stimulan salinum emollire atque educere nihil est convenientius: utpote, a cujus applicatione ingens statim dolorum levamentum agrotantes recepisse observavimus. Præstat tamen ea ex domesticis usitatis, quam ex variis purgantium atque emollientium speciebus curiosius conflare. Dein quoque inter ea quæ humorum impetum a partibus superioribus ad inferiores invitant, pediluvia egregiam operam collocant: quæ ex sola aqua pluviali vel fluviali cum fursibus triticis, adjecto saponе Veneto decocta præparari atque circa somni tempus in usum vocari possunt; adhibita tamen hac cautela, ut pedes diutius atque paulo profundius in ea dimittantur, neque nimis calide, sed tepide tantummodo admoveantur.

*Pediluvia.*

## §. III.

*Ope laxan-  
tium.*

Huic prædictæ intentioni non minus satisfaciunt, quæ leni stimulo alvum clementer subducunt, inter quæ, uti in omnibus tam arthriticis quam rhevmaticis, ita etiam in odontalgicis affectionibus, mannata & ex cassia recenti parata, utpote quæ simul acrimoniam humorum contemperandi virtutem possident, præsertim si in fero lactis dulci vel lacte asi-  
n.no,



nino, aut etiam in fonte minerali v. g. acidulis Schwalbæ-  
centibus dissolvuntur, præcipuas sibi partes vindicant.

## §. IV.

In corporibus ætate florentibus & quorum vasa ni-  
mio sanguine turgent, si vel ob transpirationem prohibitam  
vel aliis demum ex causis, acerbi oboriuntur dentium dolo-  
res, primæ æque ac secundæ indicationi therapeuticæ omni  
ex parte satisfacit venæ in pede instituta sectio; quæ utique  
tam ad humores ad superiora congestos, inferius invitandos,  
quam ad æquabilem eorum per omnis generis vasa circuitum  
restituendum ut & materiam hostilem e corpore eliminandam  
præsidium atque auxilium pollicetur insignissimum, aliis omni-  
bus præferendum.

*Vana Sectio  
quando ad-  
bibenda?*

## §. V.

Quod si materia peccans odontalgicos dolores effici-  
ens, discutienda atque educenda est, egregie huc conferunt  
ipsa diaphoretica, blandiora tamen & sedativa simul virtute  
conspicua, e quorum numero electuarium ex rob sambuci,  
admixtis cornu cervi usto, antimonio diaphoretico & nitri  
aliquot granis, cum aqua florum sambuci propinatum, lau-  
dem certe meretur amplissimam, præsertim si repetatur &  
regimen sudoriferum exactius paulo observetur.

*Diaphoreti-  
ca.*

## §. VI.

Non raro evenit, ut horum dolorum savitia a serosa  
foveatur illuvie, quod fit in cacochymicis, scorbuticis, & ca-  
tarrhosis phlegmaticis corporibus, ubi malum sæpius quoque  
revertitur. Tunc autem ego ad molestissimum malum præ-  
scindendum non certius, tutius nec præsentius, quam in con-  
venienti thermarum vel acidularum usu inveni præsidium,  
præcipue si in subjectis tenerioribus & biliosis cum lacte ali-  
nino permiscetur.

*Acidula-  
rum usus.*

## §. VII.

Jam quod remedia externa concernit, sacculi ex speci-  
ebus pargoricis emollientibus, videlicet ex floribus sambuci  
meli

*Sacculi spe-  
ciebus emol-  
lientibus  
repleti.*

*Suffragia.* meliloti, chamomillæ vulgaris, baccis lauri, juniperi, femine carvi, milii & sale tosto parati, qui si tepide applicantur, ex omni remedium genere securissima sunt. A suffragiis quoque v. g. fumo succini, resinæ styracis, benzoës, olibani, gummi elemi, per infundibulum vel linteorum ope dentibus affectis admisso, insigne dolorum levamen secutum fuisse novimus. Interea tamen non omnes æque hanc medicationem ferre potuisse, & in quibusdam graves capitis dolores, hemi-craniam, vertiginem, oculorum dolorem pressorium sic excitatos fuisse observavimus.

## §. VIII.

*Bals. vitæ externæ.* Quod si vero dolor acerbus maxime in carioso dente consistit, liquor anodynus mineralis vel solus, vel cum balsamo nostro vitæ permixtus, ope gossypii dentibus inditus egregium præstare solet levamen. In corporibus humidioribus una vel altera olei caryophyllorum gutta, item olei origani Cretici, nec non buxi destillati carioso denti instillata vel cum gossypio applicata, opem non contemnendam affert. *Mixtura ex camph. & opio &c.* Mixtura ex spiritu vini camphorato cum croco, castoreo & opio permixta gingivis atque excavatis dentibus admota, non secus ac ejusmodi linimentum in rheumatismo & arthritide exterius applicatum, insignis persæpe levaminis esse solet.

## §. IX.

*Dieta.* Ceterum, uti accuratum vivendi regimen ad præventionem affectuum chronicorum, & etiam dolorum, utile semper ac proficuum est: ita illud ipsum in nostro affectu non minorem adfert utilitatem. Dieta vero primario in eo consistit, ut ægri ab omnibus salis acribus induratis & nimium aromatatis cibus, vino præsertim acido & liquoribus spirituosis, omnibusque alvum duram & adstrictam quæ reddunt abstineant, auram frigidiorē, ventum præcipue ex Borea flantem quam sedulo vitent, caputque maxime ab eo arceant. Et sicut in omnibus rheumaticis affectionibus præcavendis nullum præstantius ipso sufficienti motu & exercitatione

tatione corporis datur remedium : ita id ipsum quoque in chronicis & sæpe recidivantibus odontalgis commendationem meretur.

## CAPITULÆ ET OBSERVATIONES

## §. I.

Quando atrocior odontalgia a dente carie infecto atque excavato proficiscitur, si situs id permittat, cauterium ignitum ab exercitato Chirurgo dextre applicatum, omnia decantatissima etiam remedia superat : liquidem funiculo illo nerveo, in quo doloris sedes est, exusto, & putredine, ignis ope, e dente sublata, dolorem non modo penitus exspirasse, sed & fetidam cariem prohibitam fuisse, pluries etiam in nobis ipsis observavimus. Quin hac ratione quoque dens servari potest, si modo ejus cavitati postea cera cum mastiche mixta, quo impediatur ciborum & aeris frigidioris ingressus, intrudatur.

Cauteria.

## §. II.

Quod si vero durum illum in dente dolorem excitans caries, cavitatem efformaverit minus idoneam, ut cauterium commode non admitti possit : externa tamen, atque interna quoque in usum vocata remedia nullius efficaciæ sunt, nihilominus a diutius affligente dolore gravioris mali periculum imminet ; vix datur certius remedium, ac dentis affecti, a circumspæcto Chirurgo, idonea encheiresi celebrata evulsio.

Quo si non locum inveniant dens evellendus.

## §. III.

Sed tenendum circa hanc operationem, ne ipso in paroxysmo, ubi dolorum vehementia quam maxime urget, instituat. Neque facile in plethoricis, ubi capitis, temporum & genarum venæ tument, vasque arteriosa vehementius pulsant, nisi prius juxta sanguinis extracta fuerit quantitas, dentis evulsionem tentare convenit. Testantur enim

Soluta tamen prius plethora.

practicorum hinc inde recensitæ observationes, lethalem per-  
sæpius hæmorrhagiam, a dentibus præsertim molaribus im-  
providè extractis excitatam fuisse.

## §. IV.

*Sectio vami-  
narum.*

Observationum fide constat, venarum sublingualium  
incisionem in grauiori odontalgia eximiam tulisse opem. Nos  
etiam hoc medendi genus admittimus, sub hac adhibita ta-  
tamen cautione, ut incisio venarum paulo subtilior sit, al-  
vusque libera existat: quinimo pediluvia in usum, prius quam  
vena secetur ducenda statuimus. Si vero nimia sanguinis  
copia corpus turgeat, sanguinem e pedis vena detrahère ex-  
pedit: ubi dolore adhuc persistente, postea forte *raninas*  
pertundere conducibile erit.

## §. V.

*Externa  
non perpe-  
tuo juvant.*

*Hinc discus-  
sionem se-  
curissima.*

Peculiare id habent remedia odontalgica externa, ut  
nunc iuamentum afferant, nunc in eodem corpore nihil ef-  
ficient, & nullum adhuc constans & perpetuum contra den-  
tium cruciatus reperiatur remedium. Securissimum itaque  
est, stagnantium & acrium humorum lenem & successivam  
procurare discussionem, & ab aeris frigidi injuria partem af-  
fectam quam sedulo defendere: id quod *sacculi superius* re-  
censiti, mitiora quoque diaphoretica omni ex parte præ-  
stant.

## §. VI.

*Purgantia  
quibus con-  
ducant?*

In corporibus cachecticis, quorum vasa ingenti vitiofi  
seri collavie repleta sunt, & quæ artuum doloribus alias fre-  
quenter vexata fuerunt, blandiora evacuantia in cassum exhi-  
bentur. Sed duriori cuneo hic opus est, atque ad paulo va-  
lidiora properandum. Inter plura alia autem quæ huic sco-  
po inserviunt, pilulæ ex gummi ammoniaco depurato, tro-  
chiscis alhandal, extracto fibrarum hellebori nigri, mercurio  
dulci, cinnabari præparato, croco & castoreo compositæ  
eminent, & ob laudatissimum successum, expectationi desi-  
deratæ respondent.

## §. VII.

## §. VII.

Mixtura ex spiritu vini camphorato, essentia croci, *Mixtura*  
 nucistæ, & spiritu cornu cervi volatili vinoso concinnata, *dolores ex-*  
 ad guttas aliquot naribus excepta, admirandum plane in mo- *templo se-*  
 dum acutissimos etiam dentium dolores in momento sedat *dant.*  
 atque profligat: cujusmodi effectus a liquore anodyno cum  
 balsamo vitæ liquido n. maritato identidem expectandus.  
 At vero dolendum maximopere est, hanc dolorum expira-  
 tionem modo ad tempus plerumque persistere. Ratio autem  
 hujus phænomeni in eo posita est, quod nervi qui ad mandi-  
 bulas, dentes atque nares tendunt, ex uno trunco pari vide-  
 licet quinto originem mutantur.

## §. VIII.

Dolores dentium si tanta ferocia insistant, ut cuncta *Omnibus ir-*  
 remediorum genera penitus eludant, ego insigni cum fructu *ritis, opiata*  
 porrexi pilulas, ita a me excogitatas: Rec. massæ pilularum *corr. pro-*  
 alophanginarum drachmam, de styrace drachnam dimidi- *sunt.*  
 am, extracti croci grana sex M. f. l. a. Pil. No. LX. D. S. 6.  
 bis 8. auf einmah!

## ENARRATIONES MORBORVM.

## CASVS I.

Serenissimus Princeps, firmæ & robustæ quoad fibras *Odontalgia,*  
 & habitum corporis constitutionis, qui inculcata, & constanti *ex veh-*  
 valetudine quadragesimum jam annum superaverat, continuis *menti mo-*  
 venationibus & vehementioribus corporis exagitationibus, *tu, sub sa-*  
 sub inclementiori frigido & humido aere, sub solis intensiori *vis tempe-*  
 æstu, sub ventis sæviter sæpe regnantibus, ita fatigavit vires, *statibus, sæ-*  
 ut naturam ad permolestas defluxiones in capite & circumja- *pius repeti-*  
 centibus partibus frequentius lacefferit. Quæ non modo in *to, oborta.*  
 capite sed & in maxilla præcipue in dentibus acerrimum dolo-  
 rem pariunt, atque per intervalla ex capite in subjacentia lo-  
 ca collum, humeros, scapulas delatæ, atroci dolore musculo-  
 sas

las ac nervosas has partes affligunt ; principium vero asperæ  
 arteriæ obsidentes permolestam cum raucedine tussim infe-  
 runt. Ceterum sub quietiori jam corporis statu & vitæ in-  
 stituto ingravescere hæc symptomata videntur , quippe & ci-  
 borum appetentia minuitur , & alimenta minus probe digesta  
 flatus & borborygmos cum alvo pigriori excitare solent.  
 Ego in consilium arcessitus, primum atroci illi dentium dolo-  
 ri, qui valde urgebat, subveniendum esse duxi : quem in finem  
 latus affectum linimento , ex una balsami nostri vitæ & dua-  
 bus liquoris anodynii partibus inungere iussi ; quod etiam  
 gossypii ope denti qui cariosus fuit admotum , levamen non  
 mediocre attulit. Postea exquisitam victus rationem impe-  
 ravi : quæ in eo consistebat , ut omnem aerem inclementem,  
 ventos impetuosos maxime , ac solis æstum evitaret , & exer-  
 citationes corporis , equo vel curru vehendo , vel ambulando  
 cum moderatione tamen , quia iis assuetus erat , non inter-  
 mitteret ; loco potus ordinarii decoctum temperatius ex ra-  
 dice chinæ , cortice ligni sassafras , passulis , atque pauxillo  
 cinnamomi paratum bibat , parcius vero vinis spirituosus utatur,  
 vel saltem tenuia Mosellana & huic similia, aut valde di-  
 luta cum aqua hauriat. Præter rectam vivendi rationem , in  
 qua constanter pergere debet , etiam hæc malo expugnando  
 accommodata remedia ad usum proposui. Adeoque infusum  
 Theiforme ex melissa , salvia , veronica , betonica , corticibus  
 citri recentibus , cardamomo , iusta dosi mixtis , mane sumen-  
 dum in lecto cum lenioris sudoris expectatione suavi. Ante  
 prandium Elixirii nostri balsamici drachmam cum pauxillo vi-  
 ni & aquæ caperet , atque ad alvum liberam servandam bis  
 in septimana passulas Corinthiacas rhabarbarinas ad unciam ;  
 ante lecti introitum sumeret , consului : ad tussim vero levandam,  
 oleum amygdalarum dulcium sine igne paratum , cum  
 duabus partibus syrupi capillorum veneris permixtum , in a-  
 venaceo juscule circa noctem usurparet auctor fui. Præter-  
 ea frictions in capite & dolore affectis partibus mane & sero  
 adhi-

adhibendas, cum pannis succini fumo imbutis, calidis, plurimum commendavi, atque ante omnia ut caput & partes superiores a frigore muniret, suasi. Cucupham quoque in capite gestandam ex herba majoranæ, satuireæ, floribus spicæ, rorismarini, chamomillæ Romanæ, succino, benzoe, styrace, cardamomo præscripsi. Quibus remediis adjutus per divinam gratiam, a molestis istis rheumaticis doloribus immunis redditus, jam sine ullo valetudinis impedimento ex voto vivit Princeps Serenissimus.

*Epicripsis.*

Quemadmodum ad constantem tuendam sanitatem, & ad morbosas a corpore avertendas afflictiones, nil nec efficacius nec securius conveniente & sufficiente corporis motu, labore & exercitatione est: ita attenta etiam observatione animadvertimus, non modo ex intermisso corporis motu, sed etiam ex nimis, vehementibus inopportunitis & sub inclementi cœlo institutis exercitationibus viam ad morbos apertissimam sterni: videlicet quodcumque illæ subito omittuntur. Nam quo celerior sub ipso motionum impetu & agitator fluidorum & solidorum est motus & progressus, eo tardior & imbecillior postea evadit, quando profus corporis exercitium negligitur. Hinc pressio pede sanguinis & humorum stagnationes, decubitus, feri separationes, ejus extravasationes atque in subjectas partes defluxiones, præsertim eas, quæ aeris injuriis expositæ imbecilliores & a naturali tono dejectæ fuerunt, aliæque permolesta accidentia insequuntur; quemadmodum superius haud ignobile exemplum satis luculenter demonstrat. Ceterum, quoniam natura assiduis & quotidianis iisque validioribus exercitationibus fuit adsueta, non penitus eas intermittendas sed sub modo & moderatione continuandas esse censui.

CASVS II.

Cum nuper ad aulam Serenissimi Principis vocarer, consultum me adiit femina honesta ante XL. annos nata,

(Hoffm. Syst. T. IV. P. II.)

Ppp

Rheuma  
dentium e  
colluvie san-  
rosa

*prognatum  
cura emaci-  
ante abi-  
gendum.*

fanguine & succis plena, quæ sub priori conjugio & ante illud etiam in primis juventutis annis largiter semper sanguinis menstrualis fluxum experta est, atqui, dum singulis fere annis liberos peperit, satis valens & salva permanfit. In altero conjugio, quod plane fuit sterile, per aliquot annorum spatium, tempore potissimum vernali & autumnali, permolestis & gravibus in capite defluxionibus, coryza, gravedine, dentium acerbo dolore, tumoribus faucium, uvulæque prolapsu misere admodum fuit tentata: quæ symptomata duos, quandoque tres menses continuarunt. Tumor internus faucium non mediocris ita sæpius compressit mandibulas, ut os deducere, nisi quantum sufficeret ad forbillanda juscula vel tenuiores cibos capiendos, non potuerit. Multis usâ domesticis & pharmaceuticis remediis: sed cunctis effectu plane frustraneo. Cum in pleniorum morbi statum ejusque causas inquirerem, cognovi eam cum marito inferiorem domus humili loco sitâ stationem inhabitare & in ipsa dormire, quæ cum minus a ventibus perflari queat, aer inclusus quam facile vappidus & humidus redditur; deinceps in quieto semper vitæ genere versata est: tertio in conjugio sterili vixit & menses longe parciores quam superioribus annis experta, singulo quoque vere & autumno venæ sectionem in brachio admittere consuevit. His perspectis & diligenter expensis, vitiosi feri potius illuviem in hoc corpore, quam sanguinis redundantiam peccare judicavi. Quare non tam ad sanguinis quantitatem detrahendam, quam ad feri intemperati & impuri nimiam copiam impediendam imo e corpore exturbandam, & ad robur toti corpori, capiti inprimis, conciliandum medicationis consilium direxi. Suasi igitur, ut mutaret conclave & dormitorium, atque in loco distabili altiori vitam ageret: dein, ut intermedio tempore quo libera erat ab hoc affectu, a copiosiori cibo, carnibus elixis & pinguioribus jusculis, a cœna etiam abstineat, & corpus labore & motu moderatiori exerceat, præcepi. Loco cerevisiæ crassioris aquam coctam cum cinamomo, cortice

I. fas-



l. fassafras, passulis & quarta vini parte mixtam bibit; & vt singulis mensibus, bis vel ter pilulis meis balsamicis polychrestis, & totidem in septimana vicibus elixirio balsamico temperato utatur edixi. Demum balsamo nostro liquido caput inungendum, & aqua cum vino remixta, in qua aliquot guttulæ balsami dicti instillatæ, os frequentius colluendum commendavi.

### *Epicripsis.*

In ejusmodi diuturnis crebrius recurrentibus rheumaticis affectibus profligandis, Medicus qui consultatur, probe semper prius statum corporis, causas antecedentes & concurrentes investigare debet: siquidem ut plurimum sagax & circumspectus Philiatæ, permolestas has diuturnas fluxiones seu rhevmata, a tenuiore & excrementitio sero ex atonia solidorum oriundo potius, quam a sanguinis boni redundantia dependere atque produci deprehendit. Et tunc pessimo consilio largiores sanguinis detractiones proponuntur, quæ naturam imbecilliozem reddunt & ad morbosas afflictiones disponunt. Ego in doloribus rhevmaticis arthriticis neque minus in catarrhosis defluxionibus, singulari semper cum fructu diætam, ut ita loquar, emaciantem commendavi & imperavi; quæ in detractiõne copiosi alimenti, abstinentia, ab omnibus quæ copiosum alunt nutrimentum tam cibus quam potibus, sufficienti motu & exercitatione corporis, tenuique ac levi potu consistit; interposito nonnunquam apto balsamico laxante & roborante. A quibus auxiliis, in ejusmodi abigendis & avertendis morbis, ampliozem me semper consecutum fuisse opem, ac ab aliis pharmaceuticis remediis omnibus, sancte adstruere & affirmare possum.

### CASVS III.

Juvenis annorum XXX. corpore carnoso & boni habitus, sanguine abundans, hyemali tempore domi bene passus & cibus nutrientibus saturatus, vini quoque non raro

PPP 2

*Sevus dentium dolor ex admissa corpori plethorico frigore, aqua frigida curatus.*

haustum interponens, sub libero vernali, ventoso & humido coelo, non tecto fati & munito corpore iter per aliquot miliaria facere debuit. Hinc domum reverso, ingens lassitudo corpus, caput molesta cum vertigine gravitas, dentes verò immanis admodum dolor irruerat atque invadebat, qui noctu acerbior erat. Quum per annum sanguinis missionem non passus fuerat, ex meo consilio venæ circa pedis malleolum facta incisio, & plus quam decem uncia extracta; quæ vacuatio cum euphoria celebrata quandam horum pathematum remissionem largita fuit, pulsu inde valentiori reddito. Ipse sponte sua ante lecti ingressum, quum per syringam tabaci hauriret fumum, aquæ frigidæ fontanæ mensuram successu temporis epotavit, cubitumque petens corpus stratis probe textit atque circumvolvit. Hinc largissimus in toto corpore subortus sudor per integram noctem manavit. Inde expergefactus, omnis dolor a capite & dentibus, felicissime fuit abactus.

*Epicrasis.*

Quandocunque dolores gravativi & rheumatici artuum, capitis, imo dentium, a sanguinis *κατ' ἐξοχην* sic dicti consistentis & rubicundi redundantia, quæ impeditioris humorum circuitus & secretionis atque excretionis imminuta parens est, potius quam a feri impuri copia & decubitu in eufarcis & pene partibus corporibus oboriuntur; ipsa ratio sana medico-practica dicitur, ad liberiolem circuitum sanguini & humoribus conciliandum, sectionem venæ remedium esse aptissimum. Et tunc ordinario pulsus major, auctior & fortior post sanguinis vacationem sequitur, qui certum minimeque fallax, ex redundante illo purpureo liquore morbum provenisse, indicium exhibet. Deinceps insignes aquæ puræ fontanæ frigidæ sudoriferas & discutientes virtutes, hic casus magis conspicuas atque illustriores reddit. Ego semper in hac hæresi fui, aquam frigidam fontanam puram, terrestrioris calcareæ vel salinæ materiæ expertem, incomparabilem multis

tis in morbis præbere medicinam, tum ratione frigoris fibras attonitas firmantis & roborantis, tum respectu mineralis ætherei spiritus, quo nulla aqua destituta, viribus identidem amici; quin & ratione fluxilitatis ac tenuitatis, qua crassos humores mobiles, fluxiles atque libero progressui aptos reddere valet. Sed hoc remedium, quod utique magnæ utilitatis est, & recte heroicum dici potest, maxima eget cautione & circumspèctione. Quam hisce capitibus includere non dubitamus: quorum primum est, ut imbecillo & tenui corpori, ubi motus languent & venæ sero turgent non exhibeatur: secundum, ut tantummodo corporibus sanguine, calore, & motu vegetiore adhuc plenis præbeatur, quo in totius corporis ambitum actuari & distribui possit: tertium, ut non uno haustu, sed successive ac per vices ingeratur: quibus addimus quartum, ut corpus post epotationem vel motu ad sudorem usque exerceatur, vel in lecto calidis tegumentis probe foveatur.

## CASVS IV.

Femina XXX. annorum, victui crassiori salino indulgens & otiosæ vitæ dedita, sanguine abundans, alvum patitur crebriustenfam atque strictam, mensumque defectum experitur. Sanguis e vena missus apparuit glutinosus. Autumno gravissimo corripitur dolore circa nucham, qui sese ad aurcm extendit, parotidem totamque dextram maxillam cum inflatione atque rubore occupans, in dente carioso ejusdem lateris gravissimum dolorem excitat. Pulsus erat febriculofus, arteriæ fortiter circa tempora pulsabant, somnus inquietus vel plane nullus, & perpetuo salivalis latex ore effluxit. Ut his medelam faceret, externe utebatur linimento, quod habebat oleum hyoscyami, carvi & parum camphoræ, a quo dolor minime mitigatus, sed potius exacerbatus fuit, inflammatione in facie aucta. Curata vero est sequentibus. Primum mixtura, ex liquoris anodynii uncia dimidia, camphoræ, laudani opii cydoniati utriusque granis tribus paratæ, quindecim

*Odontalgia  
ex incon-  
grua diæta.*

cim guttas vel viginti, tribus de die vicibus sumsit. Secundo, loco potus ordinarii decocto hordei, scorzonerae & rasurae ligni sassafras, cum semine papaveris albi in emulsionem redacto fuit usa. III. Nuchae & capiti sequens applicatum fuit linimentum: Rec. aquae Anhaltinae, spiritus florum sambuci ana unciam, spiritus salis ammoniaci drachmas duas, nitri artificialis, quod preparatur ex spiritu salis ammoniaci & spiritu nitri, camphorae utriusque drachmam dimidiam, opii grana decem, olei nucisae destillati guttulas quindecim. M. Quod exterius adhibitum, egregium plane tulit solatium. IV. Mitigato paulisper dolore, alvus vacuata fuit cum infuso, quod capiebat folia fennae, rhabarbarum, agaricum, cremorem tartari, & passulas minores, cum aqua & vino. Ut vero dolores ex parte remiserint, remansit tamen fixus in gingiva circa dentis sedem cruciatus, cum insigni inflatione & rubedine, qui ad aliquot menses durabat. Ex consilio itaque Medici, & opera Chirurghi extracto dente, materia ichorosa & putrida in copia successive ex alveolo effluxit, cum plenaria doloris remissione. Foramen vero relictum usu adstringentis medicaminis fuit clausum.

#### *Epicriss.*

Ex hac morbi relatione discendum est, quod odontalgia frequentius conjuncta sit cum phlegmone seu erysipelacea quadam defluxione; quare etiam eodem modo ac via sanatio utriusque affectus instituenda. Et quemadmodum in erysipelaceis affectibus exterius applicata oleosa nunquam profunt, ita etiam in hoc casu ea non bene ferre potuit aegrotans, sed dolor potius discutientibus, temperatis & diaphoreticis auscultavit. In cacochymicis corporibus, maxime, si humorum adfociatur abundantia, frequentissime gignitur & quidem circa autumnum odontalgia; quo tempore etiam arthriticae affectiones familiarius occurrunt. Rebus itaque talem eventum fortientibus, ad praeservationem venae sectio, decocta lignorum

gnorum temperata, convenientia evacuantia, abstinencia a vino, cibisque salitis acrioribus, utilissimam, depurando totam sanguinis massam, locant operam. Porro, cum fistula facile generetur in maxilla, quando in ejus alveolis materia acris putrida stagnat & exitum non invenit, quæ non modo ipsum dentem sed ossæ etiam maxillæ substantiam exedit, corrodit & ulcus difficulter sanabile, quod cognoscitur ex dolore, tumore & rubore, nec non putridæ materiæ post compressam gingivalem carnem effluxione, efficit; ut mature ipse dens extrahatur, quo corrupta illa materia non solum habeat exitum, sed etiam medicamenta proxime ipsi ulceri applicari possint, maxime est necessarium.

## CASVS V.

Femina XXX. annos nata, venarum sectioni diu adfuetâ, quotannis eam, quotiescunque uterum tulit, omisit, ob vanum & nullis rationibus innixum metum, ne hoc evacuationis genus periculum portendat. Sed semper fere affecta est gravi odontalgia, junctâ cum tumore faciei seroso. Inter præludia vero hujus recurrentis affectus, ad frequentiam illius præscindendam usa est essentia, quæ constabat ex terra catechu, sanguine draconis, pauxillo aluminis usti & spiritu vini; qua tam externe, quam interne sumta, mox acerbissimi capitis secuti sunt dolores, cum summa præcordiorum anxietate, insigni virium defectu animique deliquio conjuncti. His cessantibus symptomatibus tumor utramque maxillam occupavit, quem externa applicata cataplasmata non sublevarunt, sed exacerbaverunt, ita ut intensiori febre facta & intercurrentibus animi deliquiis abortum passa fuerit. Tandem emplastro manus Dei pertinax ille in scirrhosam duritiem abiturus tumor fuit depulsus.

*Odontalgia,  
ex omissa  
consulta V.  
S. F.*

*Epicriffs.*

Gravidis familiarissimæ sunt propter plethoricum & cachymicum statum, & ob impeditiorem perspirationem, meningium-

sumque defectum, œdematosi vel etiam erysipelacci capitis & odontalgici affectus, qui matura venæ sectione, & eorum usu, quæ alvum clementer cum euphoria & per epicrasin movent, motuque insuper & victu moderato præscindi feliciter possunt. Si quis itaque excretionem humoris vitiosi, si jam imminet imprudenter velit impedire, quod fit adstringentibus; non potest aliter fieri, quin materia a sanguine jam segregata & corrupta in internas & nobiliores partes irruat, longe graviora symptomata inducendo. Notabile porro est, quod non secuta semper sint cataplasmata ex discutientibus etiam composita, quia sapius repellendi facultatem, dum videlicet humida non quisque ferre potest, nanciscuntur. Deinceps tumor serosus facile transit in scirrhosam duritiem, præsertim si nimis spirituosis discutientibus fuerit tractatus, qualis diutius inhæret, & difficillime resolvitur, neque facile emollientibus ad suppurationem disponi potest. Egregiam vero virtutem non semel sed aliquoties tali in casu experti sumus, ab emplastro sic dicto Manus Dei, quod maximam partem ex gummatibus compositum, atque in *Charas Pharmacopœa Regia* descriptum est.

## CASVS VI.

*Dolor dentium periodicus, ex vini & dulcium intemperantia.*

Vir sanguineo-melancholicus vino adsuetus & dulcibus ultra modum delectatus, ex carioso dente dira sæpius tormenta, præcipue autem tempore nocturno passus est. Dolor hic erat periodicus: incipiebat enim circa decimam horam, excrucians usque ad tertiam matutinam, nullo extrinsecus apparente tumore aut calore præternaturali. In cavitate dentis hærebat particula spongiosa exquisitissimo sensu prædita. Hujus foramini intrusa fuit essentia castorei, cui tantillum laudani opiatum admixtum erat. Ita quidem doloris atrociam quievit, nec per biduum reversa est; sed tertio die recruduit, & eadem hora rediit: non autem eodem remedio, sed ex camphora indita remisit. Elapsis aliquot diebus, cum idem dolor recurreret, nec camphora, nec prædicta essentia ullam

illum levamen afferebant; sed potius tunc ad oleum caryophyllorum confugiendum fuit, cujus una & altera guttula denti carioso immiffa levamen attulit. Accidit vero ut, cum fequenti feptimana malum eodem modo infectaret, neque unum ex hisce tribus, utut fingula applicata fuerint, quidquam in allevando malo præstiterint. Suafit, ut interne electuarium fuperius recentiffimum, cujus bafin conftituit rob fambuci, repetitis vicibus fumeret; externe vero balfamum noftrum vitæ naribus fufciperet & denti effentiam caftorei inderet; quo dolor etiam mitigatus fuit. Tandem dentis extractione facta, dolor nunquam rediit.

*Epicrifiſ.*

Hæc memoratu digna obſervatio luculenter docet, quam incerta & infida ſint ſpecifica ſic dicta antodontalgica externa, idque hanc ob rationem, quod fibrarum & pororum in partibus ſolidis textura, & ab ea dependens debilitas non ſemper eadem maneat, ſed brevi ab ipſis etiam medicamentis mutari poſſit: quo fit, ut idem remedium non eundem, ſed alienum plane ſæpe numero præſtet effectum. Parum itaque auxilii cum expectandum ſit ab externis, conſultius ſemper procedimus, ſi curam ejuſmodi affectuum congruis internis remediis adgrediamur & proſequamur, affectamque partem tantummodo in temperato calore & in expiratione æquabili & liberiori detineamus.

CAPVT X.

DE

DOLORE ET SPASMO

OTALGICO.

THESES PATHOLOGICÆ.

§. I

**C**irca dolorum & ſpaſmorum doctrinam dum verſamur, ille etiam qui ad aures pertingit & non minori ſævitia  
(*Hoffm. Syſt. T. IV. P. II.*) Qqq tia

*Definitio.*

tia ac ceteri affligit, non reticendus erit: licet breviter, quicquid de hoc affectu commemorandum, dicamus. Est vero otalgia gravis dolor, in aurium cavitate sive meatu auditorio consistens, a sero acri extravasato, & subsistente intra membranam nerveam meatum auditorium cingentem exortus.

## §. II.

*Genesis & causa.*

Pertinax hic aurium dolor, eos, qui rheumatismis & catarrhalibus defluxionibus sunt obnoxii, frequentius adortur, vel, si sudor consuetus supprimitur, aut caput sudore madidum ventis frigidioribus defubito exponitur, prognascitur. Sæpe causa, inflammatio vel ulcus aurium est, ubi insignis ardor, dolor tensivus, pulsatilis, rubor, febris imo delirium junguntur: interdum a vermibus excitatur, & dolor vagus lancinans atque rodens percipitur. Præclare ARETÆVS *lib. II. cap. III.* de aurium dolore sequentem in modum describit: *Acusticus porus difficillime sæpe doloribus vexatur, ut etiam occipitium teneant & oculos atque buccarum musculos, & perseveratione quadam tardissima tempora & caput. Aliquando etiam humoris fluor per easdem cavernas fit quem græci rheumatismum vocant, & ita jugis ut sæpe vulneret altiora atque corrumpat, & ossa carie inficiat.*

## §. III.

*Processus & symptomatica.*

Otalgia tanta sæpius vehementia affligit, ut in proventioris atque adultæ ætatis hominibus delirium excitet, cum summa inquietudine & anxietate conjunctum; quinimo epilepsiam sic fuisse introductam nos observavimus. Phlegmaticos autem licet minori gradu infestet, horrendos tamen in cholericis, capitis dolores cum quadam mentis alienatione, vigiliis & inquietudine infert.

## §. IV.

*Horum ratio.*

Ratio, cur aurium dolores tam crudeliter lædant, ut tolerari vix possint, in eo potissimum posita videtur, quod membrana aurem quæ investit, osseo illo meatu firmiter annectitur, adeoque magis tenditur, nec non a dura matre originem



ginem fortitur, nervorumque irreptatu dives est. Quo magis autem membranae nervae tenae atque expansae sunt, eo acutioribus doloribus ea sunt obnoxia: quemadmodum id liquido apparet in periostio, intra quod & subiectum os contentus saepe humor horrenda symptomata producit, quod in panaritio aliisque ossium vitiis videre est.

§. V.

Saepe otalgia symptoma febrium acutarum evadit, ubi materiae morbificae ad aurem per metastasin fit translocatio; quemadmodum in morbo Hungarico interdum evenit, ubi surditas vel ingens saltem auditus difficultas exoritur. Quae si in declinatione febris accidit infallibile convalescentiae praebet signum: sed tunc vitium in auris internae membrana & nervo acustico haeret. Quando vero metastasis ad aurem externam pertingit, tunc otalgia suboritur, quae, nisi cito succurramus, ob doloris atrocitatem demere vitam potest. Qui ex lapsu vel casu in terram otalgiam patiuntur; ubi materiam saniosam per aures reddidere, e medio omnes sublati sunt, teste RIVERIO *observ. XIX. p. 291.* HIPPOCRATES vero in *conc. praenot pag. 538. §. 58.* de exitu hujus morbi sequentia habet: *auris dolor pertinax, cum febre acuta & alio quodam signo aliquantum maligno juvenes quidem septima die occidit, & citius delirio correptos, si non multum pus effluerit ex aure, aut sanguis e naribus, neque aliud quoddam bonum signum compareat, Seniores autem tardius & minus tollit: nam & aures suppuratione praeventiunt & minus delirant. Verum multi ex his recidunt, atque sic pereunt.* Monere autem hoc loco debeo, quod hoc decretum Hippocratis magis de dolore & tumore inflammatorio parotidum intelligendum sit.

*Prognosis.*

METHODVS MEDENDI GENERALIS.

§. I.

In curatione hujus dira tyrannide aures exercentis aff- *Dolor com-*  
 Q99 2 *fectus, ponendus.*

fectus, omni ratione eo annitendum est, ut dolorum illa vehementia, quæ causam interdum gravissimis symptomatibus præbet, componatur vel saltim mitigetur. Id quod variis quidem modis tenrari atque obtineri potest. Nos autem aliis cunctis, pulveres nitrosos cinnabarinos, liquorem nostrum anodynum mineralem, nec non emulsiones seminum IV. frigidiorum majorum præferimus. Quibus nihil proficientibus, ad opium rite correctum fugiendum est, quo nomine massam pilularum de styrace, *Starckeï*, *Wildegansii*, laudanum liquidum *Sydenhami*, vel cydoniatum *Helmontii* commendamus.

## §. II.

*Externis.*

Externe emplastrum anodynum tempori lateris affecti nec non pone aures applicatum, quod ex mastiche, galbano, croco, oleo nucistæ expresso, castoreo, opio compositum est, desideratissimas fert suppetias. Dein etiam vapor ex lacte & speciebus fragrantibus atque emollientibus auri immixtus materiam peccantem non modo emendat, corrigit atque ad suppurationem disponit, sed & fibras nerveas nimis tensas relaxando dolorem solvit. Convenit quoque vesicam suillam decocto cum lacte ex floribus malva, verbasci, sambuci, meliloti, chamomillæ vulgaris, nymphaeæ, papaveris rhœados, semine lini & pauxillo croci repletam exterius adfecto lateri admovere. Fumus quoque nicotianæ cum fistula inversa auri immixtus, item millepedes in oleo olivarum vel amygdalarum amararum infusi, nec non oleum scorpionum ad dolorem, si ab inflammatione vel sero acri provenerit, compescendum, maxime valere creditur.

## §. III.

*Humor stagnans discutiendus.*

Quemadmodum autem ubicunque humor restagnat atque subsistit, is promovendus atque discutiendus est: ita etiam pulveres diaphoretici, leniter nitrosi, cinnabari, cum aquis diapnoicis atque analepticis propinati opportunissimam in hoc affectu locabunt operam. Plethora si urget, vena secanda: atque alvus renitens clysteribus emollientibus, vel inter-

internis laxantibus ex manna, cassia & rhabarbaro paratis, ad officium redigenda. Dignus certe est qui hac occasione commemoretur locus apud modò laudatum ARETÆVM, ubi curationem hujus mali pulchre admodum proposuit. *Vtendum inquit, loc. cit. requie corporis atque abstinentia & silentio summo: etenim organo auditorio accepta voce aures necessario commoventur, & propterea majores dolores efficiunt. Locandis præterea ægotantes calido in lecto, & si dolor coegerit, pblebotomandi, atque tertia die levi atque sartilii cibo reficiendi, & ob mitigationem doloris exterius admovenda vaporatio tepidi liquoris vel sacculi ex polline tenera confecti. Tum cataplasmata laxativa, & cum dolor initium sumserit, statim erunt admovendæ sanguisugæ quas birudines appellant circa fines auriculæ, vel circa ejus posteriora cucurbita admoda, scarificando, adhibita spongiarum calidarum. Ipsam quoque cavernam involuta lana per specillum oleo calido tinctum, paulatim penetramus, atque illic lana derelicta ferramentum destrabimus.*

### CAVTELÆ ET OBSERVATIONES

#### §. I.

Quandocunque dolor aurium a causa externa, immixta v. g. dura mole in aurem provenit, cujus rei exempla apud HILDANVM prostant, tunc in ipsa doloris sævitia neutiquam tentanda erit extractio cum forcipe vel alio instrumento: eo, quod non modo frustra hoc tentamen suscipitur, sed & dolor mirum adauctis symptomatibus intolerabilis redditur. Sub doloris enim impetu nervus auditorius meatu vehementiori spasmo constringitur, ut adeo, quacunque demum etiam leviori vi externa accedente, dolor exacerbetur, & meatu sic angustiore evadente, materiæ exitus eo magis prohibeatur. Rebus ita se habentibus, foris supra dicti potius locum invenit applicatio, vel aliquot olei amygdalarum

*Quid agendum, si a causa externa in aurem illapsa otalgia oritur?*

amararum in aurem instillatio; quippe quod præter vim demulcentem, sedativa quoque facultate est instructum; quæ ratione, dum membranæ tensæ emolliuntur & relaxantur, sola oborta sternutatione, corpusculum illapsum simul & semel sponte excussum fuisse, novimus. Atque, cum huc apprime quadrent, quæ monumentis suis reliquit TRALLIANVS, non possumus, quin ejus de hac re sententiam ad verbum recenseamus, quæ *libr. III. cap. III.* ita se habent: *Si lapillus, aut faba, aut aliud quicquam in aurem incidat, specillum lana involutum in resinam terebinthine aut glutinosum aliquod intingito, ac ubi in aurem injeceris leniter protrahito, & sternutationem excitans, os & nares obturato. Nam spiritus intentione, quæ ita fit, id quod intus impactum est, expellitur. Hoc autem continuo facito diligentiam adhibito, ut quam primum eximatur. Sin autem neque sic exciderit, inflammatione oboriente, convulsiones sæpe comitantur, ut etiam egri de vita periclitentur. Quare oleum quoque tepidum frequenter infundere oportet: sic enim locis inflammatione liberatis, id quod insidet, facile eximetur.*

## §. II.

*Materia purulenta diutius effluens divertenda.*

Otalgia plerumque a causa interna solvitur & abscessu finitur, dum materia purulenta ichorosa, ex ipsis glandularum meatum auditorium externe obsidentium atque cerumen alias largientium poris & tenuibus canaliculis, stillat. Ad quas etiam in infantibus, præsertim qui spongiosioris corporis sunt habitus, tantus sæpe humoris serosi fit affluxus, ut ingali morbi statu humorum imperus per laxantia leniora, manna, rhabarbarina, passulata, aliquoties repetita divertendus, vel pediluviorum, vesicatoriorum, aut cucurbitularum ope in provectioris præsertim ætatis hominibus, ad inferiora invitandus est. Hac ratione molestus hic aurium fluxus successive minuitur, & salvo auditus organo sanatio perficitur.

## §. III.

## §. III.

Quando major jam puris copia post inflammationem præcedentem ex aure effluxit; tunc, præter ea, quæ humorum impetum, a capite & auribus divertunt, quæ leniter exsiccant, putrediniquè resistunt exterius admovenda sunt. Veteres eo sine pastillos, ex aloë, croco, myrrha, sarcocolla, confecerunt, & aurium cavernis indiderunt, vel mulfum ex vino factum cum mali punici cortice, nardo, amygdalis amaris, croco, myrrha, alumine, vel herbarum vulnerariarum succis coctum, cavernæ aurium, si humor fortius effluerit, infuderunt. *Qua de re evolvendus CÆL. AVRELIANVS libr. II. cap. 3.*

*Leniter exsiccanda.*

## §. IV.

Cavendum vero est, ne diutino aurium purulento fluxui, a quacunquè etiam causa proveniat, externis validioribus exsiccantibus & fortioribus adstringentibus desubito obex ponatur. Exinde enim ingentem parotidum tumorem, cum summo dolore sævisque symptomatibus stipatum, profectum fuisse, nostra pariter & aliorum fide constat.

*Tamen non subito inhibenda.*

## §. V.

Quandocunque febribus acutis supervenit atrox ille aurium dolor cum intumescencia parotidum; non præsentius auxilium, ac in cucurbitularum cum scarificatione in nucha appositione, & solius cataplasmatibus emollientibus, ex caricis pinguibus, croco, melle, succo ceparum tostarum & radice liliorum alborum parati tepido usu, me invenisse plena fide testor.

*Parotides in febr. quomodo abigenda?*

## §. VI.

Si dolor a vermibus aurem ingressis ortum traxerit, lacte tepido auribus immisso hi eliciendi, vel oleo absinthii, nucleorum Perficorum aut amygdalarum amararum sunt enecandi.

*Vermes vel eliciendi vel enecandi.*

## ENARRATIONES MORBORVM.

## CASVS I.

*Otalgia suffimigiis & emplastro brachii tumori applicatis indulta.*

Nobilissima Virgo quinquagesimum quæ jam complevit annum, activi ingenii, sanguineæ constitutionis, decem abhinc annos dolorificis partium externarum fluxionibus a sanguine nimium abundante, & ob ejus tardiosem progressum impuriore reddito subortis continuo fere fuit obnoxia. Me quum hac de re consuleret, ut ter minimum singulis annis nimiam redundantis sanguinis quantitatem e seâta vena detrahi curaret, auctor fui: unde melius etiam se habuit. Consueta vero hac sanguinis educatione æquinoctio autumnali intermissa, atque sudore nocturno ulitato, ex improvida brachii dextri refrigeratione, cohibito, postero die ingenti dolore una cum tumore in ejusdem brachii cubitu tentata fuit; qui adeo sensum increfcebat, ut brachium neque flectere neque attollere potuerit. Ad hanc molestiam abigendam, amicarum suasu, frequentius ex gummatibus resinosis, succino, tacamahaca, usa est suffimigio: quo remissior quidem dolor redditus, sed tumor mutata sede superiorem humeri partem invasit, qui insignem in magnitudinem increfcebat. Huic cum a Chirurgo emplastrum applicaretur, evanuit ex parte quidem, sed in dextrum capitis latus irruens, in aure potissimum horrendum & acutum dolorem, ut vix ferendo illi par esset ægrota, introduxit. Totum dein caput insigniter tumefactum comparuit, auditus aderat summa difficultas, atque e naribus aliquot sanguinis guttæ cum mucosis multis humoribus secesserunt. Consilium meum, cum per Medicinæ Candidatum qui mihi ad manus erat exquireret, consultum primo omnium duxi, ut aperiretur vena pedis sinistri, quo abundanti nimium sanguini quodammodo exitus detur; deinceps, ut infuso foliorum fennæ & rhabarbari cum decocto passularum minorum, sordes e primis viis blande edacerentur. Quibus præmissis, tenuem victum & pro potu decoctum,

atum, ex radice sarsaparillæ, glyzyrrhizæ & floribus papaveris rhœados sumendum imperavi; atque ad successivam transpirationem & uberiorem pravi humoris subsistentis promovendam distillationem, ut aequali lecti calore corpus foveret, & mixturam, ex aqua florum sambuci, cornu cervi usto, antimonio diaphoretico & pauxillo nitri frequentius usurparet, laterique dolenti facculum supra descriptum leniter calefactum applicaret, suasi. Et ita circa undecimum diem, largo sudore sponte erumpente, totum corpus fuit perfusum, evanescente penitus permolesto accidente. Cum vero auditus gravitas cum dolore pressorio remaneret, consilium dedi, ut panis cum semine foeniculi igne cocti, recenter ex furno extracti & discissi vaporem meatui auditorio reiteratis vicibus admitteret. Quo pacto expurgata demum pilulis balsamicis & cephalicis nostris, sordium mole, pristina valetudini sensim sensimque Nobilissima Patiens fuit restituta.

*Epicrifs.*

Ex hujus affectus generandi, pariter ac eum curandi modo, Medicorum juniores plura ad praxin utilia momenta capere & depromere possunt. Primo, quod dolores ejusmodi rheumatici, a venæ sectione neglecta & sudore consueto salutare cohibito, originem suam ducere possint. Dein, quod ad eos abigendos suffimigia non satis sint secunda remedia, dum tonum cutanearum fibrarum nimium augendo, pravorum humorum motum ad interiora convertunt, quum potius ejusmodi vitiosi humores sensibilibus corporis partibus & poris inhærescentes successive & placide commovendi, & ad liberiolem exhalationem incitandi sint. Et quod, tertio, in ejusmodi pertinacibus rheumatibus profligandis longe magis circumspecte & efficaciter agat Medicus, si non multis activioribus sudoriferis naturam lacestat, sed tempus expectando, blandis & temperatis ad diapnoën disponentibus re-

mediis utatur : qua ratione contingit, ut natura sponte sæpe critique & salutariter morbum solvat.

## CASVS II.

*Otalgia im-*  
*manis, ex*  
*ingesta vini*  
*copia & se-*  
*quente re-*  
*frigeratio-*  
*ne.*

Generosus Senex sexagenario major, macilentioris staturæ sed floridæ faciei, olim cum inter Westphalos medicinam facerem, consultum me adiit, qui a convivio, in quo vinum liberalius potaverat, sub aura nocturna peregre domum reversus, altero mane de gravativo capitis dolore, finistrum præsertim latus affligente conquerebatur. Huic mox dolor auris valde acutus successit, qui tam atrociter intra paucos dies invalescebat, ut non modo omnem somnum adimeret, sed & tremorem partium universi corporis cum frigore excitaret, adeoque non frustraneus esset convulsionum metus. Intolerabilibus plane dolorum tormentis miserrime excruciatum Senem inveni, qui non nisi a globo per sclopetum trajecto levamen optabat: tantæ insanæ & desperationi proximus erat. Exterius, dolente in parte nihil præternaturale conspiciendum erat. Itaque alvus aliquoties a clysteribus ut aperiretur, curavi: atque interne non nisi pulveres antepilepticos, cum nitro, cinnabari & pauxillo laudani opiatî remixtos propinavi, vaporem quoque decocti florum chamomillæ cum lacte auri frequentius admovendum præcepi: eo quod intra meatum auditorium consistere dolorem, conquerebatur. Tandem elapso die septimo, mitescente doloris sævitia, corpus madore perfusum, pulsus redditus sedatior & mollior, qui ante contractus & durus erat, urina quoque antea valde tenuis & aquosa, crassius nunc sedimentum deposuit, & denique sponte aperto abscessu, ex aure successive duobus purulentæ materiæ cochlearibus effluentibus, omnia & singula gravia symptomata penitus remiserunt atque evanuerunt.

*Epicrisis.*

Mirari omnino subit, Senem nostrum tam valenti & robu-



robusta natura adhuc gavifum fuiffe, ut adeo gravem capitis affectum, qui totum nervofum fyftema afflixit, feliciter fupere potuerit. Atqui in hoc genere hæc ipfa curatio, quæ plus naturæ quam arti debetur, infigne autocratia naturæ exemplum præbet. Venæ fectionem cui non adfuetus erat, nolui admittere, nec fortioribus, fed leniffimifantum remediis atrociffimum morbum in fene pertractare æquum duxi. Et hæc viri magna auctoritate in principatu Mindenfi pollentis e tam gravi morbo evafio, mihi tum temporis juveni Medico, magnam fupra meritum meum famam & exiftimationem conciliavit.

## CASVS III.

Generofæ feminæ, viduæ confiliarii Aulici filia, decem annorum puella, tenerioris & mollioris naturæ, de languore, inappetentia & doloribus abdominis, pungitivo etiam circa hypochondria, querelas cum ejulatu intulit maximas. Somnus erat exiguus, cum pavore plerumque comitatus. Præfentiam vermium horum pathematum caufam cum judicaviffem; quæ iis & enecandis & expellendis accommodata videbantur, a me fuerunt præfcripta: at vero in cafum adhibita. In lecto detenta per mensem & ultra, perpetuas de hifce fymptomatibus movebat querimonias. Tandem facta dolorum ex imo ventre evanefcentia, cephalalgia cum auditus difficultate graviter tentabatur. Accessit affidua vigilia, adeo ut per quatuor & quod excurrit hebdomadam fpatium ne horam quidem capere fomnum potuerit. Quotidie delirabat; nec quicquam cibi vel potus affumfit, auditu penitus amiffo. Nihil ad vitam & vires confervandas præter intritum cerevifiæ cum pane cepit: quippe medicamina cuncta, omnia jufcula atque alimentorum genera refpuebat. Frequenter ægram invifebam: & quum urgeret confilium moeftiffima mater, me nihil certi de morbo ejusque eventu edicere poffe fallus fum, DEO, naturæ & tempori opus relin-

*Otalgia di-  
urna mira  
crudelitate  
ludens, ef-  
fluxu puris  
foluta.*

quere consultius ducens. Tandem præter omnem opinionem evenit, ut nocte multum purulentæ materiæ aure effluxisse deprehensum fuerit, majori quantitate sensim succedente. Ita ad miraculum intra diem & noctem rediit somnus, revertit auditus, utut adhuc gravis, & pedetentim appetitus & vires revocatæ sunt: verbo, DEI ac naturæ beneficio redita valetudini fuit nobilis puella, bona adhuc dum & prospera valetudine utens.

*Epicrisis.*

Et hoc quoque exemplum plane evincere & demonstrare potest, causas morborum adeo abstrusas sæpe esse, ut mentis acie Medicus vix eas penetrare possit. Videmus tamen iterum ex enarrata historia, quomodo solus atrocior capitis dolor omnes functiones animales & naturales pervertere imo propemodum destruere valeat, atque a sola violenta nervosarum & fibrosarum partium agitatione, commotione & distractione proxime proficiatur. Hinc etiam fit, ut dolore sublato, tanquam causa horum acerborum symptomatum proxima, omnia ad pristinum & naturalem statum redeant.

CAPVT XI.

DE

DOLORE PODAGRICO  
ET ARTHRITICO VERO ET  
INVETERATO.

*THESES PATHOLOGICÆ.*

§. I.

*Differentia  
podagræ in-  
cipientis a  
radicata.*

**D**iscrimen podagræ & arthritidis recentis ab ea quæ radicata & inveterata est, insigne in prognosi & praxi medica

medica habet momentum: nam illa est magis transitoria, ætate florentes & sanguine ac succis plenos ob vitium in rebus non naturalibus commissum corripit, & rheumatismi simplicis species est; hæc vero magis hæreditaria, corpora imbecilliora invadit atque in sanguine & sero corrupto radices agit, difficulter etiam tollitur, & sæpius ad mortem usque durat.

## §. II.

Quum nemo ideam, historiam, ac progressum podagræ melius & rectius SYDENHAMO, qui ipse fuit podagricus, delineaverit; placet hoc loco ex ipso Auctore breviter & concinne eam exponere: Podagra exeunte Januario, aut incipiente Febuario derepente & nulla fere præsentione antecedente ingruit, nisi quod ventriculi cruditate, aut aepsia ad septimanas aliquot æger laboraverit; corporis interim intumescencia quasi ventosa ex gravitate, quæ in dies augetur, donec tandem detonet paroxysmus, quem paucis diebus præit torpor & quasi flatuum descensus per femorum carnes cum affectione *ακαταμοεσθής*, tum etiam pridie paroxysmi, appetitus voracior, non tamen naturalis. Sanus lecto somnoque committitur; hora vero secunda post mediam noctem excitatur a dolore pollicem pedis ut plurimum occupante, quandoque vero calcaneum, suram aut talum: hic dolor eum refert, qui ossium dictorum dislocationem comitatur, cum sensu quasi aquæ tantum non frigidæ partis affectæ membranæ affusæ. Mox sequitur rigor cum horrore & febricitatione aliquali. Dolor autem hic primo remissior gradatim intenditur (pari passu rigor & horror recedunt) idque in singulis horis, donec tandem sub noctem ad apicem pervenerit, se ad varietatem officulorum tarfi & metatarfi, quorum ligamenta obsidet, perbelle accommodans; nunc tensionem violentam, vel ligamentorum istorum dilacerationem, nunc morsum canis rodentis, quandoque pressuram & coarctationem exprimens. Adhæc, ita vivum exquisitumque habet sensum pars affecta, ut nec linteorum superincumbentium pondus, nec cubiculi

*Historia podagræ ex Sydenhamo.*

a fortiori ambulatione concussionem ferre valeat: hinc mille conamina, situs tum ipsius corporis, tum membri affecti mutatione assidua, doloris sedationem incassum exambit; quæ tamen non contingit ante horam secundam tertiamve matutinam (decurso scilicet nycthemeri spatio a primo appulsu paroxyfmi;) quo tempore æger post materiæ peccantis modicam digestionem & distationem aliqualem, subito a dolore respirat. Jam leni madore perfusus somno concedit, a quo evigilans, dolore multum imminuto, partem affectam tumore recenter occupatam cernit. Intra paucos dies alter pes eodem dolore torquetur, easdemque excitat tragoedias, nonnunquam etiam ambos pedes in initio occupat: postquam utrumque pedem exercuerit, qui sequuntur paroxyfmi abnormes sunt, tum etiam quoad durationem; hoc tamen ubique servat, quod dolor noctu recrudescat, mane vero remittatur; atque ex serie horum paroxysmulorum constat paroxysmus, qui dicitur podagræ, diuturnior breviorve pro ægri ætate, &c. quod in vegetioribus, & iis, quos podagra rarius invisit, diebus sæpe quatuordecim fit; in senioribus, atque iis, quos sæpius affixit, duobus mensibus; iis vero, qui aliquot annis podagrici fuerunt, non prius valedicit, quam ætas adultior eam fugaverit.

## §. III.

Ad quatuordecim primos dies urina coloratior est, quæ post separationem sedimentum rubrum, & quasi arenulis refertum deponit; nec æger ut plurimum nisi tertiam potulentorum quæ assumsit partem per vesicam reddit; alvus item ad dictos fere primos dies constipata est. Appetitus prostratio, rigor totius corporis sub vesperam, partium etiam non affectarum gravitas & molesta sensatio integrum paroxysmum comitantur. Recedentem paroxysmum excipit pedis affecti pruritus vix ferendus, maxime inter digitos, unde decidunt furfures, & pedes ipsi quasi ab epoto veneno desquamantur.

## §. IV.

*Ulterior  
progressus  
& terminatio.*

## §. IV.

Atque hoc modo se habet podagra regularis, cum vero vel indebita medicatione turbetur, vel diuturnior invaserit jam per annos aliquot, phœnomena sunt multum diversa a jam descriptis. Jam manus, carpos, cubitos, genua, aliasque regiones occupat; quandoque digitos distorquens, motu paulatim privans, tandemque concretionem, circa articulorum ligamenta, tophaceas generans, cretam vel oculos cancerorum amulantes; nonnunquam in cubitis tumorem subalbum ciet, fere ad ovi magnitudinem, qui sensim inflammatur; nonnunquam femur occupans, sensum exhibet quasi ingentis ponderis appensi, sine dolore tamen notabili; ad genu exinde petens, id acrius urget, artus jam habet æger fere undequaque contractos & impeditos, ita ut claudicet, & permolente prorepat.

*Symptoma morbi post annos aliquot insistentis.*

## §. V.

Ex veteribus omnium optime historiam arthritidis descripsit CÆLIVS AVRELIANVS *Lib. V. cap. II. morborum chronicorum* hunc in modum: Sequitur autem passione articulari tentatos torpor, atque formicatio eorum articulorum qui tanguntur, & difficilis flexio, atque rursus extensio: item gravedo & vacandi dulcedo, & ad parvum motum vehemens labor, atque dormientibus sensus quidam resonantium articulorum, & cum de somno surrexerint, veluti saltu earundem partium afficiuntur: tum horror, vel rigor, atque tremor sine ulla manifesta ratione partium sequuntur. Dehinc cum passio se extollere cœperit, in podagricis dolor alterius pedis, aut utriusque cum punctationibus nascitur, incipiens a vestigio aut plantæ cavitate, vel sæpius a majore digito, attestante torpore, & gravedine, & difficili motu, cum horrore rigido, atque inæquali per membra, & aliquando plurimo fervore, aliquando frigore, ut alii refrigerantia, alii calida desiderent ægrotantes, & propterea quidam alteram calidam, alteram frigidam podagram putaverint nuncupan-

*Descriptio arthritidis ex Aureliano.*

pandam. Item initio, ut sæpe contingit, similis color patientium atque sanarum videtur partium, attestante æqualitate, nullo emergente tumore. Dehinc inflatio partium fit cum rubore. Quapropter relevatio altiorum sæpe sequitur. Tum pejorante passione arthritica sufficitur passio, cum in unum omnium cogitur articulorum consensus, & facile ex articulo in articulum venit dolor, nec desinens priusquam cunctos invaserit nodos. Sæpe denique prioris articuli dolore declinante secundus invaditur, atque eodem similiter mitescente tertius sumit exordium, consentiente etiam vesica, atque spina majoribus nervis, quos *τένοντες* appellant: & in stomacho etiam nausea vel vomitu jaçantur ægrotantes. Tunc articuli tumentes inflantur, ac deinde durefcunt, & solidati faxeam faciunt qualitatem: tum etiam nigriores efficiuntur, atque contorti, ut in obliquos partes digiti vertantur, aut reflexi supinentur, aut vicinis adfixi incumbant, & aliquando humore purulento vel mucilento collecto, aut viscoso generent poros, quos non transitus dicere poterimus: dehinc etiam lapides sufficiant, qui quidem articulos solvant, & cutem distendant, atque erumpentes promineant, & Chirurgia detrahantur: aut exilientes cyathis, cum ferramento tollantur, quod nos laureolum dicere poterimus, & rursus renascantur. Tum membra dolentium partium, cessante nutrimento, tenuata languescunt, & arida efficiuntur. Erunt præterea ægrotantes parvis ex causis mobiles atque iracundi, siquidem motum vel actum non sine querela accipiant.

## §. VI.

*Ratio formalis podagricæ.*

Podagræ igitur rationem formalem, si rectius investigare velimus; consistit ea ipsa in vehementi spasmò, quo membranæ ac ligamenta nerveo-tendinosa, quibus ossa in sedibus suis collocata retinentur & firmantur, violenter lancinantur, divelluntur, distrahuntur sæpe ad rupturæ usque vel pali infixi sensationem, a sero vitioso acri salso, per minimas arteriolas & exiles glandulas ligamentorum copiosius adve-

cto

æto suscitatus, cum febrili motione & partis adfectæ inflammatione conjunctus.

§. VII.

In hoc adfectu atrocem spasticum dolorem fibrillarumque & membranarum nervearum stricturam excipiunt atque indicant varia phœnomena & quæ hoc dolore correptis contingunt symptomata: videlicet invadente dolore pori cutis in pede angustantur, influxus sanguinis & refluxus debitus impeditur, sudor ac transpiratio nunc cohibetur, nunc augeatur, membrum rigore ac rubore concutitur, venæ disparent, & valde sensibilis in parte affecta distensio & distractio percipitur, concomitante æstu, rubore & subsequente tumore. Spasmus autem hic non tantum in afflicta parte incipit & subsistit, sed ulterius serpit, inque consensum trahit alias eximioque sensu præditas internas partes, quæ simili spasmō affectæ varia producant symptomata. Unde non ignota potest esse ratio, quare frequens oscitatio, flatuum descensus per femoris carnes, horripilatio per dorsum ac lumbos, ac febriculosus pulsus, præcordiorum anxietas, animi defectio, somni inquietudo, torpor atque vermiculatio articulorum, ciborum inappetentia, nausca, in furis quasi convulsio, vomitus ubi imminet paroxysmus vel jam præsens est, ægros infestet? quæ omnia ex spasmodica constrictione & inde resultante sanguinis motione non possunt non originem suam repetere.

*Symptomata spasmō debentur.*

§. VIII.

Hujus argumenti veritas, nimirum quod arthritici & podagrici doloris essentia in spastica fibrillarum nervearum contractione versetur, ulterius exinde clarius demonstrari potest, quod, quandocunque materia serosa acris arrodentis indolis e partibus dolentibus perversa medicatione aut alia fontica causa ad nobiliores internas partes nervosas repellitur, atroces in iisdem dolores & spasmi excitentur. Ita in praxi frequentibus & fere quotidianis constat observationibus, a materia podagria retrocedente, si ea fertur in cranii

*Id demonstratur.*

membranas, gravem cephalalgiam, in membranas dentium atrocem odontalgiam, in tunicas ventriculi, ejus spasmm, singultum, vomitus seu cardialgiam, in pulmonum tunicas nerveas, tussim convulsivam & asthma spasmodicum, in membranas costarum pleuritidem spuriam, in tunicas intestinorum, gravissima tormina & colicum dolorem, denique in viis urinariis & vesica ischuriam & spasmm excitari.

## §. IX.

*Causa efficiens*

Exposita sic indole podagræ, quæ in spasmo dolorifico, omnium ferme symptomatum parente consistit, excutendum ulterius remanet, quænam hujus effectus causa, atque in quibusnam partibus generis mali existat? Medicorum recentiores ferme omnes in hac sententia videntur convenire, podagram morbum esse metastaticum salinum, a collectione salis fluidi acris stimulantis intra membranas ac ligamenta articulorum productum. Cujus generis autem ac ingenii illud sal sit, dissentire videntur. Alii acidum, alii sal tenue corrosivum biliosum, alii austerum & stypticum principium incusant. Nos purum & sibi relictum acidum in animantium corporibus vix reperiri existimantes, tartareum illud esse asserimus, ita tamen, ut acidum quoad figuram suam scindentem spiculatam, haud secus ac in tartaro prædominetur. Interim tamen non negamus, pro diversitate morbi atque ægrotantium natura ac temperamento, & pro causarum antecedentium diversa indole, majori volatili acredine biliosa, vel fixiori, serum, quod salium morbosorum est vehiculum, esse imbutum; unde etiam arthritis variat, & volatilis & fixus exurgit dolor, magis vel minus ardore atque inflammatione infensus.

## §. X.

*Quæ sententia stabilitur.*

Multa autem sunt, quæ peccantem materiam tartaream subinde peccare evincunt. Etenim experientia compertum est, ad calculum dispositos ut plurimum evadere podagricos, & hos e contrario calculo tentari, ita ut affectus hi invicem fororientur, & unus in alterum facile abeat. Serum autem



in dictis morbis tartarea falsedine imbutum esse, nemo qui gnarus rerum medicarum est, ibi inficias. Accedit, quod in consummata podagra vel ischiatide ligamenta juncturarum erosa a sabulo tartareo ibi subsistente reperta in sectionibus fuerint. Quin imo tophacea materia, quæ intra articulos in senum qui acido abundant, podagra, copiose quandoque reperitur atque eximitur, manifestissime naturam tartarei salis, quod ex acido & copiosa terra constat, demonstrat. Ita KERCKRINGIVS sub examine chymico ex ejusmodi tophis sive materia podagrica, elicuit spiritum quandam inter spiritum tartari & salis ammoniaci quodammodo medium, hoc nimium acidiorum; illo vero mitiorem: & oleum, oleo tartari foetido colore, foetore & consistencia in omnibus simile: nec non sal ex capite mortuo quod extraxit, ab eodem sale tartari parum abludens, nisi quod sapore quodam extraneo infestus, ingratam quandam pariebat nauseam, vid. *Spicil. anat. obs.* 28.

## §. XI.

Sic observatum quoque fuit ab Auctoribus, podagricorum excrementa nimirum sputum, urinam, sudorem collecta, prævia evaporatione, præbuisse materiæ candescentis concretæ in tartari consistenciam insignem copiam. vid. PECHLINVM *obs.* 25. & KERCKRINGIVM *l. c.* Notavi ego in Viro generoso, qui subinde podagra divexari solet, sequentia: hic paroxysmum imminens præsentire solet maxime ex colore annuli, quem digito gerit, ex mercurio mediante venere ac tutia confecti, qui aliquot dies ante paroxysmum & per totum morbi cursum livorem ac nigredinem contrahit, qui sponte tandem desinit, pristino redcunte colore sub declinationis tempus. Id quod curiosum phænomenon meæ sententia effluviis salino-sulphureis per transpirationem prædeuntibus adscribendum venit. Taceo materiam in articulis podagricorum collectam, & quandoque vesicatoriorum vel aliorum remediorum usu effluentem, summe corrosivam, ipso

*Et ulterius  
probatum.*

sensu teste, naturam præ se ferre. Confirmare inter alia præsentiam tartarci fluidi salis in podagricis videtur nimia potatio vinorum tartareo talismodi succo scatentium, quæ podagram generare solent frequentissime; item nimia ciborum appetentia & voracitas, maxime ante tempus invasionis, quæ sine dubio lymphæ acidæ abundantissimi in salivali & gastrico fluido debetur.

## §. XII.

*Salsartareum cum mucilagine glandularum congregatur.*

Congreditur autem tartareum hoc sal cum mucilaginose ac pingui, quo articuli & juncturæ omnes gaudent, rore ac glutine, quod secundum naturam insipidum, ossa, juncturas, ac cartilagine lævigare & obducere solet. Notabile enim est, sub membranoso ligamento, quo articuli firmari solent existare tunicam mere glandulosam ac vesiculosam, quæ etiam synoviæ sedes est, in quam terminantur maxime in homine multæ vasorum sanguiferorum ramificationes, hæcque tunica, propter laxitatem suam minime inservit ossium conjunctioni, sed mucilaginem certam instar ovi albuminis, licet non semper adeo claram & limpidam secernit. Præterea in majoribus articulis existant quoque corpora glandulosa pinguedine obsita, quæ similem mucilaginem a copiosis sanguineis vasculis ibi fecernunt ad lubricandas juncturas ipsasque ab incallescencia & attritione conservandas, uti copiose pariter ac solide id deduxit celebris Anglus CLOPTON HAVERS, in *Osteologia*. De hoc ipso glutine articulorum jam dudum divus HIPPOCRATES in *Libr. de locis in homine*, sequentia pronuntiavit: *Humidum nativum articulorum ubi male valet, male habent articuli; ubi bene, & ipsi articuli.*

## §. XIII.

*Exinde coagulum: quod cruciatuum causa mediata est.*

Quotiescunque itaque serum falsum excrementitium in sanguine superabundans descendit per glandularum poros nimis laxatos ad ipsos articulos, non modo coagulum mucilaginis efficit, quod difficilius postea resolvitur, vel etiam, si in copia adfuerit, in gypseum corpus tandem convertitur, verum

verum & intra subtilissimi sensus membranas incarceratum propter angustissimas vias, minus commode propellitur nec evaporat, sed detestabiles cruciatus in parte affecta suscitatur: cuius sapientius tanta est sensibilitas, ut omnia quantumvis leniter admota tegumenta vel medicamenta officiosamque manum vel e longinquo reformidet. Attentione dignum est, nihil magis mucilaginem articularum destruere atque coagulare, quam acidum tartareum sal lenius v. g. acetum vini, vel vinum rubellum album, neque tantam mutationem atque coagulationem ipsi inducere aliud potens, uti oleum vitrioli &c. sicuti id variis experimentis clarissime demonstravit *Clopton Havers l. c. p. 258.* evidenti scilicet documento, vina tartarea aptissima esse ad procurandos paroxysmos arthriticos, ubi tonus glandularum debilitatus est & patiens aliquam ad hunc affectum dispositionem habet.

§. XIV.

Quemadmodum vero in senibus neque minus in hypochondriacis & calculosa nephritide laborantibus podagricis serosa sanguinis pars tartareo fixiori acido referta est: ita in corpore bilioso calidæ temperaturæ virili, ubi arthritidis & podagra magis calida vaga, dum ex una parte in alteram transit, serum biliosis acris sulphureis imo alcalinis onustum est, Sic *Acta Erud. Ann. 1698.* referunt, Medicum Anglum *Colbatch* serum podagricum miscuisse cum syrupo violarum, & semper colorem cœruleum in viridem mutatum observasse.

*In podagra calida serum sulphureum, acre &c.*

§. XV.

Deinceps quoque illud animadvertione dignum est, quod nullus paroxysmus podagricus sine motu febrili sit, quem præcedens lassitudo corporis inquieta horripilatio, refrigeratio extremorum, oscitatio, alvi obstipatio, pulsus citior, sitis, vigilia & subsequens æstus, ejusque circa noctem exacerbatio, urinæ in principio tenues & aquosæ spasmō vero remittente crassæ cum sedimento, neque minus solutio doloris &

*Paroxysmus podagricus, febre stipatur.*

spasmodum per sudorem copiosiore fati evidentèr arguunt: cujus motus febrilis beneficio fit, ut excrementitiæ serosæ salinæ peregrino caractere imbutæ sordes, ex parte per varii generis in corpore nostro organico constituta colatoria & emunctoria foras salutariter eliminantur atque excernantur. Hic motus quoque auctior febrilis solidorum & fluidorum, qui non actu electivo, multo minus morali & rationali fit, genuina causa est fevorum dolorum ac spasmodum in partibus extremis, qui paroxysmis in podagra nunquam non associantur, dum videlicet ad nervosas & valde sensilis texturæ articulorum membranas & ligamenta, quibus complures exiguæ glandulæ inhaerent & quæ minus congrua sunt salium excrementitiorum emunctoria, cum impetu impurus serosus sanguis advehitur & congeritur; ubi postea ichorofus ille latex præter naturæ ordinem separatus, stagnans & subsistens ejusmodi atroces naturæ humanæ plane insensos spasmos & dolores concitat; qui quò vehementiores sunt, eo plus febrilem æstum incendunt, atque symptomata exacerbant. Siquidem id probe tenendum est, duplicem in paroxysmis ejusmodi arthriticis & podagricis observari febre, essentialem & symptomaticam, illa ad naturam catarrhalis, vel in sanguineis ad synochæ simplicis genium accedit, cum qua paroxysmus incipit & progreditur, noctuque habet suas exacerbationes: altera vero symptomatica doloris acerbioris soboles est, & inflammationem insequitur.

## §. XVI.

Quod autem humor vitiosus non intra omnes articulos & quidem mediante tunica ligamentorum glandulosa, sed duntaxat certis in partibus separatur, ut videmus in chiragra, gonagra, podagra & affectione ischiatica; id potissimum tono & robori destructo horum ligamentorum, quæ articulos firmant, adscribendum est. Quod vero ad pedes frequentius feratur ac descendat, hæc subesse ratio videtur, quod pedes frigori humido, quod valde eorum naturalem tonum lædit,

*Ratio cur-  
materia vi-  
tiosa certis  
solum par-  
tes occupet.*

dit, plus quam aliæ partes expositi sint; deinceps quod a calceorum pressione ac strictura copiosi tubuli arteriosi & venosi minimi, per quos libere humor redire & circulari debet, valde comprimantur: accedit quod lentior & tardior per partes a fonte caloris corde nempe remotas, ob situm etiam perpendiculararem, lymphæ ac humorum sit circulatio. Superest adhuc una ratio & quidem præcipua, scilicet quando pedes dolor affigit, cogimur quiescere, ne deterius fiat malum; quies autem ulterius nocet, dum humores ob motum cessantem, ibi magis tenentur subsistere, & ita imbecillitas augetur: sic edocemur familiari exemplo, quando pedem diu in uno situ tenemus, vermiculationis sensum oboiri. Vocanda huc quoque est in auxilium, nativa pedum imbecillitas a parentibus podagricis contracta, quæ partim in spirituascencia humorum deficiente, & inde resultante partium solidarum maxime extremarum debilitate, vel in ipsa prava textura & conformatione, & pororum dispositione consistit. Idem obtinet in aliis artubus, quos occupare solet dictus dolor arthriticus.

## §. XVII.

Vnde vero tanta feri excrementitii ex parte salis & tartarei, ex parte etiam acris biliosi colluvies, in arthritidis & podagræ subjectis corporibus ingeneretur, quæ proinde & motuum febrilium podagricorum & acerbissimorum dolorum veram & materialem causam constituit, vix aliam quam naturæ ægrotantium debilitatem & vitium in usu rerum non naturalium commissum reperire & incusare licet. Per naturæ debilitatem vero nihil aliud intelligimus, quam talem, a natiuitate, solidorum, quæ fluida continent, movent, imo motibus vitalibus secretoriis, excretoriis præsent, non satis validam & robustam conformationem & structuram a parentibus potissimum acceptam: hinc natura debiles & morbofi parentes, ut sunt hypochondriaci, hæmorrhoidarii, podagrici, calculosi, aliisque anomalis motibus obnoxii, etiam liberos in hos morbos

*Copiosus ser-  
vi impuri  
proventus.*

*ex debilita-  
te.*

bos proclives generant. Nam quando ipsos podagricos, qui diutius hoc morbo affecti sunt, spectamus ac consideramus, plerique sunt habitus minus fibrosi, spongiosi, tenerioris, qui nervos & tendines habent exiguos, copiosis & valde exilibus vasis donati, qui sanguine multo seroso, qui e vena emissus in oculos incurrit, abundant, & hinc etiam in primis annis narium hæmorrhagiis & in provectiore ætate hæmorrhoidum fluxui sunt obnoxii & assueti, animi quoque sunt inconstantioris mobilioris, ad omnis generis passiones vitalibus motibus nocivas proclives; quæ cuncta satis totius naturæ microcosmicæ imbecillitatem arguunt atque demonstrant. Accedunt postea satis insignes diætæ atque in regimine vitæ aberrationes & vitia, quæ ita sunt comparata, ut non modo partium solidarum tonum, robur ac vim systalticam motricem plus debilitent ac labefactent, sed etiam multos crudos, intemperatos, naturæ & succis vitalibus, qui blandi esse debent, plane alienos humores invehant, & ob imminutum salutarium excretionum negotium plus justo in corpore retineant & accumulent.

## §. XVIII.

*Ad quam  
conferunt:  
Venus im-  
moderata.*

Ex iis vero, quæ nervosis & motricibus partibus vires & robur subducunt, primum merito locum *Venus immoderata* obtinet. Nam semen, uti delibatissimæ & spirituosæ lymphæ in sanguine soboles est, ita si intemperantius exhauritur, non potest aliter fieri, quin & partes fluidæ subtilitatem & blandam spiritualescentiam, solidæ vero vigorem & elaterem amittant, atque adeo omnes functiones corporis non exiguum inde capiant detrimentum. Et hinc potest etiam secundum scita *Hippocratis*, ratio repeti: quare pueri, quare mulieres & eunuchi non facile podagram patiantur? Hinc quoque *Poetæ Bachi* & *Veneris* filia nuncupata est; unde antiqui versus:

*Et solvilumba venere, solvilumboque  
Baccho, creata est solvilumba chiragra.*

Et Latini *Poetæ* carmen:

*Ut Venas enervat vires sic copia vini,  
Et tentat gressus debilitatque pedes.*

Nota-

Notabile autem hoc est, quod arthritidis ex abusu Veneris sæpius unice suam originem petat, & quod omnes arthritici & podagrici, propter sal illud tenerum stimulans in lymphæ & sanguine contentum, ad Venerem præ aliis magis sint proclives, adeoque magis magisque enervando vires, malum contumacius reddant.

## §. XIX.

Præterea spiritus, corporis nostri motores, non parum invertit & nervis debilitatem addit vini & maxime generosi vel etiam tartarei acidi largior potus, utpote partes vini sulphureæ nimis celeriter per venas rapiuntur ad caput, subeuntque poros nervorum & spiritibus sese associant, quorum crasin ob cruditatem & heterogeneam indolem suam valde invertunt, ut munere suo in regendis machinæ artibus defungi minus recte queant. *Vini potus largior.* Experimentia multiplici deprehensum est, nihil plus ad tartaream illam, aut quomodocunque appellare libet, materiam podagricam & arthriticam generandam aptum esse quam vinum; quæ etiam in corporibus quibusdam sequestretur, tamen in illis quæ viscerum debilitate laborant, servatur atque in sanguine accumulatur.

## §. XX.

Datur tamen vinorum magna diversitas. Quæ enim in arenosis terris proveniunt, minus materiæ ejusmodi tartareæ continent. Dixit WEPFERVS *Dec. I. An. 2. c. 39.* raros apud Schaffhusanos esse podagricos & calculosos, neque convulsivos motus frequentes, & potissimum id fieri a vino rubello salubri. Sic etiam memini Jenæ, quamvis ab incolis ejus loci fatis liberaliter bibantur vina vernacula, non tamen multos esse podagricos. Contra observatum fuit, quæ in terra pingui argillosa & limosa proveniunt, ad fovendam podagram esse paratissima; cujus generis sunt *Bobemica, Hungarica, Austriaca &c.* Neque obstat, vina magnam quantitatem tartari terrestri, qui sæpius vias urinarias magis detergit, possidere, ut in podagra progignenda minoris efficaciam sint aliis, *Quod tamen limitandum.*

aliis, quæ talem quantitatem non complectuntur, sed fortitan subtiliori ac penetrantiori acido, quod cum succis vitalibus facillimam init copulam instructa sunt. Sic vini *Tockaviensis* libræ quatuor destillatæ vix drachmâ dimidiam; totidem autem libræ *Rhenani* drachmâs minimum quinque largiuntur. Multo magis autem talia vina nocent, si ad ebrietatem usque ingurgitantur, quo spirituum vigor naturalis magis extinguitur & lymphæ tenuis inspissatur, ut deinde viscerum tono debilitato minus commode illa, quæ in vinis nociva atque perniciosa sunt, excludi queant.

## §. XXI.

*Affectus animi.*

Sicut affectuum intemperantia in excitandis & fovendis morbis plurimum valet: ita id maxime in chronicis affectibus, inter quos podagra primas tenet, animadvertimus, & quidem hanc potissimum ob rationem, quod diuturnior tristitia animique angor, intensior cura ac sollicitudo, profundior quoque & haud interrupta meditatio, necessarias corporis vires suffurando & vitales humorum motus, neque minus secretorios & excretorios imminuendo, exsuperans pabulum atque materiam, impuritates videlicet varii generis salino sulphureas, ad genesis hujus affectus subministrant. Ita vehementior quoque animi commotio & ira ipsos arthriticos paroxysmos defubito sæpe cum febrili quodam motu excitat.

## §. XXII.

*Luxuria & desidia.*

Uterius, luxuria, nimia voracitas, continuæ commensationes, cum vita sedentaria otiosa & desidia si conjunguntur, neque minus exercitiorum intermissio & ex mobiliori vitæ genere quietum & motus expers, & podagra & aliis pertinacioribus morbis ingenerandis mirifico velificantur. Nihil enim magis, præterquam nimia ingestorum copia cum desidia, magnum illud excretionum, sine quibus sanitas consistere nequit, negotium supprimendo, ad impurorum humorum redundantiam, a quibus deinceps dolores, febrilesque motiones



nes proveniunt, corpori ingenerandam conferre, attenta consideratione discimus.

§. XXIII.

Et quoniam sufficienti, per jugem transpirationem facta, sordium valde activæ indolis aquoso-salinarum halitusosarum expulsionem, corpus ab innumeris morborum afflictionibus nec non a paroxysmis & recidivis immune redditur: ita etiam in rebellis isto podagrico affectu, qui in corporibus gracilioribus minus densi & obesi habitus, perspirabilibus, paulo rarius sedem fixiorem tenet, neque in hominibus opificibus & qui labore & motu corpus continuo exercent facile gignitur, id ipsum observamus: quare etiam æstivo tempore arthritici & podagrici paroxysmi silere & conquiescere solent; cum, e contrario, qui densi & pinguioris habitus sunt, literati & laboribus corporis & manuum vacantes, crebrius & diutius hoc affectu exerceantur, qui præsertim autumnali humido & frigido aëre, subita tempestatum mutatione ingruere & tragœdiam ludere solet: quinimo sudoris consueti intermissionem, notabilisque transpirationis, quæ ex indusiis inspectis cognoscitur, atque excrementorum inter pedis digitos defectionem, imminuentem designare paroxysmum sæpe a nobis observatum est.

*Transpiratio prohibita.*

§. XXIV.

Inter antecedentes doloris podagrici causas, non exiguum locum fluxuum sanguinis consuetorum, hæmorrhoidum & mensium intermissio vel interceptio tueri videtur: siquidem & firma experientia & unanimi veterum consensu & auctoritate confirmatum habemus, feminas, quamdiu menses rite fluunt, & viros in quibus consuetus hæmorrhoidum fluxus rite, ratione modi, quantitatis & temporis se habet, a molestissimis hisce affectionibus immunes degere, imo hos fluxus doloribus istis supervenientes, corpora ab iis præservare: ex adverso vero, si solennes hæmorrhagicæ vacuationes, vel ex vacillante naturæ robore, aut ex perversa diæta, vel importuna & imprudenti medicatione resistant, deficiunt,

*Hæmorrhagarum consuetarum defectio.*

vel supprimuntur; atroces dolorificas has passiones generari imo recrudescere & ingravescere observatione identidem firma & stabili constat: ut itaque ex hisce observatis clarissime elucescat, quantum ad depurandum sanguinem & ad morbos ex feri vitiosi colluvie succrescentes impediendos, hæ solennes licet præter naturam contingentes sanguinis excretiones valeant. Ex quibus tamen neutiquam id consequitur, ut nonnullorum nostri ævi Medicorum & theoreticum & practicum dogma fert, tantum a fluxu hæmorrhoidali, ejus defectu & frustraneis ad eum excitandum naturæ moliminibus, originem hujus truculenti affectus arcessendam esse, & totum curationis opus ad illum provocandum collineare debere; cum hujus hypotheseos patroni, plethoram pro causa proxima materiali potissimum habeant, utur ei inter remotas locum concedamus. Nos vero vitiosam feri discrasiam atque impuritatem potius ad excitandum hunc affectum maximum momentum afferre arbitramur, cum nota nobis sint exempla, sub ipso paroxysmo podagrico, calculoso & arthritico, hæmorrhoides fluxisse: id quod inter alios, celeberrimi nominis Medicus B. DOLEVS, crebro per litteras apud nos conquestus est.

## §. XXV.

*Prognosis.*

Ratione morbi eventus, quoad prognostica hæ observationes rarius fallunt: Podagra non facile e medio tollit hominem, nisi humor vitiosus, ob magnam virium expultricium imbecillitatem, ad summam corporis corticem propelli nequeat, sed intus retineatur: vel ab errore medentis aut ægrotantis ad interiora repellatur, quod HIPPOCRATES *libr. de affect.* affirmat: & tunc gravibus supervenientibus morbis, ut sunt lethargus, hemiplexia, apoplexia, asthma convulsivum & suffocativus catharrus, peripneumonia, hydrops, inflammatio ventriculi & intestinorum, extinguuntur.

## §. XXVI.

§. XXVI.

Quemadmodum, quibus congenita & hæreditaria est arthritidis & podagra, & qui ex pravo vitæ genere primis in eam annis incidunt, rarius diu vivunt: ita iis, qui demum proveciori ætate atque in senectute, dolore corripuntur podagrico, longævitatem promittit; dum arthriticis & podagricis paroxyfmis re vera criticis, humores excrementitii, impuri senectuti familiares corporique infensi, hac ratione expurgantur.

*Juniores podagrici rarius diu vivunt.*

*Seniores contra, longius.*

§. XXVII.

Podagra incipiens, præsertim si rheumatismi sanguinei species est, moderata & convenienti diætâ congruisque remediis, sanguinis præsertim missionibus opportune institutis, facile præcaveri & tolli potest: ubi vero jam multoties & singulis fere annis paroxysmus recurrit, & quos affigit, in articulis tophos habent, sicca alvo vexantur & senes sunt, ii, testante HIPPOCRATÈ *libr. II. prorhet.* nulla humana arte sanari possunt: hanc potissimum ob rationem, quia vitium non tam in fluidis sed in solidis, eorum tono, robore, textura & conformatione naturali destructa, quod non facile tollitur, consistit. Hinc vetus dictum enatum: Solvere nodosam nescit medicina podagram. Optime vero HIPPOCRATES *l. c.* ratiocinatur: *juvenes nondum callos habentes curari possunt, si accurate vivant laborisque sint amantes, alvumque bonam & operam habeant.*

*Incipiens podagra facile abigitur.*

*inveterata incurabilis.*

CVRA PRÆSERVATORIA.

§. I.

Quamvis valde difficilis eorum morborum, qui congeniti sunt, quorum causa in labe tam fluidarum quam solidarum partium consistit, & quæ a prava vitæ & diætæ ratione fovenitur, ac in habitum quasi degenerarunt, sit curatio; attamen facilior longe & expeditior est eos præservandi, præcavendi,

*Præservatio facilior ac curatio.*

& avertendi via ac methodus. Quam cum Medicus omnino & recte cognoscere & prudenter applicare debeat; nobis eam hic exponere est propositum: utpote quæ potissimum in causis hujus morbi, remotioribus diætiis, declinandis & removendis consistit.

## §. II.

*Fugienda autem Venus immoderata.*  
*Ebrietas,*  
*Vinum prof.*

Primo omnium, qui vult degere immunis a pertinaci tam podagrico quam articulari affectu, temperet sibi, quantum possibile est, ab usu Veneris maxime immoderate, quam corporis languor & dolor subsequitur: subito namque exhaurit subtiliores spiritus, caput debilitat, mentem ac sensus infirmat atque convellit. Dein ebrietatem, copiosam vini potationem & liquorum inebriantium ingurgitationem omni cura & studio fugiat: quippe hoc pacto multos ab arthritide liberatos novimus. TRINCAVELLVS de ratione cur. particul. hum. corp. affect. libr. XII. cap. XI. tradit, se novisse Medicum Venetiis, qui, cum non parum infestaretur a podagra & ad senium usque, & solum primum atque in quinquennium vinum interdixisset, liber tandem ab omnibus molestiis ita evaserit, ut amplius usque ad ultimum senium imo ad mortem horum dolorum fieret expertus. Id quod CELSVS lib. IV. cap. 24. egregie confirmat, perhibens: quidam cum toto anno a vino, mulso, Venere se temperassent, securitatem totius vitæ consecuti sunt. Et SOLENANDER S. V. conf. I. refert, viduam quandam Hispanicam, cum usum vini, quo tamen pro more gentis paucissimo & dilutissimo usa fuerat, omisisset, podagra amplius non fuisse tentatam. Quinimo plures talismodi historiæ notissimæ sunt eorum, qui, vel in carcerem conjecti vel ad paupertatem redacti, cum a vino abstinerint, ab arthritide & podagra liberati sunt. Hinc præstat ad præscindendum gravissimum morbum, aquam puram & levem quam vinum bibere. Ex hydropotis enim nemo facile est, qui hunc in morbum prolabitur: quorum exem-

templa apud BRUYERIVM *de re cibaria lib. XVI. cap. 13.*  
 SCHENCKIVM, HERM. von Heyden, *de podagra*, &  
 PECHLINVM legi atque evolvi possunt.

§. III.

At vero quamvis nonnullis podagricis vinum admo- *Quod tamen*  
 dum sit infensum, negandum tamen non est, dari casus, ubi *quandoque*  
 ventriculi quædam & intestinorum imbecillitas a frigido hu- *proficuum.*  
 more, ut cum veteribus loquar, orta est, in quibus ad virium  
 refectionem admitti illud debet, maxime si diluatur cum aqua  
 & vetus excoctum optimæ notæ assumatur: quod eo magis  
 locum invenit, si in consuetudinem abiit vini potatio, nec ad  
 ejus usum ægrotans protinus sentiat incommodum: de qua re  
 conferri meretur PECHLINVS *obs. XXXVII.*

§. IV.

Porro qui vitam a podagra liberam ducere, vel ejus *Nimius ci-*  
 dolores lenire atque mitigare intendunt, temperent sibi a *bus.*  
 multo cibo tam in paroxysmo, quam extra morbi accessum,  
 Vere scribit HIPPOCRATES: præcipuum sanitatis studium  
 est, non satiari cibis & impigrum esse ad laborem. Sique  
 profecto quid est, quod vitam servare potest a morbis diutur-  
 nis immunem, temperantia in victu est: hac enim alacritas  
 & ingenio & corpori accedit. Consistit autem hæc tempe-  
 rantia in eo, ut vel bis de die parum cibi assumamus, nec ple-  
 narie appetitum satiemus & cenam intermittamus: id quod  
 podagricis mirifice commendat TACKIVS p. 97. item SY-  
 DENHAMVS p. 379. qui prandium saltim commendat; hu-  
 moribus digerendis cum lectus solum sit dicatus. Præcipue *pres. in pa-*  
 autem in paroxysmis a cibo abstinendum est. Nam ejus ac- *roxysmo.*  
 cessio, ipso HIPPOCRATE teste, damno est: *Eo enim tempo-*  
*re, inquit, restui sunt humores ad centrum corporis, unde op-*  
*primitur anxioque evadit respiratio, & aliena regio ab impu-*  
*ris succis occurritur. Si cibum tunc dederis in impuritate ille*  
*abit,*

*abit, ac distento hypochondrio opprimitur pectus, unde anxia respiratio & calor cordis major.*

## §. V.

*Opulenti  
frequentius,  
egeni rari-  
us podagri-  
ci.*

Facile hinc apparet ratio, quare egeni raro sint podagrici, magis autem opulenti, voluptuosi & qui per multas horas mensis accumbunt, utriculi inftar abdomen distendentes. De opulento quodam Germano SCHENCKIVS apud *Casp. de Reies Camp, elyf. juc. quest.* tradit, quod hic, cum otio, deliciis, luxuque circumflueret, familiarem huic vitæ podagram arthritidemque adeo miserabilem contraxerit, ut non nisi duobus suffultus adiutusque famulis promoveri loco potuisset: verum lapsis sensim rebus ad paupertatem redactus tantam, ut & opibus destitueretur & famulis, nec nisi frugalibus mensa ad vitam suppeteret; hoc fretus & poculatim ipse solus incesserit, & a podagra prorsus desertus fuerit. Non incommode hinc PETRARCHA: *Si a podagra, inquit, liberari cupis, aut pauper sis oportet, aut ut pauper vivas. Multos ab hac ægri tudine liberasse traditur paupertas, vera desiccatrix corporum: quosdam vero frugalitas, quam voluntariam seu fictam & imaginariam paupertatem dixerim. Vidisti aliquos perpetua vini abstinentia curatos: ita sit, dolore dolor, clavus clavo pellitur, ut antiquo dicitur proverbio.* Specialiorem autem paulo diætam podagricis commendat atque præscribit GALENVS *lib. VI. de sanit. tuenda*, his quidem verbis: *intemperantes in podagram & alios diutinos morbos incidunt, a quibus tota vita se explicare nequeunt. Cavendum ab edulibus ex pasta, ab acidis fructibus, cepis, allio, salsis, lardo, carne suilla.* Cæterum Vinum Mosellanum aut Neccarinum aqua destillata dilutum bibendum. Alvus sollicitanda passulis, prunis Damascenis. A carnibus quoque annosis & pinguibus abstinentum. Parari debet vestimentum pellibus agninis confutum,

## §. VI.

§. VI.

Postremo, qui a cruciatis podagricis & articularibus immunes degere cupiunt, temperare sibi debent ab omnibus gravioribus curis, animi laboribus, meditationibus & perturbationibus. Hæc enim elogio *Sydenhami* ad dissolvendam spirituum, qui sunt digestionum instrumenta systasin, ac proinde ad podagræ incrementum multum faciunt. Refert *PORPHYRIUS in vita Plotini* quendam Regulam, quæ captus esset pedibus, sese ab omnibus curis abnegasse & a podagra fuisse liberatum. *Tanti*, inquit, *in hoc morbo vincendo, animam quietum habere!* Ceterum commendandus est podagricis labor ac motus, qui firmitudinem & robur partibus fœnerat, transpirationem promovet, cruditates dissipat, ad totius corporis habitus immutationem aptissimus, atque optimum sanguinis depuratorium est, dum omnis generis excretiones promovendo, ab ejus naturali temperata crasi sive temperie alienas, impuras salino-sulphureas partes per congrua emunctoria separat. Elegantissime scribit *HIPPOCRATES libr. prorhet. n. 162*: curari podagricos posse juvenes, in quibus nondum sunt facti calli, qui laborem amant, qui vivunt accurate, & quorum alvus fluida est. Exercitium autem hoc non nimis sit vehemens sed moderatum, quale est vectio in curru, ambulatio, scalarumque repetita ascensio.

*Cura & meditationes fugienda.*

*Motus crebro insititendus.*

§. VII.

Celeberrimus & maxime circumspæctus trium Imperatorum Archiater *JOH. CRATO conf. 14. tent. 1.* hoc pro præservatione podagræ consilium suppeditavit, dignum quin huic tractationi inferamus: *Primo monendi sunt podagrici, ne ullo modo corpus medicamentis affligant; sed recta victus ratione & mediocri diligentia articularum dolores vitari posse sibi persuadeant. Abstineant a vinis Moravicis, Austriacis, Hungaricis, dulcibus & crassis: utantur cerevisia triticea. Ventriculi robur medicamentis purgantibus non debilitetur. Nostri pilulis uti possunt hora dimidia ante coenam, quæ sit parcior, singulis se-*  
(*Hofm. Syst. T. IV. P. II.*)

*Consilium Cratonis.*

ptimans, dosin quæ est scrupulus, capientes. Singulis diebus matutine de nostro stomacho sumat. In lecto matutine sudet quotiescunque poterit: nam quo frequentius hoc fecerit, eo tutiorem se esse putabit. Mundare pedes oportet cum sponsa intincta vino rubro, in quo sal sit decoctum. Topicis minus potius quam nimum est faciendum. Aer frigidus & humidus vitandus est.

## §. VIII.

Quibus hi affectus hereditarii & chronici sunt curatiorem dietam servanto.

Præservatoria hæc cura uti universalis fere est, & ab omnibus ac singulis qui a gravibus valetudinis incommodis immunes esse volunt, servanda: ita potissimum quadrat & necessaria admodum est, in affectibus tam arthriticis quam podagricis, quando a parentibus liberi feminium quoddam multiplicativum ipsis vitalibus humoribus altius insinuatum, & quod inter pueritiæ vel adolescentiæ annos jam tum sese exerece incipit, acceperunt; quo in prima quasi herba suffocetur. Atque etiam hæc ipsa cura diætica ad eos spectat, quos jam per plures annos hoc malum & chronicum & quasi habituale factum exercuit: eo fine & scopo, ut minimum dolores ac symptomata leviora & mitiora inde reddantur, breviores quoque fiant paroxysmi, & roborata sic quodammodo natura deteriores & exitiales affectus, qui excipere nunquam non solent podagram pertinacem & chronicam, corporis vires valde infringentes arceantur.

DE CVRA SPECIALIORI PODAGRICO-  
RVM MEDICA.

## §. I.

Podagravardicata non potest extirpari.

Optandum quidem serio & vehementer esset, ut tam efficacia in rerum natura extarent remedia, quæ huic difficilimo morbo, ubi longo tempore in succis vitalibus & nervosis partibus radices egit, extirpando sufficerent: sed, quoniam talia nondum per experientiam cognita atque comprobata sunt; eo tantummodo laborandum est, ut non modo diæta



diæta præscripta fervetur, sed & aliis remediis languenti corpori succurratur, quo recursum hujus mali, si non prorsus tolli possit, pauciores tamen & breviores evadant, levioribusque symptomatibus stipati incedant paroxysmi. Et cum ordinario fere horum periodicorum dolorum, sive febris potius rheumatico-podagricæ incursum fieri soleat tempore vernali, item ante & post solstitium hibernum; opus est, ut antea congruis evacuans, alterans & massam sanguinis depurans, vitiosos humores doloribus istis podagricis pabulum ministrantes, quo post eo feliciter paroxysmus sustineri possit, & corrigamus & eliminemus.

## §. II.

*Vena Sect.*

Ad hunc scopum, ex voto obtinendum, ego sanguinis missionem decenti tempore & quidem ante æquinoctium vernum, ubi massa sanguinis & feri singulari quodam interno ebullitionis quasi motu agitur, & sic heterogeneæ partes quæ in eorum profundiori ac intimiori nexu tectæ & involutæ hæserunt, extrorsum vertuntur, unde omnis generis febres exanthematicæ, catarrhales, rheumatico-arthriticae originem suam mutuantur, celebratam magni admodum facere soleo: id quod optime succedit, ubi corpora non adeo firma fuerint, quæ bene appetunt, vitæ sedentiariæ indulgent, lautaque diæta utuntur. Longe vero magis necessaria est venæ sectio in iis, qui ob laxiorem multis exilibus vasculis donatum corporis habitum multum sanguinis & feri ingenerant & ad hæmorrhagicas excretiones proclives sunt, præcipue si hæ resistant vel pauciores evadant. Et quoniam ante & post solstitium brumale mense Decembri, Januario, Febuario, plerumque inolefcunt & ingravescent podagrici dolores, ego in fine Octobris si res postulaverit & plenitudo vasorum evidens fuerit, sanguinis missionem suadere solitus sum.

## §. III.

*Cucurbita cum scarificatione dorso pedis apponenda.*

Deinceps non possum non ego hoc loco candide faciteri, quod a cucurbita cum scarificatione dorso pedis, singulis

lis trimestribus apposita, insignissimum allevamentum in pluribus, atque etiam in me ipso, qui non immunis fui ab ejusmodi insultibus podagricis, licet obtusioribus & non diu persistentibus; expertus fuerim. Rationem si quis hujus effectus exposcere velit, hæc satisfacere posse videtur: quod in nulla fere corporis parte, difficilior sanguinis circulus ex arteriis in venas, quam in extremo pede ejus præsertim digitis procedat; nulla etiam pars sit, quæ tanta copia musculorum tendinum, membranarum & ligamentorum tendineo-nerveorum, vasorum etiam sanguineorum instructa sit, ac extremi ipsius pedis compages. Quandocunque itaque hæc partes, ab ipsa nativitate, imbecillitatis quodam vitio laborant; non mirum est, sanguinis circulum sive itum ac reditum in illis ipsis admodum esse segnem, tardum & impeditum, præsertim quando ille copiosiori sero, excrementitiis salinis partibus referto scaret, & tempore paroxysmi, qui semper febrili motione fit & incipit, majori copia ad has partes appellitur: unde non possunt non humores stagnare, & vasa nimium distendendo eorumque nervosas membranas divellendo, dolores, cum inflammatione licet leviori producere. Atqui hinc utilissimum omnino est, ut sanguinem superfluum & stagnantem per has partes valde ad circuitum difficilem e vena extrahamus, & sic ejus liberiolem progressum promoveamus.

## §. IV.

*Vomitiorum  
singulo men-  
se exhiben-  
dum.*

Quoniam paroxysmorum & rheumatico - arthriticorum & podagricorum evidens & materialis causa, in feri excrementitii abundantia & colluvie consistit: atque huic ingenandæ vitiata prima in regione alimentorum digestio & eruditatum proventus multum velificatur; complures non minus periti ac eruditi Medicorum singulis mensibus vomitum excitandum commendarunt, ut ventriculi & duodeni cavitas, & qui huc pèrtingunt ex hepate & pancreate canales a sentina crudorum & vitiosorum humorum expurgentur: vid.

vid. HILDANVS cent. VI. obs. 34. MERCATVS de morbis intern. lib. IV. cap 18. RIVERIUS in Praxi lib. VI. SYLVIUS in Pr. pag. 153. Alii vero pro cura vernali vel autumnali, ad primam regionem & totum corpus a sordibus probe expurgandum, infusa ex variis laxantibus, roborantibus & aperientibus concinnata usurpanda suadent.

§. II.

Ego, ut fideliter & candide pro more meo dicam, non certius, non efficacius & magis genuinum in ejusmodi affectibus & avertendis & minuendis, vel, si medicina inopportuna turbatis motibus intro inversa vitiosa materia fuerit, in ordinem redigendis, quam in usu thermarum & quidem Carolinarum inveni remedium: quarum virtus & energia, in calculo, podagra inveterata, & in hac, si fuerit ad interiora repressa, ad partes exteriores revocanda, hamorrhoidum quoque fluxum, si causam & occasionem malo suggererit, restituum, incomparabilis est. Cujus veritatis permulta imo millia exempla, adducere integrum esset, ut adeo, qui eam vel in dubium vocare vel plane negare gestiunt, aut improbitatis, aut inscitiae sese ipsos accusent. Nam hæ aquæ in larga satis quantitate potatæ, ob spirituosum quo polent elementum, & ob salia mineralis profapiæ quæ in linufovent, tennes non modo & fluxiles reddunt humores, atque obstructa & infarcta minima vasa aperiunt, sed & per omnia quæ vehendis a corpore alienis & morbidis humoribus dicata sunt excretoria, per hepaticos ductus videlicet, per alvum, per subcutaneum emunctorium, per vias urinarias, per mucum bronchiorum & narium, copiosissime & sine ulla virium jactura per multos continuos dies materiam peccantem educunt. Hinc certe universalis morborum chronicorum præservatorii & curatorii nomen, si non altiores malum egerit radices, jure sibi vindicare possunt: siquidem ego, qui has salutiferas aquas viginti circiter vicibus frequentavi sancte affirmare possum, quod non per artem existat vel inveniri possit tale remedium aut medicina,

*Therma Carolina omnia remedia superant.*

*Neque acida laudibus carent.*

quæ huic, quam Benignissimi, qui curam etiam corporis nostri habet & semper habuit Creatoris beneficio pientissimo animo acceptam referre debemus, æquiparari possit. Atqui id etiam observavimus, quod si sub ipsa cura irruat hic affectus, longe mitior, brevior & placidior semper procedat & finiatur. Neque etiam aliis mineralibus fontibus thermalibus & quas acidulas salutare vulgo consuecunt, modo pro differentia corporum & naturarum recte & cum debito regimine & convenienti methodo præscribantur, usurpentur, commendentur, laudes & energias suas detrahere volumus, cum passim etiam indubia adsint faustissimi effectus in ejusmodi radicatis & chronicis morbis exempla. Possunt vero temperatiores aquæ minerales, ad quas pertinent *Wildungenses, Selterana, Vesevaquenses* in Silesia, loco potus, si tertia admisceatur vini pars, per totum anni decursum in usum duci.

### §. VI.

*Quibus non inferiores potus alii temperantes.*

Postremo quoque potibus diluentibus, acrimoniam falsam temperantibus & demulcentibus, leniterque evacuantibus, ut sunt lac, serum lactis, summam, tum præservandi tum curandi scopo adhibitis, virtutem adscribimus, quippe eam exeruisse multiplici experientia comprobatum est. Id autem remedii genus, in eodem morbo antiquissimos jamjam maximi fecisse, HIPPOCRATES & CELSVS loquuntur. Ille enim passim speciatim in *libr. de affect.* in difficillimis podagricis & articulationum doloribus, lac asininum commendat. Hic vero *libr. IV. cap. 24.* ita scribit: *quidam cum asinino lacte potu ex toto se eluissent, in perpetuum hoc malo evaserunt.* Præterea quoque PLINIUS, *sunt inter exempla,* inquit, *qui lac asininum bibendo liberati sunt podagra, chiragraque.* Novimus nos non paucos lactis bubuli per aliquot annos usu, item aquæ pluvialis pro potu ordinario, per plures a doloribus podagricis annos immunes vixisse. De cura vero lactea

Et ea prudenter instituenda, infra in cautelis & monitis plura subjiciemus.

§. VII.

Porro, ad methodum tam præservatoriam quam curatoriam, nihil securius, nihil accommodatius, regimine diaphoretico, salutari consilio procurato, inveniri potest. Nam si verum, uti est verissimum, quod sanguis serofus impurius, qualis maxime ex transpiratione prohibita redditur, causa antecedens & materialis paroxysmorum podagricorum sit; ipsa certe sanior dicitur ratio, quæ experientia confirmatur, atrocem hunc morbum, quam optime & tutissime, facta liberiori transpiratione, vel ea quæ secundum naturam fit restituta, esse remedium omnibus aliis superius. Et quoniam hac de re insignissimus & notabilis admodum locus in CAROLI PISONIS utilissimis observationibus: *de morbis a serofa coluvie oriundis Sect. V. cap. II.* extat; operæ pretium nos duximus eundem nostræ tractationi subnectere. Verba autem laudati elegantioris Auctoris hæc sunt: “Denique quod spectat ad vacationem feri per cutim eamque sensibilem, hanc plurimi facio, ut debeo, quia & revulsionis vim habet, & maxime est opportuna in his affectibus, quippe quæ natura convenientissima, cum ea feri portio, quæ per cutem insensibiliter ex natura instituto continenter quotidie expirare debet, suppressa quacunque ratione & introrsum depulsa materiam præstet arthriticis doloribus, ut antehac demonstratum. Quamobrem consulo, ut Illustris Præsul sudorem quotidie, si fieri potest, aliqua arte promoveat, aut certe insensibilem expirationem: quod ut consequatur, in primis densitati cutis, quam infert inclementia aëris, præsertim hyberno tempore consulere debet, nam quæ a polyfarciâ aut ætate densitas infertur, de ea nulla providentia haberi potest. Ergo accurate videat ut bene tectus incedat semper, & de nocte potissimum stragulis levibus quidem sed calidis, pluma videlicet aut pelle infantis desuper subterque stratis oper-

Diaphoretica laudantur.

tus

33tus dormiat, & ita opertus ut sponte sudor, sub diluculum  
 33erumpat: quod eveniet, si non ita de mane expergiscatur,  
 33sed aliquantisper quietem in lecto longiorem capebat; & si  
 33sudor nihilominus non erumpat, is multa longaque provo-  
 33cetur univ[er]si corporis fric[ti]one. Quod si eo frustretur, aut  
 33h[ui]usmodi modus eum provocare t[er]rosus illi est, suadeo certe,  
 33ut semel in hebdomade hypocaustum jejunos adeat, ibique  
 33per horulam sudet, quod primum tentabit, ubi plethoræ cor-  
 33poris venæ sectione prius providerit, ut avertat cutaneos  
 33affectus, qui ab insolito hypocausti usu sponte emanare so-  
 33lent. Atqui si his artibus sudor erumpens minus emendan-  
 33dæ colluviei feri in corporis habitu stagnantis satisfacere  
 33potest, certe auctor sum, ut incunte vere & autumno, qui-  
 33bus anni temporibus fluxiones repetere solent, utatur de-  
 33cocto sudorifico sive Zarzeparillæ sive radicis Sinarum, id-  
 33que per unam aut alteram septimanam, vel certe *syrupo Am-  
 33brosiano*, si metus sit a viscerum & sanguinis æstu.

## C V R A T I O.

## IPSO IN PAROXYSMO.

## §. I.

*Imminente  
 paroxysmo,  
 alvus sub-  
 ducenda.*

Ego imminente paroxysmo, qui ex lassitudine insolita  
 & inquieta, appetitu adaucto & gravitate capitis & artuum  
 cognoscitur, primam regionem ante omnia leniter a fordibus  
 alvinis, neque minus a collectis in duodeno & reliquo in-  
 testinorum canali vitiosis humoribus deplendam, & expur-  
 gandam suadere soleo; id quod tutissime tum per clysteres  
 emollientes & temperate carminativos, tum interne per in-  
 fusa rhabarbarina & mannata, cremore tartari exaltata, per-  
 fici potest. Memini, me olim statim sub initio doloris po-  
 dagrici & arthritici, insigni sæpe cum fuctu usum fuisse se-  
 quenti mixtura: Rec. aquæ florum acaciæ uncias duas, ci-  
 namo-

namomi sine vino unciam dimidiam, pulveris Cornachini drachmam, syrupi rofarum laxativi, vel cichorei cum rhabarbaro unciam semis. Nam instar aphorismi practici medicorum juniores teneant hoc: mitiores semper dolores evadere, in quocunque etiam loco consistant, si prima regio prius fordibus suis, ante usum aliorum medicamentorum, probe fuerit expurgata; quæ alias migrando in sanguinem inque partes affectas penetrando, & dolores intensiores reddunt, & graviora symptomata producunt. Atque in eo quoque laudandum est SOLENANDRI consilium, quod extat in *Oper. suis p. 78.* ubi scribit, se in paroxyfmi podagrici principio magno cum successu exhibere aliquod purgans solere, primum id edoctum ab ALEX. TRALLIANO *libr. II.* Et singulare esse, PECHLINVS *obs. 26.* crudissime innuit, quod arthritici leniorem plerumque experiantur insultum, deducta ex primis viis vitiosa materia.

§. II.

Cum vero omnis doloris articularis & podagrici paroxyfimus motum febrilem comitem habeat, cujus etiam beneficio, natura optima morborum medicatrix, solenniter & felicissimo sæpe cum successu morbum curare, & quæ eum excitat vitiosam & hostilem materiam convenienti tempore, per congrua emunctoria evacuare atque foras rescribere solet: idque in doloribus maxime per sufficientem & auctiorem transpirationem perfici, dum non modo tota sanguinis & feri massa depuratur, sed & ipse dolorem in pedibus creans vitiosus humor successiva distatione & exhalatione excernitur; prima ac princeps medentis debet esse intentio ac cura, ut placidam continuam & non interruptam diaphoresin, suo consilio & auxilio procuret & moderetur. Prætere id opportunissime possunt ipsa infusa, quæ loco Théè, ex herba scordii, cardui benedicti, veronicæ, radice glyzyrrhizæ, corticibus citri recentibus parantur: cui scopo identidem egregie inserviunt mixturæ, ex aquis destillatis, cardui benedicti,

*Materia vitiosa podagrica per transpirationem auctam distillanda.*

*Quo spe-  
Elant infusa  
Thés & MR.*

galegæ, scordii, succo citri, lapidibus cancrorum, antimonio diaphoretico, cinnabari, nitro purificato, & syrupo acetositarum citri, singulis debita dosi & proportione sumtis concinnandæ. Instar omnium vero potest esse liquor noster anodynus mineralis, si cum quarta parte Spiritus *Buffii*, & tartari volatilis roboretur: de quo triginta vel quadraginta guttæ pro dosi, ex ordinario decocto vel infuso jam laudato propinari possunt. Præstat vero ejusmodi medicamenta mane, cum expectatione lenioris sudoris in lecto exhibere. Vesperi & circa noctem pulveres temperantes bezoardici nitrosi, cinnabariini, cum aquis analeptics, diapnoicis, vel cum emulsione amygdalarum dulcium aut seminum quatuor frigidorum majorum commodissime porrigi possunt.

## §. III.

*Noque minus decocta.*

Expedit etiam pro feliciori sanationis obtinendo scopo in hoc affectu, pro ordinario potu, decocti temperantis & diluentis paulo liberaliorem usum commendare, ex quo summum me sæpius fructum percipisse recordor. Species hæc sunt: Rec. radicis chinæ, farsaparillæ, polypodii ana uncias duas, liquiritiæ, cichorei ana unciam, corticis ligni sassafras unciam dimidiam. Quarum dimidia pars in quinque aquæ mensuris & una vini coquantur ad consumptionem septimæ partis: quo decocto non modo pro ordinario potu & ad extinguendam sitim utendum, sed & ex eo medicamenta propinanda sunt, atque insuper singulis duabus horis, octo unciaæ calide bibendæ sunt, idque statim a morbi insultu faciendum. Inde urina copiose fertur & corpus in continua perspiratione servatur, alvus quoque fluida & laxa manet; si vero hæc officii sui fuerit immemor, supra propositum laxans exhibendum; abstinere quoque ab omnibus jusculis pinguis nutrientibus expedit. In doloribus autem vagis præsertim a scorbutico humorum inquinamento qui oriuntur, serum lactis dulce vel acidulum, item fons Selteranus cum lacte remixtus utilissime pro potu dantur.

## §. IV.



## §. IV.

Ad mitigandos artuum, si acerbius affligant dolores, *Topica qua,*  
 cautissime cum ipsis topicis procedere æquum est: quia mul- *& ubi con-*  
 tiplici experientia teste, plus damni quam emolumentum attulisse constat. Consultius autem & securius est, partes dolentes culcitris levioribus plumaceis involutas, in quiete & temperato æquabili calore retinere, ut lenis & successiva humoris vitiosi distillatio procuretur. Ceteris vero externis omnibus minus noxiis, antiquissimum illud cataplasma, ex mica panis albi, lacte, vitello ovi, croco & floribus sambuci paratum, mea quidem sententia præferendum erit. Potest etiam, præsertim in arthritide vaga, succus lumbricorum terrestrium addi. Novi quoque non sine insigni levamine in acerbioribus doloribus, frustum carnis ex recenti mastato animante parti affectæ applicatum fuisse: quod post viginti quatuor horas amotum, foetidum sparsit odorem. A tinctura sulphuris volatili, quæ ex calce viva, sale ammoniaco & sulphure paratur, cum charta bibula, membris affectis, non quidem statim in principio, sed circa finem & ubi topi metuendi admota, ob fortio-rem procuratam discussionem, effectus laudatissimos vidi: sed non omnes hoc medicamentum, ob summum quem spargit foetorem, ferre possunt. Dolore & paroxysmo sublato, quando ingens in partibus affectis imbecillitas movendique impotentia remanet, balsamum nostrum spirituosum liquidum, cum aqua Reginae Hungar. dilutum, moderate inunctum insigne robur asserre crebro observavimus.

CAVTELÆ ET OBSERVATIONES  
 CLINICÆ.

## §. I.

Venæ sectio, utut in corporibus, quæ sanguine plus *Venæ Sect.*  
 quam sero abundant, atque in ætate juvenili constituta, diætâ *in quibus-*  
 sumul lauta vinosâ delectantur, ad præcavendos paroxysmos po- *dam caute*  
 dagri- *admini-*  
 stranda,

dagricos & arthriticos utilissimam præstet operam, atque etiam, ubi a defectu excretionis hæmorrhoidalis vel menstrualis morbus vel ejus paroxysmus metuendus, plane necessaria fit; neque etiam imminente paroxysmo in arthritide valida & vaga reformidanda, sed intrepide admittenda: nihilominus ubi corpus valde debilitatum, excrementitii feri copia obsessum, ex vitio bonæ digestionis & excretionis insufficientis prognati, cautius est ab ea abstinere, & quidem hisce de causis, quia cum excrementitio fero, portio etiam consistentis sanguinis non sine virium jactura amittitur; secundo, quia criticus ille naturæ motus ad exteriora & peripheriam corporis vergens intercipi potest, quod in febribus erysipelaceis sæpius fieri videmus; tertio, quia, candide quod fateri debeo, aliquoties post venam sectam acerbiorum symptomatum impetum animadverti.

## §. II.

*Cura lactis.*

Circa curam podagræ per lac, sive potius ejus paroxysmorum ad magnum & notabile tempus suspensionem, id observavimus: quod, si hac finita ad pristinum victum & vivendi genus ægotantes redierint; vel ipsi paroxysmi bono omine reverti cœperint, vel loco horum, in corporibus præsertim senilibus & imbecillioribus, pathemata spasmodica, in abdomine colica, ventriculi cardialgica inflationes, dolores nephritici cum ischuria, & non adeo longum post temporis spatium mors infecuta fuerit. Insuper etiam circa lacteam curam, quæ alias ad expugnandos atque avertendos arthriticos & podagricos dolores, non destituitur laude & effectu, id monendum ducimus, quod, ubi corpus plethoricum, vel fero abundantiori impuro turget, vel ob tonum ventriculi & intestinorum labefactatum, prima regio semper fere cruditatibus vitiosis obsessa est, aut si pathemata hypochondriaca, quod sæpius fit, subsint, atque ipsa natura lactici-  
nia respuat, prorsus hanc damnandam esse judicemus, quippe  
in vi-

in viscerum ulteriorem infarctum, in cachexiam, hydropem & hæticam febrem tali pacto ægrotos præcipitari posse certum est.

## §. III.

Recte monet CRATO *lib. V. in consil.* quod fortiter & violento impetu evacuantia, eo quod naturæ & inprimis ventriculo vim inferant, nequaquam inchoantibus & perseverantibus doloribus exhiberi debeant. Hinc perite TRALLIANVS *lib. XI. p. 601.* suadet, in podagra talia purgantia esse adhibenda, quæ stomachum non subvertunt, & addit rationem hanc: *nam hujus cura in omnibus affectibus haberi debet, ut ne ventriculi os ab iis quæ adsumuntur offendantur. Ipsi namque infirmanti omnes nervi consensuum & fluxionibus tentantur.*

*Purgantia fortia ipso in dolore non exhibenda.*

## §. IV.

Quod attinet ad decoctum Viennense, nostro tempore ad podagram curandam medicamen famigeratissimum, cujus inlignes virtutes una cum modo usurpandi in *M. N. C. cent. I. obs.* paulo curatius describuntur, a multis qui eo ipso usi sunt, magnopere quidem collaudatum memini, quorum autem corpora robustioris paulo constitutionis erant. Neque prorsus ejus usum improbare velim: sed, quoniam plerumque debilioris, tenerioris, & sensibilioris naturæ podagrica affectione laborantes esse solent, ab hermodactylis & a ligno guaiaco, quæ istud ingrediuntur, & omnino fale acri stimulante prædita sunt, lubens abstineo, qui securiora tantum amo & approbo, quæ inter hoc quod supra a nobis traditum est decoctum præcipuum locum obtinebit.

*Decoctum Viennense.*

## §. V.

Externa remedia partibus dolentibus applicata, utut raro careant noxa, longe tamen periculosiorem in corporibus sanguine vel fero impuro repletis, sive cacoehymicis, sensibilioris naturæ hypochondriacis & hysteriacis, in quibus nervorum & fibrarum systema spasmodicis jam adsuetum

*Topicorum circa usum.*

est, sortiuntur eventum: siquidem plurimarum observatio-  
num fide constat, lethales horum applicationem excepisse af-  
fectus, quos inter apoplexiam, hemiplexiam, memoriæ amisionem, asthma convulsivum, cardialgiam, colicam spasmodicam, ventriculi & intestinorum inflammationem nominasse sufficiat.

## §. VI.

*Spirituosa  
topica qui-  
bus conse-  
rant.*

Topica spirituosa ac camphorata in subjectis segniori-  
bus & humidoribus non adeo nocent: in ficcioribus vero,  
si materiam podagricam non retropellant, ad calculum ta-  
men disponunt, vel topiorum generationi velificantur, aut  
molestissimas partium contracturas relinquunt.

## §. VII.

*Pauciora &  
secura re-  
media usur-  
panda.*

Non possumus non, iterum iterumque monere, in af-  
fectibus podagricis & articularibus, paucioribus & fidis reme-  
diis tantummodo utendum esse, rejectis infecuris & ancipitibus,  
quæ sæpius damna intulisse animadverti. Hinc mihi  
perplacent, quæ tradit Clariss. Romanorum Medicus ALEX.  
PASCOLIVS *Oper. tom. III. Sect. III. cap. V. p. 220. At enim  
vero, inquit, ut quicquid in eo morbi genere, quem in publicis  
nosocomis non minus, quam in ædibus aliorum privatis, crebro  
præ manibus habuimus, ad hoc temporis observavimus, inge-  
nue ut nostri moris est fateamur; proferre non dedignabimur  
eos, quibus aut nihil profusus, aut nihil propemodum in rheu-  
matismo fecimus, felicius ut plurimum evasisse, quam alii, quos  
validioribus artis præsidii subjecimus. Quæ res porro effe-  
cit, ut posterioribus annis ejusmodi ægrotantes tractando, præ-  
ter victum tenuem & congruum, ac uberrimas potiones ex a-  
qua vel simplici vel per levem infusionem sarsaparilla, glyzir-  
rhizæ, florum papaveris rheados, hisque similium medicatar,  
nihil aliud præbere consueverimus; quo solo temporis processu,  
sudores plane critico, optimo cum successu excitavimus.*

## §. VIII.

§. VIII.

Gallarum Medici celeberrimi, quos inter CHESNEAV, *Vena Sect.*  
 BOTALLVS, RIVERIVS, CAROL. PISO, referendi, in *repetita.*  
 doloribus podagricis & arthriticis crebro repetitam venæ se-  
 ctionem maximopere laudant & commendant, præservandi-  
 que potissimum sine & scopo celebrant: quæ tamen metho-  
 dus in nostris septentrioni vicinis hominibus, quorum cor-  
 pora non tanta sanguinis abundant copia, haud curate quadrat.  
 Nihilominus, si morbus non adeo inveteratus & corpus ad  
 sanguinis abundantiam ingenerandam pronum fuerit, levior &  
 sæpius repetita venæ sectio, seu singulis potius mensibus in pe-  
 de admissa scarificatio, præmissis tamen semper leniori la-  
 xante non erit infructuosa. Eximius plane est locus, quem  
 de venæ sectione utilissime frequentius repetita, habet lau-  
 datus PISO *l. c. Sect. V. cap. l. p. 406.* hic merito apponendus:  
*Addo autem, inquit, singulis mensibus, quoniam eadem experi-*  
*entia me docuit, quotiescunque per inducias vel paucarum se-*  
*ptimanarum æger corpus refecerit, sanguinisque jacturam re-*  
*paraverit, tum prima quoque commotione aeris & alteratione*  
*sive ad algorem, sive ad æstum omnino arthritim recrudescere.*  
*Et certe sæpe audiivi magnos viros ex arthriticorum familia,*  
*nihil longo usu reperisse retardandis cobibendisque fluxionibus*  
*arthriticis, si non profusus tollendis, ipsa venæ sectione, eoque*  
*eiusdem usum etiam in affecta etate non reformidasse. Itaque*  
*repetita placet venæ sectio & per epicrasin: quod si probatur,*  
*nemo non videt omnino parca manu esse administrandam, &*  
*quantitatis hunc esse scopum, ut providenter duntaxat ne tur-*  
*geat sanguis in vasis & organo spontaneo commoveatur.*

§. IX.

Paroxysmo finito & morbo soluto, in corporibus *Tumor a so-*  
 spongiosioris habitus & sanguine seroso turgentibus remanet *lutione mor-*  
 sæpiuscule pedis affecti insignis & valde diffusus, qui impressa *bi relictus*  
 digiti vestigia relinquit, tumor, caute profecto tractandus: *caute tra-*  
 nam si quis cum pro incipiente hydrope habuerit, & ad hunc *ctandus.*  
 præ-

præcavendum vel abigendum, validioribus purgantibus uti velit, is non leve sanitati & vitæ damnum infligere poterit. Opus tunc potius est lenioribus laxantibus balsamica virtute eminentibus, ut sunt rhabarbarum in substantia, pilulæ *Cra-sonis*, *Becheri*, nostræ, mediocri quidem dosi, sed crebrioribus exhibitis uti. Externe autem pulvere, ex farina fabarum, camphora & floribus sambuci conspergendi pedes, & leniter non autem nimis valide, vinculis, ne uberior feri fiat affluxus & stagnatio, constringendi.

## §. X.

*Tophi resoluendi.*

Ad tophos discutiendos & resolvendos in senili & inveterata podagra, ego non præsentius, ipso balsamo sulphuris antimoniato, quod ex sale scoriarum reguli antimonii simplicis, superinfuso oleo terebinthinæ & juniperi paratur, me deprehendisse, asseverare possum.

## ENARRATIONES MORBORVM.

## CASVS I.

*Podagra ab empirico re-tropulsa su-nessa.*

Vir sexagenario major, sanguineo-cholericus, sanguine & succis plenus, habitus corporis robusti, animique ad iram valde proclivis, per complures annos doloribus convulsivis, colicis, spasticis, nec non podagricis misere divexabatur: quorum tamen malorum solamen, in usu *Carolinarum* singulis annis adhibitarum, nunquam non præsentissimum invenit. Nihilominus, nescio sub quo infausto fidere, prudentissimus vir in empiricorum infelices manus irruit, qui, fiduciam addentes amplissimam, nostro pedibus per aliquot dies laboranti pulverem commendarunt, cujus dosis admodum quidem exigua, sed sapor valde constringens, & metallicæ sine dubio mercurialis & vitriolicæ naturæ erat. Oblata duabus singulis horis dosi, hacque ad duodecimam usque reiterata, omnes dolores & cruciatus simul & semel conquieverunt.

verunt. At vero altero die, in gravissimas incidit cardialgicas anxietates, cum inquietudine, ventris tormentis, alvi pertinacissima adstrictione, animique intercurrente deliquio, comitatas: insuper nec corpus nec caput erectum detinere poterat: quæ symptomata brevi post, cum insultus apoplecticus exciperet, corpore mirum in modum inflato, capite in immensam molem turgescente, sanguineoque sero ex ore & faucibus effluente, nimix confidentix poenas morte miserissima luere debuit.

*Epicrisis.*

Funeſtæ hujus catastrophes causa, vix alia inveniri vel excogitari poterit ac infesti remedii antipodagrici assumptio: quandoquidem sensibilibus corporibus, si spasmodicis primarum viarum tentantur constrictionibus, ejusmodi mercurialia & metallica remedia semper nocentissima sunt, eo quod non nisi spastica quadam strictura operationem suam exerunt, & ita universum nervorum genus male afficiunt. Cui etiam in nostro casu repentina dolorum podagricorum remissio adscribenda venit, dum videlicet ob spasticam stricturam partium externarum, materia podagrica intro coacta fuit; qui spasmus simul effecit, ut sanguine plus justo ad pectus & caput propulso, ex nimia vasorum distensione ejus extravasatio in cerebro oborta fuerit. Hinc omnibus & singulis qui praxin exercere sustinent, non sine summa ratione suademus, ut in quibusvis morbis spasticis qui in sensibilia præsertim corpora incidunt, cane & angue pejus, cuncta mercurialium, metallicorum, emeticorum atque acriorum purgantium genera, fugiant: inter quæ etiam mercurium dulcem, aurumque fulminans; ob inauspicati successus quem sæpius sub ejusmodi circumstantiis observavimus effectum, reponere non dubitamus; siquidem a pulveribus sic dictis solaribus non raro maximas præcordiorum anxietates, comite singultu, in podagricis obortas, doloribusque licet mitigatis omnia intus pejora reddita fuisse novimus.

## CASVS II.

*Tumor pedum erysipelaceus repropulsus.*

Vir Illustris quadraginta & aliquot annorum, rheumatismis scorbuticis crebrius affectus, tumore erysipelaceo in dextro corripitur pede, quod ulcus olim purulentam materiam continenter stillans obfessit. Hic tumor inflammatorius radium rubicundum a glandulis inguinalibus, ad extremum usque pedem emisit. Altero die dolor metatarsum pedisque sinistri pollicem satis atrox cum insigni tumore invaluit: unde plane immobiles redditi pedes fuere. Chirurgus in principio statim ad erysipelas profligandum spiritum camphoratum crocatum applicavit, & cum in alterum pedem dolor transiret spiritum removit, & hujus loco siccos pulveres cum camphora mixtos applicuit. Inde mox notabilis dolorum levatio & remissio in utroque pede successit: non ita multo post autem tam gravis circa præcordia anxietas & diaphragmatis constrictio, ut omnem penitus respirationem tolleret, cum æstu & plenaria appetitus prostratione secuta fuit, quibus alvina obstructio, cum inflatione associabatur. Præscriptum me consultum adirent, ad alvum leniter educendam, decoctum mannatum; & ad flatus discutiendos materiamque retrocessam sudore distillandam, aliquot liquoris anodyni mineralis cum tertia spiritus Bussii parte remixti doses propinavi. Quo pacto & totum mox corpus largissimo sudore perfundebatur, & ipsæ hæmorrhoides quibus aliquando assuetus erat, denuo fluere cœperunt, omniaque sic evanuerunt symptomatibus penitus evanescentibus.

*Epicrisis.*

Similis fere casus, qui evidenter camphoratorum eternum usum in podagra noxium declarat, aliquot ante annos in Illustrissima femina mihi occurrit: hæc enim postquam minium cum camphora remixtum pedibus podagra tentatis applicasset, hæc quidem siluit, ast non multo post cardialgici dolores, summa virium prostratio, vomitus, inquietudo,



do, cum æstu febrili, alvus renitens & leve delirium accedebant; quæ symptomata statim ab oblato cum emulsiōne ex seminibus IV. frigidis pulvere præcipitante nitroso, cum tertia parte grani unius camphoræ permixto pro dosi, remiserunt, & materia podagrica ad exteriores partes reversa est. Siquidem ego passim quoque animadverti, camphoram, cum exterius applicata noxam intulisset, interne exhibitam illata damna rescarcivisse. Memorabilis quoque est observatio, quam recenset HAGENDORNIUS *cent. 1. obs. 28.* ubi mercator ex dolore & tumore scorbutico laborans, applicato epithemate ex aquis destillatis cum cerussa & camphora, doloribus sedatis, loquelam amisit nec brachium movere potuit. Neque vero in totum camphoram ejusque spiritum in tumoribus & doloribus partium extremarum damnare & rejicere animus est, sed prudentia & distinctione naturarum opus esse velim: nam qui in artis versantur exercitio, subinde experiuntur, non omnia omnibus promiscue prodesse, atque id maxime valere in topicis, dum quod alterum juvat, idem alteri nocet. Est autem causa non tam dispositio peculiaris humoris peccantis, sed potius ipsa tensiva tonica fibrarum, pororum & vasorum cutis constitutio: habent enim omnes partes & maxime quæ emunctorii & colatorii vices gerunt, suum peculiare robur, tonum, tensionem nec non suam quoque dilationem, quæ species motus ad secretiones & excretiones summe necessaria, dependet potissimum a fluidi nervi influxu & nervearum membranarum tensione: qualis itaque hæc sit in omnibus individuis & etiam morbis eorumque temporibus, in exhibitione topicorum provide animadvertendum est ipsis medentibus. Quis enim non videt, si pori nimis fuerint contracti a dolore & spasmō, neutiquam tunc spirituosa calida conferre sed potius ea quæ blande contractas partes relaxant; contra si nimia est post dolorem relaxatio, quod apparet ex tumore, dolore mitiori reddito, omnia unguenta humida unctiosa anodyna valde nocere, & potius tunc li-

nimentis spirituosis nervinis utendum esse. Deinde utur quandoque topica egregie mulcant dolores & febrem mitiorem reddant, nihilominus non semper illud valet, etiam in eodem individuo, paucis: quo robustior in expellendo est natura majorque corporis adest vigor, major quoque motus internus, eo minus periculi inducunt externa decenter applicata; quæ tamen, si vigor motuum cesset, si ætas senilis vel status cachecticus supervenerit, plane sunt seponenda. Illud enim unice intendat Medicus necesse est, ut externis non sistat evaporationem materiæ peccantis sed eam promoveat: verum, quoniam magna prudentia in hac re opus est, securius potius est abstinere ab omnibus externis & totum negotium curandi internis committere, partesque affectas in blando tepore servare. Dein etiam hoc observavimus, topiorum generationem, quæ fit maxime in arthritide fixa, improvidæ non raro externorum applicationi deberi, stupefacientibus præsertim & infrigidantibus. Meretur hic adduci B. WEDELIVS qui in *ir. de medicament. facultat.* scribit: *Frequenti experientia edocti sumus, plus damni ipsos podagricos inde passos, imo plures ex arthritide vaga hoc modo sibi fixam accessivisse, plurimos vero topios, quod usurpaverint unctuosæ & pinguis emplastica.* Hinc & ipse GALENVS *method. medend. libr. IV. cap. 3.* topios in articulari morbo produci recte memorat ex humore glutinoso & crasso, quando is non paulatim digestus, sed violentis remediis totus simul exsiccat: & FERNELIVS *conf. 12.* geminari inde dolores observat. Ceterum non omnia topica, plane exterminanda esse in externis articularum doloribus arbitramur; siquidem quando adfectus partium inveteratus cum torpore quodam & insensibilitate relicta, qualis in senili ætate, sapissime evenit, tunc sedata prius interna sanguinis & humorum ebullitione, ad roborandos nervos, & invitandum spirituosum elasticum fluidum influxum in imbecilles partes, nervina linimenta balsamica virtute nobilitata, expectationi & Medici & miseri ægrotantis eximie satisfaciunt.

## CASVS III.

Vir sanguineo-melancholicus annum agens quadragesimum quartum, habitus corporis strictioris, a decem annis passus est dolores tarsum pedis obsidentes, qui tamen non adeo vehementes erant sed diaphoreticis facile cedebant, ut plurimum autem circa mensē Januarii revertebantur. Hi quatuor ante annos acerbiores facti agrum lecto adfixerunt, abhinc autem duobus annis prædicto tempore adhuc gravius affligerunt. His cum ipsis luctaretur agrotans, ingenti terrore affectus est, quem diuturnior cura & animi angor excepit: quo pacto dolores interiora occupantes, anxios in abdomine cruciatus excitant; qui mox remiserunt, mox reversi sunt. Elapsis aliquot septimanis sævissimo frigoreregnante, iter suscipere honestus vir debuit: a quo tempore dolores longe truculentiores invasere, qui ventrem, brachia, fauciumque interiora aggressi, quandoque in capite subsistebant, atque somnum & quietem admodum turbabant, aliquando etiam effluxum materiæ foetidæ purulentæ ex aure interna egregio cum allevamento excitabant. Mense Junio ejusdem anni acidulas Egranas usurpavit, sub quorum usu quidem dolores siluerunt & cuncta bene successerunt: absoluta vero cura abdomen multo atrocius affligentes, appetitum penitus profligarunt: ubi alvus pigra, urina coloris naturalis sed parcius reddebatur, virium aderat dejectio, & æger de fixo ac duro tumore supra umbilicum conquerabatur. Nausea quoque premebatur & saliva copiose ex ore sæpius emanavit, vomituque nonnunquam & alimenta & medicamenta rejecta sunt: siquidem dolor superiora petere, fauces constringere atque ad scapulam usque se extendere sæpius solebat. Flatus ventrem distendentes per totum hinc inde intestinorum canalem cum fluctuatione & borborygmo percurrabant, & ad intestinum rectum ubi pervenerunt, mox regurgitabant, cum quasi exitus ipsis præcluderetur. Notatu dignum

*Podagra,  
retrocedens  
ex frigore,  
letalis.*

fuit, quod per periodos dolores hi infestant, hora pomeridiana quarta, media nocte & ante meridiana decima dum accesserunt. Variis usus est remediis, & præcipua medendi intentio eo fuit directa, ut ad ipsos pedes rursus derivaretur infesta materia. Hinc frictions, pediluvia in usum vocata, venæ quoque in pede celebrata sectio. Hirudines tandem applicatae, nitrosa cum camphoratis sine diaphoretico administrata, nec usus carminativorum, stomachicorum balsamica temperata virtute inclytorum neglectus; alvus quoque clysteribus, lenioribusque laxantibus ad officium redactus. Sed successus speratus fefellit. A nulla tamen re præsentius levamen ac a potu lactis calidi cum infuso florum sambuci remixti expertus est, quippe per duos quandoque dies ab eo assumpto dolores conquieverunt. Quatuor abhinc septimanas elixir stomachicum ex amaris balsamicis extractis concinnatum exhibui, a cujus frequentiori usu, dolores sopiti, viresque cum appetitu erectæ fuerunt, adeo ut patiens domo egressi functionibusque suis præesse potuerit. Sed inconstans hæc valetudo fuit, siquidem in manu & dorso dolores rursus apparuerunt, somnum impediverunt, & tumor umbilicalem regionem obsidens, exterius manu percipi potuit. Tandem his malis diutius insistentibus, succumbere noster debuit, documentum sat clarum relinquens, contra mortis atrociam nullum inveniri remedium posse.

#### *Epicriffs.*

Ex præfata historia liquide apparet, quam contumax morbus sit ille, & quantum negotii creet medentibus, qui ex doloribus podagricis in corpus retrocedentibus ortum suum habet. Singulare illud est, quod materia, absque dubio, vellicans acris, indolis plus minus fixæ & volatilis, si in extremis articulorum membranæ subsistat & ipsi denegetur sedes & exitus, occupet in abdomine viscera membranacea, nempe intestina, quæ maxime ex membranulis tendinosis-nervis

con-

constata sensu acutissimo prædita sunt, & similis structuræ ac texturæ cum ligamentis articulorum nerveo-tendinosi ac glandulosi sunt, unde etiam propter affinitatem & structuræ communionem materia peccans mox transit ad intestina, mox rursus ex ipsis ad articulos. At vero, quod talem viam ac modum servet materia podagrica retro pulsa, jam HIPPOCRATES suo tempore eleganter notavit *lib. VI. epidem. part. IV. aph. 3. it. Sect. II. p. 20.* hisce verbis: *qui articulari morbo detentus intestini dolore dextra parte vexabatur, quietior erat; hoc autem curato magis dolebat.* Et memoratu hanc in rem digna sunt, quæ tradit SOLENANDER in *Consil. pag. 77.* ubi ait: *in cura habui nobilem inveterato arthritide occupatum, in sexagesimo quinto ætatis anno constitutum, qui colico dolore reprehensus fuit. Auctor eram ut arthritidis revocaretur, podum lotionibus, frictionibus, venæ sectione in pede, monitus ab Hippocrate & Benedicto Sylvatico in Contil. Obstulit autem Senior Medicus & æger interit. Atqui ego, pergit, idem plane observavi in muliere, quæ arthritide fere semper laborabat, quando a doloribus coli liberata erat, & vice versa, cessantibus coli doloribus misere ex juncturis afficiebatur.*

## CASVS VI.

Vir staturæ mediocris, circiter septuagenarius, temperamentum sanguinei, habitus corporis spongiosioris & robustioris, podagricis crebrius afflictus doloribus, aliquot abhinc mensibus ad sedandam cruciatuum atrociam, ipsa in paroxysmi accessione, partes dolentes, spiritu quodam a Pharmacopœo sibi misso, inunxit, a cuius crebriori & continuato usu, omnis propemodum dolor evanuit. Exacto aliquot septimanarum spatio sæva in abdomine tormina passus est, junctâ cum vomitu & alvo adstrictissima. Medicus in consilium accessit, ob metum iliacæ passionis, alvum clysteribus aperiri curavit, aliæque interna, quæ inflammationi resistunt & dolorem levant, in usum vocavit. Inde non modo cessavit vomitus,

*Podagra sive  
nesto omine  
retropulsa.*

mitus, alvusque soluta, sed & sedatus fuit abdominis dolor, ita prorsus, ut æger e lecto surgere & in publicum rursus prodire potuerit. Sed pauco interjecto tempore paroxysmus modo descriptus, quia hæc valetudinis spes non diu perseveravit, rediit, nisi quod vomitus lenior fuerit: & iisdem iterum in usum vocatis medicaminibus ad sanitatem perductus est. Duabus vero elapsis hebdomadibus idem paroxysmus repetiit, & adhibitis denuo remediis paruit. At vero aliquoties reversus iterumque depulsus est. Remansit tamen omnium ciborum fastidium, corpusque in dies consumi coepit. Interea nunquam rursus podagra affectus fuit, octiduoque nulla amplius persensit tormina: appetentia vero omnis periit, nec alvus nisi adjuta respondit, urina rubicunda, & semper adfuit oris siccitas cum humidi desiderio, lectumque perpetuo custodire ægrotus debuit; qui rebus ita constitutis, inter vivos esse tandem desuit.

#### *Epicriffs.*

Morbi, quem depinximus, decursus atque eventus, plurimos admonere poterit, quam caute & circumspecte cum podagricis senioribus ratione topicorum agendum sit: siquidem ipsa natura, per senium & morbi vim debilitata tandem fatiscit, atque ad serum acre impurum, quod artuum doloribus materiam subministrat, per criticum & febrilem motum ad extremas partes & ambitum corporis propellendum, redditur minus idonea; quare materia peccans in corpore remanens nervosas & membranaceas ventriculi & intestinorum tunicas infestat, ventrisque tormina efficit: quæ si interna inflammatio excipit, ægri vel subito e medio tolluntur, vel successive marasmo aut hæctico calore vires ipsamque carnem defurante consumuntur. Notabile vero in præfata morbi historia fuit, quod podagricus dolor non redierit, sed per paroxysmos, hujus loco, ventris tormina, vomitus, sitis, inappetentia afflictarint; quæ tamen symptomata per clysterum oleosorum medica-

dicaminum diaphoreticorum, cinnabarinorum cum castoreo remixtorum usum expirarunt: unde consensus intestinorum cum partibus nervosis & tendinosis manuum & pedum, quem in podagricis & chiragra affectis quam maxime observamus, liquido iterum evincitur. Nam in praxi Medica perpetuum fere est, atrociam ventris tormina ut plurimum transmissio ad artus vitioso humore solvi, & retropulsam etiam materiam arthriticam vel podagricam acerbiora ventriculi & intestinorum tormina & spasmos sequi. Alvus ejusmodi in casibus, ob tonum primarum viarum destructum, officii sui nunquam non obliviscitur, atque per clysteres sollicitata parum excrementorum, sed multos foetidos flatus emittit. Ceterum in senibus, appetitus omnimoda viriumque prostratio, sitis & oris siccitas, lentam febrem, mortemque imminentem indicant.

## CASVS V.

Vir sexaginta annos natus, spongiosi corporis habitus, hæmorrhoidali fluxui adsuetus, dolorum podagricorum utut mitiorum, vere & autumnò incuntibus, tentatus fuit insultibus. Circa ætatis exitum, horæos fructus refrigerantes liberalius paulo ingessit, & contra podagricos dolores panacream sic dictam ab empirico assumpsit: quæ constabat, ex opii crudi in frustula dissecti drachma, cui duæ aquæ liliorum convallium spirituosæ uncie affusæ fuerunt, & ita leni digestionem steterunt. Hujus liquoris cochleare circa lecti introitum Medicaster sumendum iussit: cujus usus, quod placidiorem somnum conciliabat, per aliquot septimanas continuatus est: & paroxyfimi, circa consuetum alias tempus infestare soliti, mirum in modum allevati sunt. At vero, elapsis aliquot hebdomadibus, mense Octobris, febris cum totali virium suppressione, extremorum frigore & perpetua somnolentia insecuta, ægrum omnium præter opinionem jugulavit.

*Podagra in hæmorrhoidario, ex opiatorum usu funesta.*

*Epicrifs.*

Dici vix potest, quod tamen quotidiana declarat experientia, quam perniciosum sit, consuetos podagricorum paroxysmos valentioribus remediis suppressere, & materiam illam acrem causticam, quæ solenniter, utut cum dolore, per congrua emunctoria protruditur, intus retinere: quippe tali modo partium internarum inflammationes, spasmi vel sphacelationes, quam in nostro ægro præsentem fuisse nulli dubitamus, perpetuo fere subsequuntur. Non potuit autem non, propinata narcotica medicina in corpore laxioris habitus, senio vicino & a refrigerantium fructuum abusu jamjam debilitato, infaustum relinquere effectum: quippe Prætorum fide dignorum observationes confirmant, a solo refrigerantium abusu, corpora podagricorum orci faucibus tradita fuisse.

## CASVS VI.

*Podagra  
hereditaria  
in hypo-  
chondriaco.*

Ante quadraginta propemodum annos, cum in principatu Halberstadiensi, provincialis Medici munus obirem, me consulēbat Illustris regiminis Consiliarius, qui parente hypochondriaco & podagrico natus, jam per decem annos & ultra, vix enim tunc trigessimum quartum superavit, & hypochondriacis pathematibus & doloribus podagricis fuit affictus. Vere & autumnō potissimum invadēbant paroxysmi, cum gravativa artuum lassitudine, appetituque aucto, quem postea sequebantur horripilatio cum extremorum frigore & tremore, vomitusque crebriores, quibus liquamina pituitosa & valde corrosiva acida, quæ & dentes stupefaciebant, & pavimento immissa ebulliebant, copiose educebantur. Successit dein febrilis æstus, & tertio vel quarto die acerbi dolores pedes oppetebant, qui ad aliquot sæpe septimanas persistebant, & demum sudore foetido acidum spirante perque plures dies durante solvebantur. Id vero erat memorabile, quod, si vomitus non præcesserint, paroxysmi diutius semper & acerbis



bis pedes affixerint. Inter medicamenta, quibus per complures annos usus fuit, non præsentius folamen atque lenimen, quam in pulvere absorbente nitroso, & essentia flor. lilior. convallium, cum spiritu vini phlegmatico extracta & sexta parte essentiæ castorei remixta expertus est. Tandem Illustri hic vir quinquagesimo ætatis anno, febre acuta Berolini defunctus est, & dissecto corpore pancreas totum scirrhum, & valde tumentes etiam glandulæ mesenterii repertæ fuerunt.

*Epicrifs.*

Hypochondriacos procedente ætate demum fieri podagricos experientia testatur, id quod ratione quoque demonstrari evidenter potest. Vterque videlicet affectus natura debiles & a parentibus iisdem morbis laborantibus genitos quam maxime infestat, atque primarium vitium potissimum in depravata alimentorum digestionem, crudorum succorum abundantiam, & excretionum quæ sanguinis & humorum depurationi inserviunt defectu, consistit. Deinceps aliquot exemplis compertum habeo, in dissectis corporibus & hypochondriacorum & podagricorum, ubi ex superveniente alio morbo extincta fuerunt, inter alias viscerum corruptiones, pancreas scirrhum maxime deprehensum fuisse, & ubi tale quid repertum fuit, ingentem semper acido ponticorum humorum prima in regione colluviem adfuisse, quæ appetitus præter naturam aucti, cardialgiæ anxietatis, obstructionis alvinæ, ructuum & vomitionum acidissimorum succorum vera causa existit. Quam inimicum vero acidum sit ad sanguinem delatum, dum temperatam ejus & gelatinosam crasin imo fluxilitatem destruit, præternaturalem spissitudinem ingignit, excretionesque retardando, cacochymia & viscidæ & tartareæ genitrix sit; is quam facile, qui fundamentis physico-mechanicis morborum generationem explicare novit, poterit penetrare. Ego itaque semper cum singulari fructu & hypochondriacis & nephriticis & podagricis, tum ad symptomatum

mitigationem, tum etiam ad sanationem, si adhuc ejus spes fuerit integra, medicamenta quae acidum destruunt in primis visis, ut sunt absorbentia sibi relicta terrea, quae subinde, cum in sal neutrum degenerent, alvum largius saepe ac si purgans sumtum fuerit, solvunt, exhibeo; atque insuper elixiria amara temperate balsamica, cum lixiviosis menstruis parata frequentius usurpanda, injungere ac commendare soleo. Tandem in praefata morbi historia id commemoratu dignum est, quod etiam in aliis saepe annotavi, leviores semper arthriticos & podagricos paroxysmos fieri, quando natura vel sponte vel arte adjuta sese a colluvie vitiosorum humorum per vomitus ante accessum liberaverit; manifesto indicio, originem dolorum esse in primis visis: in cujus asserti confirmationem ipsum adduco MARTIANVM, qui ita dicit: *in arthriticis doloribus, ob acorem in ventriculo peccantem a doloribus correptos memini, qui ab iisdem liberati vel levati fuerunt, ubi acida evomissent.* Quod identidem comprobat SYLVIVS *Oper. pag. 786.* aperte scribens, hanc curam per vomitionem utilissimam arthritidi, multisque a se confirmatam experimentis. Imo eadem ratione non paroxysmum tantum imminentem sublatum, sed & novi impetus semina extincta fuisse idem eodem loco scriptum reliquit. Atque ALPINVS de *medicina Aegypt.* multos se vidisse, qui, cum a podagrae calculique doloribus excruciatii fuissent, crebro usu vomitorii egregie adjuvi fuerunt, affirmat.

## CASVS VII.

*Podagra hereditaria inveterata in corpore romanensi, Carolinae exulsa & allevata.*

Vir generosissimus, sexagenario major, ob insignia merita in summa dignitate in hac provincia constitutus & Illustris regiminis consiliarius, tenerioris & sensibilibioris quoad corpus & animum constitutionis, a parente qui fere per totam vitam fuit podagricus, & pedes tophis obsessos habuit, genitus, ante triginta fere annos pathemata hypochondriaca, rheumatica, & podagrica expertus erat, quae procedente ætate

tate magis ingravescebant, & utut moderata admodum diata & vitæ ratione inculcata usus fuerit, singulis tamen annis vere & autumnno ob podagram affligentem lecto decumbere, mox breviori temporis mox longiori intervallo, cogebatur. Aliquando vero consueta podagra, præter morem & consuetudinem, solito tempore non recurrebat: sed quia materia vitiosa, intra succos vitales retinebatur, multis ac gravissimis tentabatur symptomatibus: continuis nempe ventriculi eructationibus, cordis palpitationibus, tremore artuum, inquietudine, dolore capitis acuto, tractorio, lancinatorio, circa tempora, circa nucham, accedente cogitationum confusione memoriæque debilitate. Consulebat me atque Clariss. D. D. *Strauchium* Archiatrum Martisburgensem, qui sapius frequentaverat *Carolinas*, atque inprimis ex nobis quærebat, num has thermas sanitati suæ profuturas judicaret. Hic longiori experientia edoctus, statim confirmum probavit; cui ego quoque facile assentiebam: & ille cum eo ad fontes hos salutiferos profectus fuit, a quarum interno usu decenti cum regimine instituto, in tertia & ultima cura, vehemens paroxysmus podagricus, qui tamen non nisi per septem dies durabat, ipsos pedes corripiebat, remittentibus mox omnibus prioribus symptomatibus. Inde optime quum se habuisset, binis adhuc vicibus, aquas hæcæ thermales cum summo fructu semper usurpavit.

*Epicrisis.*

Ego sane complura possem recensere & allegare exempla, quæ mirabilem & incomparabilem plane horum fontium virtutem & effectum in atrocibus & contumacibus morbis expugnandis, qui ab arthritica & podagrica materia remanente in corpore vel improvide retropulsa oborti fuerunt, demonstrare valerent; qui potissimum in eo consistebant, quod materiam morbificam ad pristina sua loca ex interioribus relegaverint, conquiescente mox omnium symptomatum periculossimorum syndrome. Vidi colicas

spasmodicas, vidi asthmata convulsiva, affectus soporosos, morbos melancholicos cum sensuum & rationis perturbatione conjunctos, pertinacissimasque tusses, atque pulmonum infarctus, qui non nisi a materia podagrica remanente vel retrocedente originem suam habuere, hac ratione divino adjumento felicissime subactos & curatos; maxime vero, si non semel, sed bis vel ter in usum decentem fontes ducti fuerint.

## CASVS VIII.

*Podagra le-  
vior, ex ira  
& refrige-  
ratione fa-  
cta gravior  
& metasta-  
tica.*

Vir generosus, perstrenuus Chiliarcha, non procul ab hac urbe degens, corporis macilentioris, fibrosi tamen & robusti, superato jam sexagesimo & sexto anno, in gravem & exitialem incidit morbum, cujus profligandi causa, me in consilium vocavit. Is jam ante decem annos doloribus podagricis, mitioribus tamen & obtusioribus vernali tempore fuit obnoxius, neque minus his deficientibus, acerbis abdominis doloribus, live potius intestinorum stricturis spasticis vexatus. Ante annum Generosus hic vir, sub initium hiemis, prægressa vehementi corporis refrigeratione, neque minus ingenti animi, quam tamen prudenter compressit, indignatione, defubito truculento ad suffocationem usque asthmate convulsivo corripitur. Ego tertio die accedens morti ferme proximum inveni: nam sub summa virium prostratione ad animi usque defectionem, pulsu duro, debili & tremulo, extremorum frigore, & sub cogitationum ac rationis turbatione, ægerime & cum sonitu spiritum ducebat. Primo omnium clysteres injiciendos, ad fordes alvinas cum flatibus educendas, curavi: dein mixturas blande diaphoreticas & discutientes, singulis horis sumendas, præscripsi. Factum hinc DEI beneficio est, ut ad omnium adstantium admirationem, intra quinque dies somnum, qui plane fuerat antea sublatus, capere & respirare sine molestia æger cœperit, atque successive ingentem vis-

cosæ

coſæ materiæ copiam tuſſi ejecerit. Verum non ita multo poſt, de doloribus ac cruciatibus ipſius abdominis Generoſiſſimus Vir conquerebatur, qui in dies increſcentes intolerabiles evaſere. Alvus adſtriſtiſſima, præcordiorumque aduſit anxietas atque inquietudo. Sed ſingula hæc adhibitis idoneis remediis, expulſa e ſede ſua materia hoſtili, conquieſcere cœperunt: relicta tamen ſtatione ſua in regionem inguinalem non procul a virili membro hæc ipſa deſcendit, atque in muſculis ibi conſpicuis, præcedente gravi dolore & inflammatione, abſceſſum efformavit inſignis certe magnitudinis, qui poſt ſuppurationem factam demum apertus plus quam libram puris per vices fundebat. Dum conſolidari cœpit, truculenti dolores pedes infeſtare cœperunt: quos etiam commoda medicina abegimus, relicta tamen debilitate & tumore œdematoſo. Decuſus autem hujus morbi valde ancipitis & difficilis per trium fere menſium ſpatium duravit. Interea valetudini perfectæ fuit redditus Generoſiſſimus ægrotans.


*Epiſiſis.*

Medicamenta, quæ in toto hujus morbi decurſu in uſum duxi, non alia fuerunt, præter clyſteres & cataplaſmata, quam mixtura ex ptifana, aqua cardui benediſti, florum ſambuci & ceraſorum nigrorum, adjectis, pulvere meo bezoardico leniter camphorato, ſucco citri, liquore anodyno minerali, & ſucco papaveris albi compoſita: quandoque mixturæ ſimplicis aliquot guttas pro doſi adjeci. Qua plus quam vicieſies reiterata uſus fuit. Præter hæc, infuſum Theiforme, ex herba veronica, ſalviæ, floribus ſambuci, ſemine fœniculi, & decoctum noſtrum ulitatum pro potu ordinario largius ſumendum præcepi, interpoſito interdum electuario vel elixirio pectorali, quia tuſſis longo tempore inſiſtebat. Ceterum me tam vehementem metaſtaſin in morbo nunquam obſervare memini. Atque ex hac morbi hiſtoria & curatione, illud curioſi naturæ & Medicinæ ſcrutatores, meo quidem

dem judicio, addiscere possunt, eam esse materiae quae dolores in articulis creat & fovet indolem & crasin, ut vix ab ulla medicina immutari, alterari & ejus pernitialis vis destrui possit: licet enim in praesenti casu reliquerit suam sedem, nihilominus salva hostili indole & crasi permanente, eandem suam vim in aliis & compluribus locis exercuit, ut adeo remediorum, quae vulgo & a Chymicis aequae ac Medicis minus in praxi versatis, tantis laudibus passim venditantur ac celebrantur, & ad aucupandum magis argentum quam salutem afferendam apta sunt, inanis atque plane impotens facultas clare demonstrari possit. Cordatus autem & prudens Medicus in sanando ejusmodi morbo nihil aliud efficere vel praestare potest, quam ut temperiem & texturam earum corporis partium quae nondum simili vitio affectae, integram servet, quo morbosa materia successiva & blanda evaporatione & discussione per universale cutis emunctorium feliciter excludatur.

F I N I S.





04730

